FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI ORDINIS PRAEDICATORUM ... DE IRREFORMABILI...


Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI
ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREGATIONI A SECRETIS, DEIN SAC. PAL. AP. MAGISTRI ET S. R. E. CARDINALIS

DE IRREFORMABILI ROMANI PONTIFICIS IN DEFINIENDIS FIDEI CONTROVERSIIS JUDICIO

EDITIO ALTERA

CUI PRAETER VITAM AUCTORIS ACCESSIT RERUM INDEX ACCURATISSIMUS IN SINGULOS TOMOS.

TOMUS I. PARS PRIMA.



ROMAE MDCCLXXII.

TYPIS PAULI JUNCHI, PROVISORIS LIBROR. BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Sumptibus Natalis, & Caroli Barbiellini Bibliopol. in Foro Pasquini.

SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA ... IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTO PETRO

APOSTOLORVM PRINCIPI
CATHOLICAE ECCLESIAE FVNDAMENTO
ET PRIMO CHRISTI DOMINI IN TERRIS VICARIO
QVI
INSTINCTV DIVINITATIS
SEDE IN VRBE IMPERII PRINCIPE FVNDATA
AETERNA CONFESSIONIS SVAE FIRMITATE MVNITA
AC PROPRIO SANGVINE DEDICATA
TOTIVS CHRISTIANAE REIPVBLICAE CAPVT
ROMANAM ECCLESIAM CONSTITVIT
SVISQVE IN EA SVCCESSORIBVS
VNIVERSAS OVES PASCENDAS
FRATRES CONFIRMANDOS
FIDEM CVSTODIENDAM VINDICANDAM
ET DECLARANDAM COMMISIT
CLAVES REGNI CAELESTIS TRADIDIT
ATQVE CETERA SIBI DIVINITVS CONLATA IVRA
PERPETVO ADTRIBVIT
PAVLLVS IVNCHIVS
PRAESTANTISSIMVM HOC OPVS
QVO DATA ROMANAE CATHEDRAE POTESTAS
ADSERITVR ET VINDICATVR
SVIS TYPIS ET SVMPTIBVS ITERVM EXCVSVM
PATRONO BENEFICENTISSIMO MAXIMOQVE
L. A. D. D. D

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO

D. CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

FR. JOSEPH AUGUSTINUS ORSI

ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREG. A SECRETIS.



OT inter munera & privilegia, quibus Petri Sedes ornatur, ejuſque in ea Succeſſores Romani Pontifices decorantur, nullum, Beatissime Pater, auguſtius eſt, nullum divinius,

quam

Digitized by Google

quam quod illa universae Ecclesiae immobile fundamentum est, & columna & firmamentum veritatis; hi vero quum inde oracula fundunt, certissimi sunt & indeficientes caelestium dogmatum, divinarumque legum ac voluntatis Interpretes. Quid enim ultra humanae naturae conditionem magis hominem provehit, Deoque similem ac proximum exhibet, quam quod ejus decretis summum & inviolabile humanae mentis obsequium, velut immotis aeternisque Fidei Catholicae regulis, debeatur? Hoc sane tam magnum, tamque praecelsum est, ut nisi ex Deo primaque illa & immutabili Veritate homini inesse profiteremur, hominem pro Deo colere videremur, adeoque summo & infando Idololatriae scelere implicaremur. Quis namque Deo, aeternaeque illius Sapientiae ac Bonitati magis debitus cultus, quae Deo magis digna religio, quam illi rationem subjicere, & in ejus obsequium intellectum in captivitatem redigere? Id

Deus

Digitized by Google

Deus ab homine ſuapte natura exigit, qua ipſa Veritas, ipſa Sapientia, ipſa Lux mundi eſt: quae quum Petri Succeſſoribus ipſius Dei munere facta ſint quadam *participatione communia* [a], quum eorum de fide Sanctionibus indivulſe inhaeremus, nihil in eis humanum cogitamus, ſed divinam colimus, veneramur ac ſuſpicimus auctoritatem.

Id tamen quanto ſublimius & auguſtius eſt, tanto moleſtius excipitur, ac difficilius Tranſalpinis quibuſdam Theologis perſuadetur: nullaque eſt tam levis ratio, nulla tam futilis cauſſa, quam non obtendant, ut non injuria praeclarum hunc ineluctabilis auctoritatis titulum Romanis Pontificibus detrahere videantur. Horum propterea aliquot, quamquam non fidei vel [b] *praedicationis*, ſed diſciplinae & *converſationis* errata, opportune importune ingerunt, depraedicant,

im-

(a) *S. Leo ſerm III. Adſumt. ſuae ad Pontif.*
(b) *Ex Tert. lib. de Praeſcript. cap. XXIII.*

Digitized by Google

amplificant, & extollunt. Liberii lapsus, imprudens Honorii dissimulatio, saeculi decimi scandala eorum voluminum utramque paginam faciunt: & quamquam Apostolicae Sedis Praesulibus non ἀναμαρτησία, sed in fidei dogmatibus ex Petri Cathedra definiendis & adserendis ἀσφάλειαν & indeficientiam vindicamus; vix tamen illi concoquere possunt, eos a Spiritu Sancto ad substinendum universae Ecclesiae aeternum aedificium instar immobilis fundamenti fuisse destinatos, quos aliquando vident, eamdem Ecclesiam in maximum discrimen suis aut pravis moribus, aut turbulentis affectibus, aut minus limatis judiciis, adduxisse.

Reponimus quidem, haec quae illos offendunt, privatis personis esse imputanda, quas interdum humanus spiritus in transversum abripiat; non autem ad Petri Cathedram, aut Sedentes in ea Pontifices pertinere, quos ex Christi im-

mobili

Digitized by Google

mobili promiſſione indeſinenter divinus Spiritus regit. Verum quanto praeclarius apud homines Sedis Apoſtolicae cauſſa ageretur, ſi quotquot in ea ſederunt Pontifices caeleſtibus virtutibus enituiſſent, eamdemque ſanctis & inculpatis moribus exornaſſent; ſi omnia eorum judicia divinae ſapientiae luminibus refulgerent; ſi ad tuendam veritatem firmam conſtantiam, & invictum animi robur, & inexpugnabilem fortitudinem adtuliſſent! Hoc eſt, ſi in Apoſtolicorum Praeſulum ſerie nulli, niſi quales Cornelius, Silveſter, Julius, Damaſus, Innocentius, Caeleſtinus, Leo, Gregorius, Martinus, Agatho, tot alii ejuſdem ſpiritus ac virtutis Pontifices occurrerent. Quem enim non puderet de divinarum promiſſionum vi & amplitudine diſceptare, ſi eas tam praeclare & magnifice impletas, tam certis luculentiſque argumentis, & manifeſtis effectibus demonſtraremus? Aut quem in ſui venerationem & admirationem,

amorem & obſequium non raperet Pontificia majeſtas; ſi quotquot ea exornati ſunt Pontifices, non modo dignitate & auctoritate, verum & morum gravitate & virtutum ſplendore, divini Verbi, cujus vices in terris gerunt, vivam nobis & ſpirantem imaginem retuliſſent?

Quamquam ergo inde non pendeat noſtrorum dogmatum ratio; eſt tamen cur alacrius ad Apoſtolicorum jurium defenſionem excitemur & accingamur, qui eo ſaeculo vivimus, quo Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus item XIII. eximia in Deum pietate & religione, mira in tam ſublimi & excelſo gradu animi moderatione, invicta & immobili tot inter turbines firmitate, Petri Cathedram illuſtrarunt; quove Tu, Beatissime Pater, eamdem ſingulari Dei munere, jam fere per duo luſtra in vivida & vegeta ſenectute, iiſdem virtutibus exornare pergis. Quam enim Tui Deceſſores vel ad Chri-

ſtianae

Digitized by Google

ſtianae religionis inter Barbaras gentes propagationem, vel ad Schiſmaticos & Haereticos ad fidem & unitatem Catholicam revocandos, vel ad Evangelici cultus puritatem ab Ethnicarum ſuperſtitionum mixtura & ſordibus defaecandam, vel ad Janſenianae contagionis reliquias delendas ac penitus profligandas, vel ad Apoſtolicae Sedis jura, & partam Chriſti ſanguine Eccleſiarum libertatem adſerendam & vindicandam, curam & ſollicitudinem, vigorem & longanimitatem adtulerunt; Tu ad Chriſti corporis aedificationem, & ad eadem Chriſtianae Reipublicae commoda aut comparanda, aut amplificanda, aut ſarta tectaque ſervanda, conſtanter adhibes: atque eo quidem ſucceſſu, ut quae ab illis inchoata & exculta ſunt, a te jam fere confecta & maturata laetemur. Te namque Pontifice, Saxonicae Domus, ſub ipſis tuis Deceſſoribus ad Patria & avita Sacra poſtliminio reverſae, lectiſſimum

Digitized by Google

Principem ad Tuos provolutum pedes, & Apoſtolorum limina, aliaque Urbis Sacraria mira pietate & religione colentem Roma ſuſpexit, & adhuc ſuſpicit, & quotidie laeta ſtupenſque miratur, Te item Pontifice, tum VVirtembergenſes Principes haereſim ejurarunt, tum eorum tenella ſoboles ad veram germanamque pietatem juxta Catholicos ritus eruditur. Tu primariae nobilitatis Virum ex ultimis Septemtrionis partibus velut alterum Abraham, relicta Patria Patriaeque commodis, ac Domo Avorum, & Proavorum titulis clara, ac deliciis & opibus affluente, imo & pluſquam Abraham, relictis etiam in ipſo aetatis flore Parentibus, ac dulciſſima Sponſa, ad Eccleſiae Romanae ſinum, ejuratis erroribus convolantem, non modo Paterna caritate complexus es; verum & ampliſſimo Magiſtratu donatum Capitolinis Arcibus praefeciſti: ut ex illo dominatricis Urbis editiſſimo loco apud omnes Nationes

cele-

celeberrimo, in universum orbem virtutum suarum famam fulgoremque diffunderet ac propagaret. Illud denique, quod nuperrime accepimus, ad gestorum Tuorum gloriam & felicitatem amplificandam, mirum quantum idoneum & opportunum est! Quod nimirum prudentia atque sapientia Tua, & vigili sollicitudine, & invicta constantia; Tuis obsecundante votis Eminentissimo Gallici Regni Administro, qui velut Ecclesiae & maximi Imperii Cardo, Sacerdotales perinde ac Regios spiritus gerens, non minus spiritualem & aeternam, quam Politicam & temporalem subjectis populis felicitatem parare satagit; Parisiensem Artium Facultatem, ad solenniter revocandam jamdudum interjectam a Constitutione *Unigenitus*, ad Synodum Oecumenicam provocationem, adduxisti. Sic tandem, Te Pontifice, novo exemplo comprobatum est, quod olim Nicolaus Magnus ad Michaëlem Imperatorem de Sede A-

posto-

Digitized by Google

postolica vere perinde atque magnifice scripsit [a]: Quod illi quamquam *Ecclesia aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit; quae illa tamen probavit, quandoque probaverit: & quae illa refutavit, ipsa refutaverit*. Nempe laudatae Clementis Undecimi Constitutioni aliquot Galliarum Episcopi, pluresque Theologi aliquamdiu pertinaci contentione reluctati sunt: Nunc autem illam, Te auctore, suscipiunt, amplectuntur, exosculantur; & post diutinum bellum & acerrimam animorum conflictationem reparata tranquillitate laetantur. Ad quos proinde ea merito dirigat Xysti Tertii decessoris Tui dulcissima verba, ad Johannem Antiochenum post restitutam pacem scribentis [b]: *Experti estis negotii praesentis eventu, quid sit sentire nobiscum Beatus Petrus Apostolos in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit.*

Quis

(a) *Epist. X. ad Mich. Imperat.*

(b) *III. Par. Concil. Ephes. cap. XLII.*

Quis ab ejus ſe velit ſeparare doctrina, quem ipſe inter Apoſtolos primum Magiſter edocuit?

Hanc ergo Tibi lauream, BEATISSIME PATER, cum univerſa Eccleſia feſtivis acclamationibus gratulatus; ac propediem, ut ſpero, Pontificatus Tui decennalia celebraturus, votaque in aliud decennium Deo Optimo Maximo nuncupaturus, hoc qualecumque munus venerabundus offero. Quod ea ſaltem ratione Tibi haud ingratum fore confido, quod ſacratiora Tuae Sedis jura pro ingenii modulo ac virili parte defendo. Animo enim revolventi, qua demum ratione, tum Cardinalis Nerii Sanctitatis Tuae Fratris Filii, quem Tibi in laboribus ferendis adminiſtrum adjutoremque adjunxiſti, quique me nihil tale cogitantem ſub ipſum Tui Pontificatus initium, ut ipſi a ſanctioribus eſſem conſiliis, Romam ultro evocavit, menti ac propoſito reſponderem; tum etiam Tuis erga me beneficiis

(qui-

(quibus nuper illud accessit, quod Sacrae Indicis Congregationi a Secretis datum arctius Sedi Apostolicae devinxisti) grati animi perenne aliquod monumentum statuerem ; nihil meae professioni statuique magis accommodatum occurrit, quam ut Tibi Tuaeque Cathedrae concessam divinitus auctoritatem adsererem adversus Opus, non jampridem publica luce donatum : cui plurimum momenti Clarissimi Praesulis nomen suarum adversus haereticos Lucubrationum & concertationum fama percelebris adjungebat. Quod meum ausum ut felices & prosperos & ad votum successus habeat, & Opus ipsum, quod Tuis sub auspiciis prodire gestis, & Auctorem ad Tuos provolutum pedes, Sanctitas Tua Apostolica benedictione dignetur.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.



Nnus fere quinquagesimus agebatur ab edita per Cleri Gallicani Comitia celebri Declaratione *De Potestate Ecclesiastica*, quum Illustrissimus Trecensium Episcopus e re esse Ecclesiae judicavit, ut publicam tandem lucem adspiceret *Defensio* ejusdem Declarationis ab inclyto & celeberrimo ipsius Patruo *Jacobo Benigno Bossuet* Meldensi olim Episcopo speciali jussu Ludovici Magni Christianissimi Regis, elaborata. *Opus*, ut dicitur in Monito ad Lectorem, *vere aureum*, *hactenus reconditum*, *tamdiu desideratum*, *toties laudatum*, *sed praesertim hisce temporibus*, *propter ferventia itidem partium studia*, *maxime necessarium*. Non potuit ergo nisi magno cum plausu & communi gratulatione excipi tantum Opus ac tamdiu votis communibus expetitum: ad cujus etiam commendationem, ut ibidem subjungitur, pertinebat, non ipsa tantum celebritas & nomen Auctoris, & argumentum Operis, sed ipsius maxime Christianissimi Regis auctoritas, cujus speciali jussu fuerat ab eruditissimo Praesule elucubratum. Omnia ergo ad excitandam eruditi Orbis exspectationem, & conciliandam hisce Libris omnium existimationem conspirare videbantur. Primûm *Nomen Auctoris*, qui ob alias Lucubrationes vere aureas cedroque dignas immortalem sibi gloriam pepererat, eaque apud omnes sapientiae doctrinaeque laude florebat, ut quidquid ab ejus profectum ingenio diceretur, facile omnium mentes in sui raperet admirationem. Deinde suscepti Operis *argumentum*: Non enim caussa agebatur, quae inter singulares Episcopos, aut privatos Theologos disceptaretur: sed tuenda erat & vindicanda sollennis & publica Declaratio, qua Clerus Gallicanus, rem maximi momenti adgressus fuerat; ut nimirum post septemdecim saecula limites Pontificiae auctoritati praescriberet, quam nullis circumscriptam limitibus Christus ipse omnipotens Dei sapientia, Regnique sui, quod est Ecclesia, ejusque gubernationis atque regiminis auctor & institutor, Apostolorum Principi ejusque Successoribus adtribuerat: *Tibi dabo claves regni caelorum: Et quodcumque ligaveris &c. Quodcumque solveris &c.* Incesserat ergo omnium animos vehemens desiderium cognoscendi, quibus tandem rationibus freti atque incitati Gallicani Patres terminos Romanis Pontificibus constituissent, quos transgredi non liceret. Quis vero ad has rationes enucleandas aptior aut magis idoneus reperiri poterat Illustrissimo olim Meldensium Episcopo? qui, ut ipse testatur, Deputatis adscriptus, publicis privatisque conventibus interfuit, nec tantum audivit religiosissimos Episcopos, sed etiam quaecunque insigniora, ac memoratu digniora dicerentur, diligenter descripsit. Qua vero de rebus Theologicis perspicue, graviter, & cum majestate disserendi vi & arte pollebat, veren-

Digitized by Google

rendum certe non erat, ut quae alios differentes audierat, ipse minus apte ac segnius efferret, vel ut eorum vis ipsius oratione aliquatenus infringeretur. Denique accedebat ad Operis commendationem Ludovici Regis *auctoritas*, quo jubente id laboris ab Episcopo Meldensi susceptum est. Nihil enim nisi perfectum & numeris omnibus absolutum tanto Regi tantus Episcopus obtulisset; maximeque in hac caussa, quae non Episcoporum modo, verum & ipsius Regis erat: qui Cleri sui Declarationem Regia auctoritate muniverat, & Regni legem esse decreverat. Itaque demonstrandum erat, non temere illos optimo ac piissimo Principi ejusmodi sensus inspirasse; agendumque omnino, ut qui victricibus armis ducumque suorum expeditionibus id adsequutus fuisse videbatur, ut Europae universae jura, pro arbitrio suo & libito, daret; id etiam obtineret, ut Sedis Apostolicae auctoritatem certis limitibus coërceret, quos deinceps violare nefas esset. Quod quidem ille non vi aut armis consequi poterat, sed doctissimorum hominum lucubrationibus, per quas universus orbis, & ipsa etiam Sedes Apostolica agnoscerent, Scripturae traditionisque regulis Romanis Episcopis interdici, ultra hos fines excurrere, quos ipsis Rex, perinde sapientissimus ac potentissimus, statuisset. Haec omnia apprime apta & idonea erant ad optimam Bossuetiani Operis opinionem omnium animis ingerendam. Non enim aliquid nisi & argumento, in quo versabatur, & Rege maximo, cujus jussis parebat, & suo Nomine dignum, adeoque nisi & summo studio elaboratum, nec minore accuratione perpolitum Magnus ille Meldensium Episcopus emisisset. Quod & diserte his verbis Illustrissimus ejus nepos testatur: *Cet Ouvrage, que l'Auteur a revû plusieurs fois, & peu de tems avant sa mort, doit être regardé comme un des plus précieux monumens de sa profonde Erudition, de sa Sagesse, de sa Moderation, & de sa Pieté; de son attachement à la Chaire de S. Pierre, & à l'Unité, & de son amour pour l'Eglise, pour la Verité, & pour la Paix*. Haec sane magnifica sunt, & quae jampridem iis omnibus, quibus, ut idem ait, Ecclesiae & Reipublicae salus cordi est, vehemens hujus Operis desiderium adflaverant. Addebat Illustrissimus Praesul, in eo summa perspicuitate (*avec la dernière évidence*) demonstrari, doctrinam Ecclesiae Gallicanae de Potestate Ecclesiastica & temporali quatuor Declarationis Articulis comprehensam, ipsissimam esse Scripturarum traditionisque doctrinam: eaque non modo Summorum Pontificum Sanctaeque Sedis auctoritatem minime labefactari; verum & eis totam vim, & primaevum splendorem, & veterem majestatem restitui, depulsis falsis, vanis, incommodis, communi odio & periculis obnoxiis, ac futilibus praerogativis, quibus ea veluti densa nube involvere postremis hisce temporibus ignorantia & adulatio tentaverant.

Mirum profecto, quod tantum Opus, totque titulis commendatum tamdiu publicae utilitati & communibus votis, cum ipse celeberrimus Auctor, tum Illustrissimus ejus Nepos inviderint: nec meum est in rationes inquirere, cur tamdiu latuerit, aut cur tam sero, ac tantum proxime elapsis annis

Digitized by Google

nis publicam lucem adſpexerit. Nunquam enim minus quam hoc aevo neceſſarium videbatur: quo certe Gallis Epiſcopis minus laborandum eſt, ut projectae, aut quam par ſit propenſiori populorum in Sedem Apoſtolicam venerationi modum imponant, quam ut plurimorum temeritati frenos injiciant, a quibus ſacratiora apud omnes Catholicos ejus jura audaciſſime violantur. Quidquid enim Gallicani Epiſcopi praedicent, Declarationis articulis firmatum fuiſſe Petri & Succeſſorum ejus Primatum, & primaevo ſplendori & amplitudini reſtitutam reverendam omnibus gentibus Sedis Apoſtolicae majeſtatem; attamen diuturno experimento compertum eſt, ab ipſa Chriſtianae Religionis origine, debitam Summis Pontificibus ab omnibus Catholicis reverentiam & obedientiam, nunquam fuiſſe impudentius & immanius, quam poſt emiſſam celeberrimam Declarationem, niſi a profeſſis haereticis, violatam: & quod magis dolendum eſt, eamdem ingenii laſcivientis inſaniam, qua non pauci in Galliis laborant, nunquam liberiore curſu ſeſe aliis etiam Nationibus infudiſſe. Quod etiam in cauſſa eſt, cur id genus Lucubrationes propenſos ubique Lectores inveniant, & paſſim magno cum plauſu excipiantur; praeſertim ſi eorum nominibus inſigniantur, qui aliis ſuorum ingeniorum foetibus in lucem eductis, conſummatae eruditionis, ſolidae ſapientiae, ac ſubacti limatique judicii ſibi gloriam pepererunt. Atque ea eſt hodie apud nos Gallicae gentis exiſtimatio, ut quidquid inde in oras noſtras advehitur, facile a nobis laudes & admirationem extorqueat. Nec mirum ſane: nam & mirificae ſunt horumce librorum & opinionum illecebrae. Quid enim non in eis placeat? Placet ſubjectionis jugum, ſi non omnino excutere, tamen quam leviſſimum ferre: Placet ſentiendi atque opinandi libertas: Placent linguae genius ſtylique Gallici amoenitates: Placet a ſcholae ſordibus & ſqualiore repurgata de rebus Theologicis diſſerendi ratio: Placent denique, quae nulli magis oſtentant, aut quibus nulli melius fucantur, pietatis ſpecies, tuendae veritatis ardor, Eccleſiae & Reipublicae ſalus atque tranquillitas, quae ſolum cordi & amori ſint, & quibus unice conſulatur. Quibus illecebris illud etiam plurimorum animis percellendis atque capiendis accedit, quod de iis opinionibus, de quibus invicem digladiamur, ejuſmodi Auctores tam fidenter pronuntiant; & tam certo ac ſine ulla prorſus haeſitatione conſtituunt, nihil a ſe quam puram putam Scripturarum, veterum Pontificum Romanorum, univerſorum Patrum, & Conciliorum doctrinam traditionemque defendi; totque eorum teſtimonia Chartis illiniunt: ut nullo adhibito examine (hoc enim pauci ſuſcipiunt) facilis illis dicentibus ſibique credi jubentibus adſenſus praebeatur.

Vidimus paullo ante, quam fidenter Epiſcopus Trecenſis adfirmet, ab Epiſcopo Meldenſi in hoc Opere demonſtrari, *avec la dernière évidence, que la doctrine de l'Egliſe Gallicane . . . . . n'eſt que la doctrine même des Ecritures, & de la Tradition*. Nihil autem minus eſt, quod longe amplioribus verbis ipſe Illuſtriſſimus Auctor ſeſe demonſtraturum in Operis praefatione promiſit: *Praecipua* inquit, *hîc momenta percurram, ut intelligat*

Christianus orbis, *a Clero Gallicano nihil novi prolatum*, *sed vetustam atque constantem Scholae Parisiensis totiusque adeo Ecclesiae Gallicanae*, *imo & Universae*, *sententiam repetitam*; *eamque Scripturarum fonte*, *atque Apostolica Traditione manantem*. Quid superest, nisi ut haec sola deinceps pro Catholica habeatur? juxta illam omnium ore celebratam & consensione firmatam Vincentii Lirinensis regulam (*a*), sciscentis illud esse vere proprieque Catholicum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Non multum ab hac cogitatione abfuisse videtur, aut abesse videri voluit Illustrissimus Auctor; quamobrem statim adjecit: *Atque ea me dicturum confido*, *quae plane sufficiant*, *ut haec duo probentur*. *Primum*, *doctrinam Gallicanam vere Catholicam esse*, *& ab omni censura ac nota liberam*; *tum eam doctrinam absolute esse veram*, *ac si censura adhibenda sit*, *adversam sententiam animadversione esse dignam*. Haec magno Bossuetio tanta fiducia jactanti quis fidem abnuat? quis tuto ac secure non credat? Neque contentus haec generatim dixisse, ut omnem penitus suspicionem amoliretur, & facilius sibi ac tenacius Lectoris animum in ipso Operis vestibulo addiceret ac devinciret, certiorem eum facit, Veterum testimonia & monumenta quae profert, non mutila hîc exhiberi vel interpolata, aut velut a suis locis sedibusque revulsa, & in alienos sensus misere detorta, sed integra & intacta, & quae illorum locorum genuinam sententiam plene ac fideliter repraesentent: *Nos enim hîc non nostra*, inquit, *argumenta*, *sed Majorum testimonia & acta referemus*; *eaque integra & tota*, *ne fraudi & insidiis locus esse possit*. *Placuit enim in tanta re perspicuitati potius quam brevitati consuli*. Denique & illud ab Illustrissimo Auctore ad Operis sui commendationem adjicitur, sese in eo concinnando gravium Virorum consiliis esse obsequutum, qui Gallicanos Episcopos Doctoresque hortabantur, ne avitam doctrinam, qua veteris Ecclesiae jura ac dogmata continentur, indefensam relinquerent. Nec tamen satis dignum operae pretium existimabant, si solum recentibus illius doctrinae Adversariis refellendis incumberetur; sed rem totam ab origine repetendam esse judicabant, atque Ecclesiastica monumenta proferenda, quibus Clerus Gallicanus, tanta doctrinae pietatisque fama conspicuus, Declarationem suam munitam credidisset.

Nemo profecto ad hanc provinciam obeundam, & ad haec arma tractanda magis idoneus, quam Illustrissimus Bossuetius, tot editis Operibus celebris, tot litterariis certaminibus clarus, tot victoriis ac triumphis conspicuus. Quare & in hac caussa bellove suscipiendo haud obscure certam sibi victoriam promisisse videtur: quum ipsis quoque Italis & Romanis, ipsis quoque Sedis Apostolicae summis Rectoribus a se persuaderi posse credidit, non modo Gallicana Declaratione nihil laesam & violatam Romanae Cathedrae auctoritatem, verum & eidem egregiam ab Episcopis Gallicanis navatam operam, quod ejus potestatem legitimis finibus circumscriptam hostium

(*a*) Commonit. I. cap. III.

Digitized by Google

stium suorum insanis molitionibus & impressionibus invictam & immotam, non caeca pietate aut humanis ratiociniis, sed manifestissima veritate, ac traditionis robore, & Canonum haud minus auctoritate, quam moderatione praestassent. Nec sane omnino sua perspicacissimum Virum spes fefellit. Ipse enim & Romae & alibi plures audivi nec malos, nec indoctos aut imperitos, qui Bossuetiano Opere pervoluto, nec indiligenter, ut eis videbatur, expenso, caussam hanc non ultra a Romanis Theologis sustinendam, sed veluti conclamatam & deploratam, dimittendam esse censerent. Nihil esse quod perspicuae veritati objici possit; nec unquam Scholasticis subtilitatibus aut distinctiunculis retundendam aut hebetendam aciem argumentorum, quae Cl. Adversarius eduxerat. Non enim, ut in Scholastica disputatione fieri solet, unum aut alterum locum ab eo produci, unde suas ipse consecutiones eliciat; quas ope Dialecticae artis eludere, aut aliis objectis locis obruere, arduum non est: sed omnibus Ecclesiae saeculis decursis, omnium Conciliorum actis evolutis, omnium celebriorum controversiarum historia clare lucideque contexta demonstratum ab eo esse, omnia, quae ad summam attinent, coalescere, & uni omnino formae respondere, quam Gallicani Episcopi edita Declaratione informarant; unde, ut ipse monet, existit illa dogmatum consensio ac plane unitas, in cujus amorem admirationemque ipsi hostes Ecclesiae, vel inviti rapiantur.

Rem ergo tacitus considerabam, nec enim animus erat, imparatum rem tantam aggredi; nec nisi instructis lustratisque copiis, quae mihi suppeterent, in pugnam descendere, cum nobili & potentissimo adversario manus conserturum. Sentiebam tamen, illius argumentis non eam inesse vim, quam plerique jactabant, nec omnino invicta esse arma, quibus utebatur. At multa erant quae a congressione animum revocabant. Primûm illud, ne apud multos temeritatis audaciaeque notam incurrerem, quod cum tanto hoste congredi non vererer: tum illud etiam, ne operam luderem, aut inanem laborem suscipere viderer eo versando argumento, quod nobilissima ingenia penitus exhausisse creduntur. Denique aut omnino ab hac caussa abstinendum existimabam, aut illam sic agendum, ut rationes Adversariorum funditus everterentur, nostrarum autem firma & inconcussa soliditas demonstraretur. Donec enim utrinquae probabilibus rationibus & aequalibus momentis agatur, nihil a nobis agi videtur. Non enim probabiliter sed certo constare debet, esse Petri successores ad fidei controversias dirimendas divina praeditos auctoritate, ut eorum decreta veluti Spiritus Sancti oracula, ac veluti certas & irretractabiles fidei Catholicae regulas excipiamus.

At postquam omnia, aut saltem praecipua, quae utrinque adlata fuerant, vel utrinque adferri possent, diligentissime contulissem, eorumque momenta librassem, hae ipsae rationes, quibus antea deterrebar, ad opus aggrediendum incitarunt. Tanta enim ad adstruendam Romani Pontificis in sanciendis fidei dogmatibus summam & ineluctabilem auctoritatem, [ut interim de aliis Sedis Apostolicae praerogativis taceam] mihi se obtulit gravissimorum argumento-

rum

Digitized by Google

rum copia: Contra vero ea, quibus ab Adversariis eadem Sedis Apostolicae auctoritas impetebatur, speciatim collata cum nostris, adeo levia visa sunt; ut, quantum ego sentio, alia fidei nostrae certissima dogmata, nec gravioribus niti momentis, nec levioribus premi difficultatibus videantur. Quod aliis etiam adprobari posse, qui praejudicatis opinionibus liberi aequas Veritati aures accommodarent, in animum induxi meum ratusque sum; dum tamen eamdem methodum, quam Illustrissimus Adversarius nobis oppugnandis, & nos tum ejus argumentis refellendis, tum nostris urgendis & confirmandis adhiberemus. Quod quum alii, qui in eadem se se palaestra exercuerunt, non adhuc, ut mihi videbatur, satis plene copioseque, pro ea quae suppetit rerum ubertate, praestitissent, haud inanem me lusurum operam judicavi, si rem totam ex integro retractarem. Quo etiam me ipsa & Operis & Auctoris celebritas, cui respondendum esset, vehementissime adegit, atque exstimulavit. Quamquam enim haud omnes curandos, imo & plerosque negligendos existimem luxuriantium ingeniorum foetus, levissimosque de hoc argumento libellos, ex uberi Galliarum solo quotidie fruticantes; haud tamen dissimulandum esse sentiebam hoc celeberrimi Auctoris opus, in quod omnia argumenta congesta essent, *quibus Clerus Gallicanus Declarationem suam munitam credidisset*. Nam hinc tanti Operis contemtus nostrae imbecillitatis argumentum videri posset; hinc vero non una vel altera, sed omnes simul hostium machinae disjectae, eorumque copiae profligatae judicari debent, si hoc unum Opus solide confutetur, impetitaque veritas adseratur.

Quum haec igitur a me, superno adflante Numine, praestari posse, non omnino diffiderem, experiri decrevi. Nam etsi quae mihi insunt, & quae Adversario, vires aestimentur, longe me congressioni imparem esse sentio; longe tamen alia ratio est & caussae, pro qua certamus, & apparatus armorum, quibus in hoc certamine utimur. His namque mirum quantum superiorem ipse me judico. Haec enim invicta, illa vero adeo imbecilla videntur, ut nulli fere usui Adversariis esse debeant. Nam quod velut achilleum objiciunt, post Apostolicae Sedis decreta, ad terminandas fidei controversias, Synodos Oecumenicas celebratas, quam in nostram sententiam inaniter torqueatur, inde apertissime constat, quod Conciliorum generalium maxima pars ad ea Sedis Apostolicae decreta fideique dogmata vindicanda, coacta est; quibus tanquam immotis fidei Catholicae regulis Episcoporum per universum orbem unanimitas, paucis ex adverso reclamantibus, adhaerebat: quaeque proinde juxta notissimam & pervulgatam Tertulliani, Vincentii Lirinensis, aliorumque Patrum doctrinam, ad eam jam fidem pertinebant, quae sola est immobilis & irreformabilis. Hoc itaque argumento ii tantum uti possunt, quibus paucorum Episcoporum resistentia satis est ad totius mundi consensum elevandum: a cujus opinionis pravitate quam longissime abesse Gallicanorum Episcoporum ac Theologorum maximam partem ex eorum libris ac Thesibus compertum & exploratum

habe-

Digitized by Google

habemus. Quam ergo nos potiori jure [ut alia interim omittamus quae deinde speciatim ac dearticulate expendemus] illud eis generatim ex Conciliis objicimus, nullum esse coactum, & legitime celebratum, vel in auctoritatem receptum, in quo non secundum Romanos Pontifices judicatum sit! Victori Romano Pontifici Pascha legitimo tempore celebrari jubenti restitit Polycrates, Stephano collatum ab haereticis Baptisma ratum habenti Cyprianus in Africa, Firmilianus in Asia restiterunt: Sed Victoris & Stephani sententiam Nicaena Synodus adprobavit. Liberio & Damaso pro Spiritus Sancti Divinitate pugnantibus Semi Ariani & Macedoniani; Caelestino Nestorium & ejus in Christum ejusque Matrem blasphemias diris devoventi Nestorius ipse & Antiocheni tractus Episcopi; Leoni Magno in Eutychianam impietatem detonanti Dioscorus & Pseudo Synodus Ephesina; Severino & aliis ad Agathonem usque Romanis Pontificibus pro duabus in Christo voluntatibus etiam usque ad sanguinem decertantibus Regiae Urbis Patriarchae aliique Orientis Episcopi; duobus Gregoriis Secundo & Tertio, eorumque usque ad Hadrianum Primum successoribus Graecorum Imperatores Iconomachi; Nicolao Magno, & Hadriano II. Photius ejusque Schismatica factio, pertinacissime refragati sunt; atque, ut Adversarii volunt, propter dijudicandam eorum adversus Romanos Pontifices caussam, Constantinopolitana prima, Ephesina, Chalcedonensis, sexta, septima, & octava Oecumenicae Synodi celebratae sunt. Quid est ergo, quod tot inter diuturnas & acerrimas contentiones Romana Sedes nunquam a veritate deflexit, quod semper victrix evasit, quod de omnibus hostibus triumphavit? Neque secus in Occidentalibus Synodis eadem Apostolica Sedes fide, justitia, pietate, Religione, & veritate munita, Haereticos, Schismaticos, ipsos quoque Principes summos quamquam scelere & impietate furentes, suas subire leges coëgit; nec aliquando contigit, ut aliquod ejus de fide decretum, aut ullus decretorum ejus apex Synodi generalis auctoritate reformaretur. Neque in iis tantum controversiis, quibus sopiendis ex universo Christiano orbe in Oecumenicas Synodos Episcopi convenerunt; verum in aliis quoque, quibus terminandis generalis Synodi congregatione opus non fuit, rectum, & indeclinabile, & indeficiens, & Catholicae veritati indivulse cohaerens, Sedis Apostolicae judicium ubique & semper emicuit. Quid ergo, inquam, est, quod tot inter fluctus & tempestates Romana Ecclesia non modo submersa non est, verum & inquirentibus & amantibus veritatem nunquam non exstitit salutis arca, nisi quia Christum habet Rectorem, qui illi jugiter praesidet, & omnes adversarias cohibet potestates? quod hisce ipsis verbis docet S. Thomas Cantuariensis Episcopus & Martyr (a). An ergo septemdecim saeculorum experimentum satis esse non debet, ut si quid in Christi promissis & verbis, quibus Petrum ejusque Successores [ut id Patres, atque ipsae Oecumenicae Synodi intellexerunt] fidei columnas & Ecclesiae immobile fundamentum, nec non cen-

(a) Lib. I. Epist. XCVII.

Digitized by Google

centrum Unitatis Catholicae destinavit ; quibus item pro eodem Apostolorum Principe, ejusque in Sede Apostolica Successoribus rogavit , ne deficeret fides eorum ; adeoque ne unquam adversus eos portae inferi praevalerent ; si , inquam , in his Christi verbis atque promissis , & in veteri traditione, quae Christi verborum & promissionum interpres fidissima est, quidpiam esset obscurum & ambiguum , septemdecim saeculorum experimentum satis esse non debet , ut eis certam perpetuae firmitatis & inerrantiae promissionem contineri , & persuasum habeamus , & constantissime praedicemus ? Hinc in Libello fidei , ad quem sollenniter profitendum , per plura saecula in ipsis quoque Oecumenicis Synodis Orientales Episcopi adacti sunt, utraque conjungebantur , nimirum & certa Christi promissa , & rerum ipsarum experimenta : quibus certo constaret , Christianam religionem & Catholicam fidem semper integram , & inviolatam , & immaculatam in Sede Apostolica permanere.

His autem semel constitutis, & Patrum & Conciliorum traditione firmatis, quid quaeso momenti esse potest in iis quorumdam Pontificum Romanorum privatis erratis ac lapsibus, quae Bossuetius cum aliis exaggerat, alii vero ex ipsis etiam Adversariis nullo modo ad praesentem controversiam & caussam pertinere , candide agnoscunt , & profitentur (a) ? An ex iis , quae incerta & ambigua sunt , quae aliter interpretari licet , quae ad caussam minime pertinent, de iis judicandum & statuendum est , quae inconcussa , quae certa sunt , quae alio flecti , & in alium sensum detorqueri , nisi vi adhibita , & audaci sententiae depravatione non possunt ? Nos eas Sedis Apostolicae Romanorumque Pontificum Constitutiones irretractabiles & irreformabiles esse dicimus , & propugnamus , quibus Catholica fides ab ingruentibus erroribus adseritur & vindicatur ; quibus sacrarum literarum & Ecclesiae traditionis sensus exponitur & sancitur ; quibus quidquam omnibus Christianis & corde credendum ad justitiam , & ore profitendum ad salutem , Principis Apostolorum adsumta persona , & adscita auctoritate decernitur , perinde atque ipse Petrus in sua Sede vivens & praesidens praestaret adhuc quaerentibus fidei veritatem ; Hae , inquam , sunt Apostolicae Sedis Constitutiones, quas & Christi pollicitationibus Petro factis , & constanti Conciliorum & Patrum traditione freti, ante quascumque Synodos Oecumenicas , velut certas & immotas fidei Catholicae regulas habendas esse docemus & praedicamus . Hujusmodi illae fuere , juxta Gallicanos Episcopos scribentes ad Innocentium X. quibus hic Pontifex quinque - Jansenii propositiones confixit . Hujusmodi & illae fuere , laudatis Episcopis Gallicanis in eadem ad Innocentium epistola auctoribus , quibus olim Damasus ante secundam Synodum Oecumenicam Macedonii & Apollinarii commenta haeresesque prostravit . Hujusmodi ob easdem rationes & illas fuisse contendimus , quibus olim S. Caelestinus Nestorianam , & Leo Magnus Eutychianam , & Martinus I. Mono-

(a) Tourn. de Eccles. Tom. II. Quaest. V. art. III. pag. 183. & seqq.

Monothelitarum, & duo Gregorii & Hadrianus Iconomachorum haeresim profligarunt. Hujusmodi & illae, quibus ab Anastasio I. haeresis Origeniana, ab Innocentio I. & Zosimo Pelagiana, ab Hadriano I. Feliciana compressae sunt. Denique hujusmodi & illa, qua nuper Clemens XI. Jansenianae pestis reliquias delevit. Accessit quidem ad hasce Sedis Apostolicae Constitutiones sollenniaque pro sancienda regula fidei Pontificum Romanorum judicia Ecclesiae universae consensus; accessit, inquam; verum ideo accessit, quoniam, ut auctor est splendidissimum illud Galliarum, imo & totius Occidentis & Orientis jubar S. Irenaeus (a), necesse est, ut omnis Ecclesia cum Romana, propter potiorem ejus principalitatem, in fidei rebus conveniat: quoniam, ut ait Tertullianus (b), *omne genus ad originem suam recenseatur necesse est*: ac (c) *proinde omnem doctrinam, quae cum Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam*: quae vero ab illis damnetur, *de mendacio praejudicandam*. Superest autem hodie inter Apostolicas sola Ecclesia Romana universo orbi Catholico matrix & radix & origo fidei; ex qua proinde necesse est ceteras per orbem Ecclesias & traducem fidei, & Apostolicae adeoque genuinae minimeque fucatae doctrinae semina mutuari. Denique, quoniam Petri Sedes juxta veterum Patrum constantem & unanimem traditionem, centrum est Catholicae unitatis, & communionis; haec autem praerogativa (d) eadem cum illa sentiendi necessitatem imponit; atque illud ejusdem Tertulliani adversus quamcunque novam & extraneam doctrinam invictum est (e): *Communicamus* cum Ecclesia Apostolica, *quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis*. Adeoque signum falsitatis & erroris est, quum quis ob diversitatem doctrinae ab Ecclesiae Apostolicae communione repellitur. Nam, ut idem observat (f) *Jura* communionis & pacis *non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio*; ac proinde Sedes Apostolica centrum unitatis non esset, nisi ei vis & auctoritas inesset ad omnes Ecclesias sibi unius fidei doctrinaeque vinculo conjungendas.

Quum haec itaque aliaque hujusmodi perspecta haberem & explorata, quumque ea nulla ratione & arte convelli & labefactari posse intelligerem; pervidi etiam, non adeo arduum ac difficile opus esse, tum ea repellere quae ab Illustrissimo Adversario tanto fragore & strepitu objecta sunt; tum etiam adserere & vindicare, nativaeque luci & splendori restituere quae ipse infirmandà & obscuranda suscepit. Quod ut efficacius praestarem statui ipsius vestigiis insistere κατὰ πόδα eademque & acta & monumenta, & majorum testimonia recensere, quae ipse *integra & tota* se retulisse testatur. Quod tamen [pace id Illustrissimi & eruditissimi Viri dixerim] quam longissime a vero abesse comperi: nisi forte hoc unum his verbis & ipse significare, & a nobis intelligi voluit, nihil a se neglectum ac praetermissum, quod utcun-

 que

(a) Lib. III. advers. Haeres. c. 3.
(b) Lib. de Praescript. cap. XX.
(c) Ibid. cap. XXI.
(d) Petr. de Marca lib. I. de Conc. Sac. & Imp. c. II.
(e) Ubi sup. cap. XXI.
(f) Ibid. cap. XX.

que ad suam caussam juvandam & sustinendam, nostram autem deterendam & elevandam facere posse videbatur. Nam quae nobis militant, & quibus potissimum nitimur, omissa fere ab illo & neglecta sunt, atque in iis confutandis immoratum, quae leviora sunt, & in quibus caussae praesidium & firmamentum minime collocandum existimavimus: ut, quae Bellarminus de celebri S. Leonis ad Flavianum epistola; quae idem doctissimus Cardinalis, Baronius & alii de interpolatis, in iis quae ad Honorium pertinent, sextae Synodi aliisque vetustis actis & monumentis; & quae Duvallius de Pontificiae confirmationis effectu, aut quae Anonymus in tractandis aliquot Augustini locis, aut quae alii de Episcoporum in Synodis Oecumenicis munere & auctoritate, minus commode disseruerunt. Quae sanae aliaque hujusmodi loca ipse de industria excerpsisse videtur, non tam ut ea serio confutaret, quam ut Lectoribus persuaderet, ad has tandem, ut ipse ait, *ineptias & insanias* eos redigi oportere, qui nostram sententiam tueri velint. Quo certe artificio nihil est quod levibus ingeniis, nec solida eruditione subactis, & examen refugientibus [quae Lectorum maxima pars est] non facile persuadeas. Aliam itaque ingredi & insistere viam ipse constitui; singulaque Capita retractare adgressus sum, in quae suos libros Illustrissimus Adversarius distribuit: ne videlicet ullus suspicioni locus pateret, aut quidquam a me omissum diceretur, quod ad caussam maxime pertineret. Propterea singulorum Capitum titulos, quibus summa rerum & series indicatur, ipse retinui; adjunctis etiam, summaque fide ac diligentia exhibitis, quae opportuna judicavi ad Adversarii mentem accurate ac dilucide repraesentandam. Addidi quoque, ubi rerum ubertas & copia id exigere visa est, unum aut plures Articulos, quibus aut supplerem quae ab Illustrissimo Auctore neglecta sunt; aut complanarem, nativoque sensui restituerem, quae ille minime cohaerentibus interpretamentis detorserat; aut confirmarem & urgerem quibus ipse pondus spiritumque detraxerat; aut repellerem tela quae in nos contorserat, & machinas everterem, quibus ab illo oppugnati sumus. Quamquam autem integrum hujusce rei judicium penes aequum Lectorem esse debeat; attamen id non tam male & infeliciter cessisse video, ut non hunc saltem laboris mei fructum mihi promittere ausim, veterem splendorem doctrinae nostrae restitutum iri, qui aliquanto videbatur Cl. Viri disputationibus obscuratus: Et contra omnes facile adsensuros, nimia esse, & quam longissime a veritate dissita, quae idem Cl. Auctor de Cleri Gallicani Declaratione se demonstraturum spopondit; *nihil* videlicet ab eo *novi prolatum, sed vetustam, atque constantem Universae Ecclesiae sententiam repetitam; eamque a Scripturarum fonte, atque Apostolica traditione manantem*. Et rursum: *Rem confectam, judicatam, definitam dabimus Majorum sententiis*. Haec ille: nos autem huic e diametro adversam doctrinam atque sententiam tanta fiducia tuemur; ut qui haec nostra lecturi sunt vehementer hortemur, ne ab eis disjungant quae pro contraria opinione ab Episcopo

Mel-

Digitized by Google

Meldensi conscripta sunt, sed utraque simul conjungant, & singula Operis illius Capita cum meis Observationibus & Articulis serio, ac diligenti examine summaque accuratione contendant. Ita enim facilius & planius intelligent, quis nostrum universae Ecclesiae sententiam doceat vetustam atque constantem, & e Scripturarum fonte atque Apostolica traditione manantem.

Superest ut tandem rationem indicemus inversi a nobis ordinis; cur nimirum Bossuetiani Operis examen ab ea Propositione auspicemur, quam in ultimum locum Gallicani Episcopi rejecerunt. Verum ea ratio statim in omnium oculos insilit. Quis enim non facile intelligat, ex hac quarta Propositione ceterarum veluti sortem judiciumque pendere? Si enim Romani Pontificis Sedisque Apostolicae judicium Ecclesiae universae judicio subjectum est, ejusque retractandi ac reformandi Ecclesia universa jus habet; plane inde consequens est, majorem esse Oecumenicae Synodi, universam Ecclesiam repraesentantis, quam Romani Pontificis uniusve Sedis Apostolicae auctoritatem: [quae altera Cleri Gallicani propositio est:] adeoque & Apostolicae Potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos; uti tertia Gallicanae Declarationis propositione sancitur. At contra si Romanus Pontifex ad sanciendas fidei morumque controversias summam ex se & indeclinabilem, nulliusque obnoxiam judicio, ipsius Christi institutione divinoque jure, obtinet auctoritatem; profecto Oecumenicae Synodi non est ejus, praesertim de fide, judicia retractare; aut leges illi ac terminos constituere, quos transilire non liceat, & quibus concessae illi divinitus potestatis amplitudo coërceatur. Quum ergo secunda & tertia propositio ex hac quarta religatae sint, & ad hanc veluti amussim & regulam exigendae sint; naturalis ordo exigere visus est, ut prius in confutanda quarta Propositione, & in doctrina, quam illa aggreditur, stabilienda versaremur. Id autem nos ea moderatione perfecisse confidimus, quae summo Viro, aliisque suis Operibus de Ecclesia optime merito debebatur: nec ipsos Adversarios quidquam in hac nostra disputatione notaturos credimus, quo Episcopalis dignitas laesa sit, vel ubi officio defuerimus, quo Gallicanum Clerum, doctrinae pietatisque fama conspicuum, ex animo colimus. Nam neque ipsas cum haereticis disputationes contumeliis & conviciis tractandas existimamus; quanto ergo magis modestia gravitasque servanda est, quum pugna inter Catholicos agitur, aut quum nos justa veritatis defensio cum summis Viris, & Ecclesiasticis dignitatibus & eruditione fulgentibus, committit? Neminem ergo nobis succensendum existimamus ob modeste susceptam Bossuetiani Operis confutationem. Non enim nisi injuria id a nobis Galli contenderent, quod quum ipsi innumeros quotidie adversus Sedis Apostolicae jura libellos, felle ut plurimun conditos, in vulgus spargant, nobis ne hiscere quidem fas esset ad ejusdem Sedis dignitatem auctoritatemque tuendam, & ab eorum adsultibus vindicandam.

Digitized by Google

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacrae Theologiae Professor, ac totius Ordinis Praedicatorum humilis Magister Generalis & Servus.

HArum serie nostrique auctoritate Officii licentiam concedimus Patri Magistro Fratri Josepho Augustino Orsi Congregationis nostrae S. Marci de Florentia, Sacrae Congregationis Indicis Secretario, ut Typis mandare valeat Opus ab ipso compositum, ac in tria Volumina distributum, cui Titulus: De Romani Pontificis irreformabili in definiendis Fidei controversiis judicio &c. cum adjuncta Dissertatione De modo conciliandi &c. postquam revisum & approbatum fuerit ad Adm. RR. PP. Magistris Fr. Pio Thoma Schiara Provinciae nostrae Utriusque Lombardiae, Bibliothecario Casanatense, & Fr. Dominico Vincentio Elephante Provinciae Romanae in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sacrae Theologiae Lectore: servatisque aliis de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his Sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus. Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae super Minervam die 29. mensis Aprilis 1739.

Fr. Thomas Ripoll Magister Ordinis.

Reg. fol. 70.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Dominicus Ponsi Mag. Ex-Provincialis & Socius.

APPROBATIO.

JUssu Rmi P. Magistri Generalis nostri Fr. Thomae Ripoll legi tria Volumina, quae De Romani Pontificis irreformabili in Fidei Controversiis Judicio V. Cl. Joseph Augustinus Orsi Sacrae Indicis Congregationi a Secretis adornavit; & legi certe cupidissime jucundissimeque: gratulatusque cum primis sum Ordini meo, post amplissimos Turrecrematam & Cajetanum summumque Canum, suis quemque temporibus celeberrimos pro Romana Ecclesia pugnae Duces, nostro hoc quoque Aevo Spartam hanc Familiae nostrae Viro contigisse, tanta Doctrinae atque Eruditionis laude, apteque & eleganter copioseque dicendi praestantiâ cumulato, quocum congredi, si in vivis ageret, minime de dignaretur Magnus ille alias Meldensium Episcopus. Quam merito de auctore nostro tot jam vulgatis Operibus probatissimo ista depraedicem, qui se posito partium studio praeclarissimum hoc serio attenteque perlegerint, atque cum Bossuetiana Gallicae Declarationis Defensione contulerint, plane deprehendent. Ita profecto rem exequitur, ut non modo reprimat Adversarii conatus omnes, verum & arma praecipua, quibus sibi de victoria pene parta adblanditus fortasse fuerit, omnino eripiat, quin & in illum suosque contorqueat; nostra vero ita acuit firmat invicteque tractat, ut nullo jam retundi scuto, ullo nec effugio Theologica gravitate digno declinari ab Adversariis

Digitized by Google

fariis posse mihi videantur. Exordio enim a Concilio Apostolorum petito, per cetera generalia usque ad Tridentinum, ducta vindicataque Traditione; quam potissimum Defensionis Auctor ostentaverat, hanc pro se perpetuo stare, tam distincte tam valide luculenterque demonstrat; Scripturarum quoque & Patrum loca ita enucleat urget atque exornat, ut optimam Causam apud Veri Amatores prorsus illum confecisse suspiciam. Opus itaque quammaxime Orthodoxum pro Fidei & Unitatis Arce elaboratum, utilitati publicae jure proferendum existimo. Romae apud S. Mariam super Minervam Idibus Maji MDCCXXXIX.

Fr. Pius Thomas Schiara Ord. Praed. S. Theol. Mag. Casanatensi Bibliothecae Praef.

APPROBATIO.

JUssa exsecutus Rmi P. Fr. Thomae Ripoll Ordinis Nostri Generalis Magistri perlegi Opus in tria Volumina tributum, quod inscribitur: DE IRREFORMABILI ROMANI PONTIFICIS &c. nec non Dissertationem Secundo Volumini adnexam: DE MODO CONCILIANDI &c. maximaque cum voluptate perspexi, Virum Cl. Josephum Augustinum Orsi Sac. Indicis Congregationis a Secretis cum Jacobo Benigno Bossuetio, qui unus omnium in Galliis maxime floruit, conserentem manus, eo dicendi robore, mentis acie, eruditionis, & eloquentiae copia hujus argumenta propulsasse, ut non inanem sumsisse operam mihi visus sit. Caussam dicere felici ausu adgressus est, non eam sane, quae deserta pene, ac desperata esset; sed cui sapientissimus ceteroquin Bossuetius sui nominis fama, atque dicendi copia damno fuerat; ut Nostrates non pauci hujus lucubratione pellecti caussa sese excidisse tantum non sint arbitrati. Sane longissime abest ut quicquam in eo opere evolvendo deprehenderim, quod ad amussim dogmatum nostrae Fidei, proborumque morum rite sciteque non sit exactum; immo vero solide juxta ac sancte ea ipsa ubique tuetur Autor, Romanorum Antistitum Privilegia ab Adversarii telis strenue vindicando. Illud igitur Autoris fama dignum Opus publica typorum luce frui posse, servatis alias de jure servandis existimo. Romae e Coenobio S. Mariae super Minervam, XVIII. Kalendas Quintiles Anno Aerae vulg. MDCCXXXIX.

Fr. Dominicus Vincentius Elefante S. Theologiae Mag. ejusdemque in Collegio Urbano de Propaganda Fide Professor, ac Sac. Congregationis Indicis Consultor, Ordinis Praedicatorum.

APPROBATIO.

QUot quantaque praeconia Gallicarum Libertatum Vindices & Assentatores in posthumum derivaverint Opus Jacobi Benigni Bossuetii Episcopi Meldensis, ubi famosa Cleri Gallicani Declaratio Anno 1682. Parisiis edita

fuso

Digitized by Google

fuso calamo propugnatur, notius profecto est, quam ut hic palam fieri indigeat. Gratulabantur scilicet sibimetipsis hujuscemodi Librum, eoque in tuto se positos jactitabant, praesertim, quod per octo & amplius annos postquam typis prodiit, nemo id Operis refellere atque elevare de industria aggressus esset. Haec autem exultatio, quae doctis piisque viris qua indignationem, qua commiserationem exprimebat, zelum ac doctrinam excivit Reverendissimi P. Magistri Fr. Josephi Augustini Orsi Ordinis Praedicatorum Sacrae Congregationis Indicis a Secretis, ob alias a se evulgatas Lucubrationes de Sacris Studiis optime meriti; qui adeo solidam, eruditione plenam, undique sanam, ac simul claram, elegantem, supercilii fellisque expertem Bossuetiano Operi Responsionem adhibuit, ut illius inanitatem infirmaque fundamenta oculis vel caligantibus inspicienda coram exhibeat. Quum vero tribus hujusce Responsionis Voluminibus ab Rmo P. Fr. Aloysio Nicolao Ridolfi Sac. Pal. Apostol. Magistro meae censurae concreditis, quae De Romani Pontificis irreformabili in definiendis Fidei Controversiis Judicio inscribuntur, ejusmodi dotes inesse omnes citra indaginem deprehenderim; ea ipsa tria Volumina approbo, collaudo, luce typisque dignissima judico. Eademque plane sententia superadditam circa id argumenti in Petrum de Marca dissertationem tutus autumo excipiendam.

Romae ex Aedibus S. Mariae ad Montes die 10. Aprilis 1739.

Thomas Sergius Congreg. Piorum Operar. S. Rom. Inquisitionis Consultor.

APPROBATIO.

Opus inscriptum De Romani Pontificis irreformabili in definiendis Fidei Controversiis Judicio Auctore Rmo P. Magistro Josepho Augustino Orsi Ordinis Praedicatorum Sacrae Congregationi Indicis a Secretis, cum jussu Reverendissimi Patris Aloysii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magistri attente perlegissem, non potui quin illud vehementer laudarem, adprobaremque. In eo Clarissimus Auctor posteriores quatuor Libros Defensionis, quos ad convellendum Romani Pontificis in Fidei Controversiis non errandi Privilegium Jacobus Benignus Bossuetius Meldensis Episcopus exaravit, ad trutinam revocat, ac ejus argumenta magno apparatu, singularique artificio exposita dispungit, atque refellit; luculentissime probans nullum Antiquitatis testimonium, nullum sequioris Aevi monumentum Meldensis opinioni patrocinari; quinimo ex Scripturarum, Pontificum, Conciliorum, Patrum, aliorumque Scriptorum conspiratione & consensu invictissime confici, Romanum Pontificem errori haud esse obnoxium, dum Fidei Quaestiones ex Apostolico Tribunali dijudicat. Tanto autem argumentorum pondere, tanta doctrinae copia, ac tam subacto judicio haec proponit, ac firmat, ut eorum plausus, qui sibi de prostrato per Bossuetium Romanae Cathedrae indeficientis Judicii Privilegio blandiebantur, silere jubeat. Utrumque enim Ille in sua

caus-

caussa agendi caeteros, qui eandem pertractarunt longe superasse sit visus, ac qui nihilominus rerum aestimatores post diligentem Operis Clarissimi Patris Orsi Lectionem facillime agnoscent, quantum Meldensis Episcopus egregiis Operibus adversus errantes conscriptis celeberrimus a se distet, dum praejudiciis dispendio veritatis obsequitur: ac simul fatebuntur Clarissimum Auctorem praestantissimi Vindicis Apostolici Privilegii numeros, ac partes implevisse; & ita quidem, ut alium difficile sit invenire, qui solidioribus rationum momentis, profundiorique eruditione inconcussam quam tuetur, veritatem, Lectoribus confirmarit, atque persuaserit. Ita de hoc Opere, quod omni errore purum est, praeloque dignissimum, censeo.

Romae ex Aedibus S. Callisti die 20. Maji 1739.

D. Fortunatus Tamburinus Abbas S. Petri Mutinae Sacr. Congregationum Rit. & Ind. Consult. ac Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis Qualificator.

APPROBATIO.

Perlegi, sic jubente Rmo S. A. P. Magistro, quam diligentissime potui, pro Operis merito, Auctorisque praestantiâ, Tomos tres De irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei Controversiis judicio, adversus quartam Gallicani Cleri propositionem ab Illustriss. J. B. B. Meldensi Episcopo propugnatam, Auctore Rmo P. Josepho Augustino Orsi Ordinis Praedicatorum Magistro, & S. Indicis Congregat. Secretario. Opus profecto est sine fuco, pietatis solidissimae; sine saevitiâ, acutissimae disquisitionis; sine elatione stupendae eruditionis; sine elatione stupendae eruditionis; sine studio sententiosae elegantiae; & ita in amoeniora excurrit Auctor, ut non diffugiat sentes, sed exaequet; sic implexa pertractat, ut enodet; sic obscura ventilat, ut copiosâ subtilitate vera a nothis secernat. Equidem Illmus Bossuetius sui celebritate nominis, opere illo posthumo tam redundanti sermone, totque congestis undecunque antiquae memoriae documentis, propositionem Cleri Gallicani defensionem suscepit, ut siquis unquam, is certè in hac concertatione vicisse videri posset; atque virorum quorumdam mentem ita perculit, ut Caussam Apostolicae Sedis non ultra ab Italis Theologis suscipiendam, ac veluti conclamatam dimittendam esse censerent; nullumque ausurum in pugnam descendere, atque manus cum tam celebri Adversario conserturum arbitrarentur. Sed vanum hunc timorem prorsus abjecit Auctor noster, qui solidissimae doctrinae ubertate argumentis Bossuetii non eam inesse vim, quam illi jactabant, nostris vero firmam, & inconcussam superesse demonstrat; adeo ut collatis invicem rationibus, quibus Auctoritas Apostolicae Sedis in hoc Opere munitur; & iis quibus ab Adversario impetitur; istae adeo leves visae sunt, ut, quantum ego sentio, alia fidei nostrae certissima Dogmata nec gravioribus niti momentis, nec levioribus impeti difficultatibus videantur. Atque huic quidem

Digitized by Google

dem testimonio, quod solius veritatis conscientiâ ductus perhibeo, non refragabitur, opinor, quisquis hoc eximium opus sedulo evolverit. Unde sentio Opus praestantissimum esse, ac dignissimum, quod diu a multis exoptatum lucem videat, ad sui Auctoris gloriam, & ad publicam omnium utilitatem.

Ex Collegio S. Francisci de Paulâ die 8. Maji 1739.

Fr. Franciscus Zavarroni Ordinis Minimorum Ex-Generalis, in Collegio Urbano de Propag. Fide Sac. Theologiae Polemicae Lector, Sac. Congreg. Indicis Consultor, & S. Rom. Univ. Inquisitionis Qualificator.



REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dom. Jordani Patr. Antioch. Vicesgerens.



REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Sacri Palatii Apostolici Magist. Ord. Præd.

TO-

Digitized by Google

TOMI PRIMI

PARS PRIMA:


De quaestionibus fidei per sex priores Oecumenicas Synodos definitis. Nihil in eorum Actis occurrere, quod cum nostra sententia non facile concilietur: quae inde etiam uberrime illustratur & confirmatur.

LIBER PRIMUS.

Digitized by Google

Ro-

Digitized by Google



AR-

Digitized by Google

AR-

Digitized by Google

Digitized by Google



L I.

Digitized by Google

DE VITA
JOSEPHI AUGUSTINI
CARDINALIS URSII.



Osephus Augustinus Ursius Florentinus, parentes habuit Josephum Ursium & Elisabetham Jannetiam quibus etsi honos, ac jus Florentinæ Civitatis hereditarium, tamen non admodum ampla res familiaris erat. Ab his, quod integritate morum eminerent, quanta diligentia fuerit Josephus jam a prima ætate institutus, facile est existimare: Quantam vero is de se jam tum omnibus faceret expectationem, hoc erit testimonium. Quartum agebat ætatis annum, cum ad Materteram, quæ in oppido S. Cassiani, quod Florentia millia passuum octo abest, religiosum vitæ genus professa fuerat, eum parentes adduxerunt. Erat eo loci eadem vita institutoque astricta virgo quædam laude pietatis excellens e gente Paolsanta, quæ ut puerulum vidit, patri ominata est illum Romana purpura illustrem fore. Quod prædictum facile obtinuit fidem, non solum quia non sine aliquo instinctu inflatuque divino factum esse putabatur, sed etiam quia non levi confirmabatur conjectura. Elucebat enim in puero indoles ad virtutem magna, quæ summa omnia atque præclara portendere videbatur. Politioribus studiis, ut primum per ætatem licuit, viris e Societate Jesu magistris usus, operam adeo diligentem, tantoque cum progressu dedit, ut industriam laudarent omnes, ingenium admirarentur. Nec minori laude, cum se ad Philosophiam contento cursu transtulisset, in ea versatus est, secutus Peripateticos. Tali modo quasi gradu quodam, atque aditu ad ceteras facultates jacto, Pisas proficisci meditabatur, ut ibi Juri Civili & Pontificio studeret. Sed repente hoc consilium abjecit, ut se totum Deo voveret, eam putans esse præclaram beate vivendi & simplicem & directam viam, quæ vix rerum humanarum flucti-

Digitized by Google

bus alluatur. Itaque Fesulas ad S. Dominici Cœnobium se contulit, ibique IX. Kal. Martias anno MDCCVIII., cum ageret septimum & decimum ætatis annum in Prædicatorum Familiam cooptatus est, nomine sibi imposito Josephi Augustini, cum antea Augustinus Franciscus appellaretur. Annum ipsum cum tiro ita vixisset, ut facile prospicere Collegæ ejus possent, qui veteranus aliquando futurus esset, incredibili eorum omnium voluntate, suam Ordini, cui nomen dederat, perpetuo obstrinxit fidem. Florentiam inde missus ad excolenda in Cœnobio S. Marci rerum divinarum studia, tantam in his operam collocavit, ut ternas vel ad summum quaternas noctis horas quieti concederet. Præsertim vero his temporibus versatus est in legendis SS. Patrum operibus, cognoscendisque Historiæ Ecclesiasticæ monumentis; videbaturque jam ab adolescentia, perfectum quiddam atque absolutum hoc in genere attigisse. Neque illud est prætereundum, quod nunquam se ad legendum conferebat, quin prius, secutus splendidissimum illud non modo sui Ordinis, sed etiam Catholicæ Ecclesiæ lumen Thomam Aquinatem, preces quasdam diligenter adhibuisset. Quæ, aliaque multa sinceræ pietatis signa cum effugere non possent oculos suorum, illud fiebat, ut non minori apud illos esset opinione sanctitatis, quam doctrinæ. Non post multo quam Sacerdos est factus, suscepit munus docendi; docuitque eodem in Cœnobio S. Marci Philosophiam primum, satis quidem docte & perite; mox Theologiam tanta nominis sui commendatione, tantaque auditorum frequentia, ut magna adhuc memoria sit ejus magisterii. Etenim non exsuccum quidpiam exhibebat auditoribus suis, sed plenum ac perfectum, quodque argumentorum vi, variaque eruditione animos & veritate percelleret, & singulari voluptate perfunderet. Sed tamen adhuc Ursii fama exiguis continebatur finibus. Hi vero: multis postea ab eo scriptis libris, magnisque doctorum virorum de iis judiciis, sic amplificati sunt, ut ille non minus fuerit absentibus, quam suis civibus cognitus. Est Florentiæ *Melani*, quod vocant, *Oratorium* ad S. Jacobi in eo statis diebus cœtus habebantur illustrium aliquot civium Florentinorum, cum quibus una adesse, deque divinis rebus, rectaque institutione morum familiari sermone

col-

colloqui unus aliquis consueverat Cœnobii ad S. Marcum Alumnus. Id munus cum Ursio obtigisset, accidit ut aliquando sermonem instituerit de mendacio, docueritque quam illud esset indignum non solum orthodoxo, sed etiam honesto quolibet homine. Cui e sodalium unus: *Valde tibi assentior illud quod a te dictum est; sed velim mihi persuaderi, non extare, ut aliqui existimarunt, & in his Carolus Ambrosius Cataneus, legem quandam hominum consensu statutam, quæ verbis interdum omnem adimit sensum, sic ut* est, *&* non est, *desinant esse notæ affirmationis & negationis, nihilque sonent, quando ex proditione veri nasci opertet grave aliquod damnum, puta vitæ, rei, atque existimationis*. Hanc sententiam paucis tum verbis confutavit Ursius; sed mox accuratius, & copiosus auctoritatibus, exemplis, & rationibus conquisitis, oppugnandam putavit. Librum ergo confecit, ediditque Romæ an. MCCXXVII. quo contendit legem illam ignorasse veteres Philosophos & Ecclesiæ Patres, e quorum scriptis, ac præsertim Augustini multa sumit, quibus in hac quæstione testimoniis utatur: clara & illustria Martyrum exempla in medium profert, qui mortem oppetere maluerunt quam veritatem lædere: hoc exigere Dei Numen, naturæque rationem dicit, ut verba declarent animi nostri sensus, propterеaque non esse in potestate hominum, excogitato materiali, ut vocant, verborum usu, divinam hanc, naturalemque legem dissolvere. Hæc aliaque hujusmodi bono in lumine posita, & haud impolite patrio sermone explicata, satis multa esse putabat Ursius ad sententiam suam propugnandam. Quoniam vero non defuere qui illa conati sunt invadere, non dubitavit iterum in arenam descendere; editoque in vulgus altero libro, ut sua magis magisque confirmaret, & quæ contra dicebantur dilueret, excitatæ de se expectationi cumulate satisfecit. Sed non propterea alterius partis propugnatores siluere. Cumque horum nescio quis epistolam vulgasset, quæ maximam apud eosdem consecuta fuerat celebritatem, hanc continuo adortus est Ursius, opposuitque ei *Demonstrationem* quandam *Theologicam*, in qua est summa quædam continuatio seriesque argumentorum, ut aliud ex alio nexum, & omnia inter se apta colligataque videantur. Inter hæc siquid incurreret

 subse-

Digitized by Google

ſubſecivorum temporum , quæ homo , ſiquis unquam alius induſtrius , perire non patiebatur id ille totum inſumebat in actis martyrii Sanctarum Perpetuæ , Felicitatis , Sociorumque illuſtrandis vindicandiſque iiſdem Sanctis Martyribus a Montaniſmi nota , quam Samuel Baſnagius , plaudentibus Actorum Lipſenſium Scriptoribus , illis inurere ſtuduerat . Quod ſi laude dignos eos exiſtimamus , qui ſcriptis ſuis a Platone , Ariſtotele , Epicuro , Solone , aliiſque antiquitatis Philoſophis criminum ſuſpicionem propulſarunt ; quanto magis prædicandus eſt is , qui non inanis ac falſæ ſed ſolidæ ac veræ ſapientiæ cultores , propagatoreſque eximios,& unde tot & tam præclara ad nos dimanarunt exempla virtutum,ſibi defendendos ſumit adverſus inimicorum calumnias?Urſius igitur librum elucubravit, ac typis commiſit an.MDCCXXVIII.in quo firme , eleganter , ac copioſe comprobat horum Martyrum orthodoxiam , omneſque contrarias Baſnagii rationes labefactat . Cujus rei nullum certius afferre poſſum teſtimonium , quam quod iidem Actorum Lipſenſium Scriptores non diſſimile huic noſtro de illo libro pronuntiarunt judicium * . In hoc ipſo libro haud pauca diſputantur contra Ruinartium & Doduvellum , qui negabant horum Martyrum Acta collegiſſe atque edidiſſe hominem e grege Montaniſtarum : deinceps diſſeritur de viſis , qua in re illud Urſius oſtendit , prioribus Eccleſiæ ſæculis Deum illa ſæpe ſectatoribus ſuis dediſſe ad occulta iis aperienda . Porro id cauſſa exigere videbatur , quoniam Baſnagius non leve ſe arbitrabatur ducere argumentum , cur ii Martyres dicendi eſſent Montani hæreſi contaminati , ex iis , quæ eoſdem in ſomniis vidiſſe , atque prædixiſſe Acta narrant . Demum quaſi quandam appendiculam in librum intulit , quæ Franciſcus Caſtilionenſis ſcripſerat de vita , atque morte , quam pro vera Chriſti religione exeunte ſæculo xv. occubuit B. Antonius Pedemontanus , eaque notis illuſtravit . Sic enim ſe putavit de Cœnobio , in quo degebat , mereri optime , propterea quod Pedemontanus ejus alumnus fuerat ; quodque tum ille , tum Caſtilionenſis fuerant S. Antonino Florentino Archiepiſcopo conjunctiſſimi , quem inſtitutorem ac parentem ha-

* Supplem. ad nov. Act. Erudit. Tom. 2. ſect. 12.

habuisse merito idem Cœnobium gloriatur. Vix dum opus istud perfecerat Ursius, cum aliud est aggressus, ut probaret adversus Martenium, Lupum, Petavium, Juveninium ac præsertim Albaspinæum, Ecclesiam tribus primis sæculis minime denegasse reconciliationem iis, qui essent capitalium criminum rei. Videtur Ursius orbem omnium peragrasse Ecclesiarum, quæ ab Apostolis conditæ fuerant, aut quæ illarum erant soboles, ut ex earumdem monumentis gravissima certissimaque in eam rem sumeret testimonia. Nec vero ignorabat iis temporibus fuisse quosdam in Affrica, & in Hispania tantæ severitatis in majoribus criminibus animadvertendis, ut iis, qui eorum culpa tenerentur, reditum in gratiam cum Ecclesia patere noluerint; sed ajebat, unum aut alterum hujusmodi exemplum nihil valere contra morem & disciplinam, quam homines ab Apostolis acceperant, quaque docti fuerant, sic in sontes severitatem adhibendam esse, ut magnis condimentis lenitatis, ac misericordiæ mitigetur. Profecto in hoc libro Ursius se præstitit Theologum præclara, reconditaque eruditione atque doctrina. Cum vero non semel a re proposita, opportune tamen semper, digressus fuisset, ut tempora constitueret quibus aut Marcio in Ponto & Asia disseminavit Cerdonis errores, aut Tertullianus Montani sectator esse cæpit librosque suos vulgavit *de Corona Militis*, & *de Pudicitia*, aut uterque Decius urbem reliquerunt, aut Illeberitana Synodus habita fuit, tantam temporum scientiam ostendit, ut huic rei in primis studuisse videatur. Accidit interea ut Religiosi ii viri, quos idem sodales contubernalesque habebat, sibi de more constituere vellent Præsidem. Etsi permulti erant quos ætas, rerumque usus, & virtus, doctrinaque commendabant, unus tamen Ursius cunctis suffragiis electus est, cum vix octavum & trigesimum ingressus esset ætatis annum. Quod ubi intellexerunt amici, venerunt ad eum gratulatum. Ille vero valde suam vicem dolere dicebat, quod non satis virium ad hoc sustinendum onus haberet; quodque necesse esset plurimum detrahi studiis ac litteris suis. Quæ quidem indicio esse possunt, quam modeste de se sentiret, quantusque in eo esset doctrinæ amor. Sic autem muneri suo præfuit, ut omnes existimarent quasi lumen aliquod san-

ctitatis

Digitized by Google

ctitatis elucere omnes actiones, omniaque dicta ejus. Quanquam ita comparatus erat, ut magis exemplo quam verbis homines ad virtutis amorem accenderet. Eo tempore in familiam recepit Cœnobii Constantinopolitani nomine Thomam Mariam Mamachium, quæ res magnæ ei lætitiæ fuit. Nam præsentiebat quanto eidem familiæ is futurus esset ornamento; quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret ac filium. In regendo Cœnobio licet omnem operam curamque ponere videretur Ursius, potuit tamen absolvere, quæ paullo ante inchoaverat *de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium*. Fuit olim in Concilio Florentino magna Græcos inter & Latinos disceptatio, num ad Eucharistiam conficiendam præter verba quæ Christus adhibere Sacerdotes docuit, necessaria quoque esset S. Spiritus invocatio. Affirmabat Græci, negabant Latini; postque diuturnam pugnam eum tandem res exitum habuit, ut illi convicti ac veritatis vi coacti errorem suum deseruerint. Sed non diu pax fuit, cum illum eundem Græci, facta secessione, instauraverint: quod ab illa Gente in Latinos jamdiu conceptum inveteratumque odium cogitanti mirum videri minime debet. Illud potius mirandum quosdam nostratum, & in his Ricardum Simonem, & Antonium Augustinum Tuetteum, hac ætate extitisse, qui pene in Græcorum abierint sententiam. Id ægre ferens Ursius eos confutare est aggressus. Confutationem autem sic contexuit, ut excutiat & explicet plurima Latinorum, ac præsertim Græcorum Patrum loca ac testimonia, libros præterea Rituales Græcarum & Orientalium Ecclesiarum, demonstretque minime ex iis confici posse, sicuti contendebant adversarii, easdem Ecclesias, tradita a majoribus disciplina, ita invocasse Divinum Paracletum, ut viderentur in eo ponere absolutionem perfectionemque Eucharisticæ consecrationis. Diligentissime quoque is perpendit monumenta Concilii Florentini, quod caussæ suæ conducere arbitratus est; nihilque earum rerum omittit, quæ hunc librum perfectum, expletumque omnibus suis numeris & partibus efficere possint. Vix illum Ursius absolverat, cum anno secundo postquam Cœnobio præesse cœperat, Romam a Cardinali Nerio Corsinio accersitus est, ut Theologi locum apud eum

Digitized by Google

eum teneret. Id illi pergratum atque jucundum fuit, quod vehementer ad studiorum suorum rationem, naturamque suam, quæ prorsus ab omni præfectura abhorrebat, accommodatum arbitrabatur. Cardinali autem multis magnisque in rebus, eo præsertim tempore, quo ejus Patruus Clemens xii. Ecclesiæ clavum rexit, consilio adfuit. Etenim ille neminem Ursio laude prudentiæ, fidelitatisque anteferebat. Sed hoc in primis ad tanti viri laudem illustre fuit, quod idem Pontifex sæpe eo non solum consiliario, sed etiam scriptore usus est. Sunt in manibus quæ jussu illius exaravit (minora silentio prætermittimus) ut probaret, potuisse eum jure privare Cardinalem Nicolaum Cosciam Archiepiscopatu Beneventano; utque ostenderet fas haud esse Regi adigere Episcopos, qui in ejus ditione sunt, ad *Homagii*, aut, nisi oppida ab eo accepta habeant, ad *Fidelitatis*, ut appellant, jusjurandum. His mandatis confectis, totum se convertit ad contexendas *Dissertationes Theologicas de Baptismo in nomine Jesu Christi; & de Chrismate Confirmatorio*. Noverat enim Theologos haud paucos fuisse sæculo superiori, & esse etiam hoc nostro, qui Baptismum ab Apostolis in Christi nomine nunquam fuisse datum defenderent, ac S. Thomæ contra sentientis opinionem nec veram nec verisimilem dicerent: Et illud quoque noverat, Samuelem Basnagium gravissimo captum fuisse errore, ut arbitraretur Chrismatis usum in Confirmationis Sacramento ignorasse Ecclesiam primis temporibus, & in eam a Valentinianis derivatum fuisse. Priores sic est adortus Ursius, ut sententiam Doctoris Aquinatis satis esse probabilem demonstraverit; alterum vero tam est graviter insectatus, ut plane convicerit impietatis. Quibus in rebus cum esset occupatus summa Clementis xii. voluntate factus est Cathedraticus Casanatensis. Vocantur autem Cathedratici Casanatenses duo ex Ordine Prædicatorum scientia clari viri, qui instituto Hieronymi Cardinalis Casanatæ e superiori loco mane quidem alter, alter vesperi statis diebus S. Thomæ *Summam* rei Theologicæ studiosis Romæ interpretantur. Ex quo factum est ut Ursius non solum honesto, sed etiam grato fungeretur munere. Ita enim erat in illum Doctorem animatus, ut omnes cuperet ad illius disciplinam adjungere. Interim Romæ nuntiatur,

Digitized by Google

tur, in Gallia typis impressam fuisse Bajanismi Historiam a Joanne Baptista Duschesnio conscriptam, hacque infamari Petrum Sotum hominem e Dominicana Familia praeclarissimum, quasi ipse jecisset initia, & tanquam semina, unde errores Baii procreati fuissent. Id ut audivit Thomas Ripollius, qui eidem Familiae praeerat, Ursio mandavit, ut libro falsas Duschesnii accusationes refelleret. Quod quidem illi facile fuit. In promptu enim habebat, quae Pontifices MM., Tridentina Synodus, Cardinales, Episcopi, Principes, Scriptoresque magni nominis Soto impertierant praeconia ac testimonia hominis pietate, studio Catholicae Religionis, fide, integritate, atque doctrina praestantissimi. Quae postquam collegit Ursius, transit ad examen librorum, ac praesertim *Epistolaris Dissertationis cum Ruardo Tappero de conciliatione gratiae, ac liberi arbitrii*, neque ullum esse in iis locum probat, ex quo jure meritoque Soto conflari invidia possit, contra vero esse multa, quae plane adversantur erroribus, quorum illum Historicus insimulaverat. Neque solum pro aliis, sed etiam pro se ipso his temporibus pugnavit Ursius. Etenim Droiinius impotentis ingenii Gallus adeo in illam, quam paullo supra memoravimus *de Baptismo ec.* Dissertationem stylum acuerat, ut non tam eam refellere, quam in ejus auctorem furere videretur. Huic Ursius sic respondit, ut se injuriis prorsus abstinuerit, nihilque aliud egerit, nisi ut ostenderet omnium pene temporum memoriam sententiae Doctoris Aquinatis suffragari videri. Haec atque alia (nam edidit quoque Latinam Orationem de laudibus B. Catharinae de Ricciis) quae ad haec usque tempora typis mandaverat ingenii monumenta, magnam illi famam confecerant, ut jam videretur in Theologorum numero, qui Romae florebant, principem locum tenere. Itaque nemini dubium erat brevi illum in amplissimum dignitatis gradum collocatum iri. Ad hunc primus illi ascensus fuit an. MDCCXXXVII. quo tempore a CLEMENTE XII. factus est a Secretis illius Magistratus, cujus munus est interdicere lectionem librorum, in quibus sese prodit scribendi licentia, nequid Christiana Respublica detrimenti capiat. Occupato hoc honoris loco, primam habuit curam Ursius, ut Pontifici optime de se merito, Ecclesiaeque voluntatem studiumque suum magis ma-

gisque

Digitized by Google

gisque declararet. Cujus rei amplam eidem occasionem dedit opus illud Jacobi Benigni Bossuetii, quod jussu Ludovici xiv. ad propugnandam notam *de Potestate Ecclesiastica Declarationem* an. MDCLXXXII. in Comitiis Cleri Gallicani editam conscripserat, quodque Episcopus Trecensium ejusdem Bossuetii Fratris Filius, mortuo jam Auctore, anno MDCCXXX. Luxemburgi typis imprimendum curaverat. Auctoris celebritas, ubertas, varietas, copia argumentorum, quibus idem evincere nitebatur jura Sedis Apostolicæ in definiendis Fidei controversiis suis contineri finibus, iisque non admodum amplis, illud effecerant, ut permulti essent tum apud Gallos, cum apud Italos qui palam dicerent, Bossuetium istorum jurium defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis abstulisse. Quod judicium falso prolatum fuisse ii intelligent, qui legent libros Ursii, quibus se se illi Scriptori opposuit. Profecto fortiter is cum tanto adversario bellum gessit. Nam omnia quæ conferri poterant, in illum contulit tela; contraria sic excepit, ut pleraque leviora atque hebetiora esse ostenderit, ac multa in ipsum adversarium retorserit; & siqua res fuit quæ premeret vehementius, non modo non abjecit, sed ne rejecit quidem scutum, sic ut nunquam cessisse, contra superiorem semper discessisse haud injuria a doctis quibusdam viris judicatum fuerit. Longum esset de omnibus rebus, quæ in his libris continentur dicere. Itaque dixisse sufficiat: Ursium tribus prioribus voluminibus, quæ sunt *De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio*, multa enucleasse sacrorum librorum, Patrum, aliorumque gravissimorum scriptorum loca, ac multo plura exposuisse Conciliorum decreta, ut ostenderet, Ecclesiam ab ultimis usque temporibus consensisse (mirum putasse Bossuetium ex Ecclesiæ consensu se quoque maximum caussæ suæ præsidium petere posse) de hoc *irreformabili judicio*: Postremo vero operis volumine, quod inscribitur, *De Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & earum Canones potestate* æque firmiter ac copiose probat, Romanos Pontifices minime Conciliorum legibus, sed has illis subjectas esse. Ad hæc addi quoque illud potest, eundem multas in his libris collegisse rationes ac testimonia ad refellendos viros doctissimos Antonium

Arnaldum, & Petrum de Marca, quorum alter acerrime propugnaverat haud posse revocari in dubium vim, auctoritatem, pondus decretorum Concilii Constantiensis; alter novam proposuerat rationem conciliandi conjungendique libertatem suffragiorum, quam in Œcumenicis Conciliis Episcopi habere debent, cum summa Pontificis potestate. Pontifici enim eas tantummodo partes dabat, quas Romani Imperatores in condendis Senatus Consultis obtinere solebant. Sic Ursius magna doctrinæ & eruditionis copia cum demonstrasset, nullis posse terminis definiri jus Romanorum Pontificum in præscribendis, vel declarandis iis rebus, quæ ad Religionem pertinent, aliud sumpsit opus in manibus, quod non minorem & sibi laudem, & Christianæ Reipublicæ utilitatem peperit. Historiam Ecclesiasticam, quam Gallice scripserat Claudius Fleurius, nescio, quis in Italicum converterat, & Venetiis typis imprimere instituerat. Id ut Romam allatum est, quod detrimentosum esse existimabatur (nam multis in locis scriptor ille animum haud mediocriter juribus Romanorum Pontificum infensum patefecerat) si in omnium manus illa perveniret, quæritur quid facto opus sit. Consulentibus Ursius respondit, dandam esse operam, ut cæpta impressio intermitteretur; quo vero Italorum utilitati ac decori prospiceretur novum opus conficiendum. Hoc consilium majori parti cum placuisset ille rogatus est, ne graveretur hoc in se onus suscipere. Tum ille: intelligere se se quanti res esset operis ac laboris; hoc tamen esse in Christianam Rempublicam animo, ut nihil ejus caussa recusaret. Hac re constituta, nullam interponendam esse moram putavit quin ad eam conficiendam se pararet. Quanquam non multis ille egebat adjumentis. Habebat enim insculpta in animo monumenta temporum, locorum, hominum, gestarumque rerum; mirabilis in eo erat cognitio, Conciliorum ac Patrum, in quibus legendis omnem triverat ætatem; judicio acri & recto præditus erat, ut posset non solum consilia, acta, & eventus rerum ordine declarare, sed etiam tuto ac vere exponere quid probandum rejciendumque esset. Siquid eum deficiebat erat perfecta Etrusce scribendi laus, ad quam obtinendam omne suum studium convertit. Nam optimos scriptores diu noctuque legendo,

Digitized by Google

e quibus germana quædam locutio exurgere solet, nativum illum colorem, quo sermo Etruscus imbuitur, mirifice expressit. Ut vero stylum exercitatione acueret, libros quos Latine *de Pontificis Maximi irreformabili judicio, potestateque* fecerat, patrio sermone in epitomen contraxit; aliudque opus pariter Etrusce conscripsit, in quo originem subtexuit dominatus, quem habent Pontifices Maximi in civitatibus atque oppidis, quæ olim ad Romanam Provinciam, & Exarchatum Ravennæ pertinebant; & ex quo perspici potest, quam eximia fuerit erga eosdem Pontifices liberalitas ac studium Gallorum Regum Pipini, & Caroli Magni. Sic Ursius cum continuis se frangeret laboribus ac vigiliis, cæpit incommoda esse valetudine. Cujus rei caussa cum sibi aliquamdiu a severioribus studiis temperare coactus fuisset, ne prorsus tempus amitteret, dedit se convertendis e Gallico in Italicum vitis primorum Discipulorum S. Dominici, virorumque aliorum illustrium Ordinis Prædicatorum, quas eleganter explicaverat Antonius Tourronius. His studiis atque exercitationibus consecutus est Ursius genus orationis fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens; scribendique elegantiam adeo suam effecit, ut bene multas conderet Historiæ suæ paginas dulces atque nitidas, quin aut in scribendo hæreret, aut necesse haberet verbum ullum mutare. Quo factum est, ut cum anno MDCCXLVII. primum edidisset ejusdem Historiæ volumen, avide illud omnes arripuerint, ac Florentina Academia, cujus omnis cura versatur in excolendo, puro & casto Etrusce scribendi genere, grave testimonium Auctori impertierit elegantissimi scriptoris, & illum inter suos cooptaverit. Præsertim vero laudibus elata sunt, quæ præfatus est de ratione Ecclesiasticæ Historiæ conscribendæ, quæ quidem ostendunt non modo perelegantem scriptorem, sed etiam doctum, & in primis eruditum. His ille rebus alacrior factus ad institutum opus persequendum, ita illud ursit reliquo vitæ cursu, ut neque corporis imbecillitas, neque ingravescens ætas, neque dignitates, quibus deinde auctus est, neque onera, quæ has comitabantur, industriam illius retardaverint. Nam an. MDCCXLIX. factus est a BENEDICTO XIV. Sacri Palatii Apostolici Magister; & decennio post, studiosissime instante Cardinali Nerio

 Cor-

Corsinio , a Clemente xiii. in amplissimum Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus est . Atque utinam ei diutius vita frui licuisset , ac magis brevitati in hac contexenda Historia consulere voluisset . Sic enim haberemus non paucorum sæculorum , sed omni , aut saltem magna ex parte perfectam Historiam . Præterquamquod , ut bene apud Ciceronem dicitur , nihil est in Historia pura & illustri brevitate dulcius. Sed si caussam quærimus, cur Ursius sæpe redundans & superfluens extiterit , hanc fortasse veram reperiemus , quod omnibus familiaris esse voluerit , ac vulgi inprimis utilitati servire . Profecto legitur ab omnibus opus hoc , cujus rei non mediocre est illud indicium , quod paucis annis ter typis impressum est . Et hoc quoque in ejusdem operis laude ponendum , quod Hispania patrium in sermonem conversum illud suum fecit ; quodque in Germania non defuere , qui idem magna ex parte Latine reddiderunt . Primum & vigesimum volumen inchoaverat Ursius ; cùmque Historiam ad tempora Gregorii Magni perduxisset , ab eoque depulisset falsam assentationis criminationem ; in morbum incidit , quem neque mortiferum , neque gravem initio medici judicarunt . Hi tamen veriti ingravescentem ætatem , debilitatamque valetudinem assiduis ac diuturnis legendi , meditandi , scribendique laboribus , ægroto imperarunt , ut ad omnem eventum sacris se muniret . Quibus cum libentissime paruisset ; essentque omnes magna in spe fore , ut brevi convalesceret , subito eum febris corripuit , quam cum gravius peripneumoniæ genus consecutum fuisset , horarum spatio non amplius octo mortem cum vita (fidenter sane , ut solent ii , qui optimæ mentis conscientia sustentantur) commutavit . Extremo vitæ tempore perbreve testamentum fecit , quo rem familiarem domesticis , Bibliothecam Florentino S. Marci Cœnobio , sacram suppellectilem certis quibusdam Templis reliquit . Eidem morienti adfuit Johannes Bottarius , quocum a condiscipulatu vixerat conjunctissime , eique , quod inchoaverat xxi. Historiæ volumen , perficiendum commisit : quod ni vellet , ederet saltem quæ pro defensione S. Gregorii scripserat . Talis fuit vir , ut si mores spectes , nihil præ se nisi , grave probum , purumque tulerit ; si doctrinam , dogmatum Christianorum defensor

for egregius, ac vindex judicari possit. Custos perfectioris disciplinæ severus, sed ita temperatis moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungeretur. Ex quo fiebat, ut facillimi ad eum essent aditus, ac nemini opis ejus indigenti, si modo illam præstare posset, non libentissime & promitteret, & concederet. Veritatis adeo diligens, ut nihil ultra. Parce uti consueverat verbis, quod indicium erat hominis cælestia, resque alias altissimas perpetuo contemplantis. Tanta eum cura occupabat studiorum suorum, ut interdum videretur sui oblitus, ac sæpe cogeretur in iis rebus gerendis, quæ suorum munerum erant, uti fidis peritissimisque adjutoribus. Ut laudis, ita & reprehensionis, omniumque rerum humanarum fuit contemptor eximius. Huic justa funera confecta in Templo S. Mariæ ad Minervæ. Corpus vero deportatum ad S. Sixti, cujus titulum ipse gerebat, ibique conditum in sepulcro, in quo hoc scriptum est elogium.

D. O. M.

JOSEPH AUGUSTINUS URSIUS FLORENTINUS
ORDINIS PRÆDICATORUM
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS TIT. S. SIXTI.
INTEGRITATE MORUM CONSPICUUS
ET EDITIS SCRIPTIS PRÆCLARUS
HIC REQUIESCIT IN PACE
VIXIT ANNOS LXIX. M. I. D. III.
OBIIT EIDIBUS JUNIIS A. S. MDCCLXI.

OPE-

Digitized by Google

Opera edita.

DISSERTAZIONE Dogmatica e Morale contro l'uso materiale delle parole &c., opera del P. L. Fr. Giuseppe Agostino Orsi della Congregazione di S. Marco di Firenze dell' Ordine de' Predicat. Dedicata alla Santità di Nostro Signore Bened. XIII. del medesimo Ordine. In Roma 1727. nella Stamperia di Girolamo Mainardi. in 4.

LA CAUSA DELLA VERITA' sostenuta contro l' anonimo Apologista del P. Carlo Ambrogio Cattaneo della Compagnia di Gesù: opera del Rev. P. L. Fr. Giuseppe Agostino Orsi dell'Ord. de' Pred. In Firenze 1729. in 4.

DIMOSTRAZIONE TEOLOGICA colla quale si prova, che ad effetto di conciliare i dritti della veracità colle obbligazioni del segreto, nè si può, nè si deve ricorrere ad alcuna di quelle leggi, che alcuni moderni Teologi all' umana Repubblica attribuiscono, ma che deesi stare alle regole da' SS. Padri Agostino e Tommaso per un tal fine prescritte: opera del &c. dedicata alla Santità di Nostro Signore Benedetto XIII. In Milano 1729. per Giuseppe Richino Malatesta, in 4.

DISSERTATIO APOLOGETICA pro Ss. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia adversus Samuelem Basnagium, Auctore R. P. Fr. Josepho Augustino Orsi O. P. Florentiæ ad S. Marcum Sac. Theologiæ Lectore. Accedit Francisci Castilionensis Martyrium Antonianum seu B. Antonii de Ripolis Ord. Præd. ab eodem Ursio notis illustratum. Florentiæ 1728. typis Bernardi Paperini, in 4.

DISSERTATIO HISTORICA, qua ostenditur Catholicam Ecclesiam tribus prioribus sæculis capitalium criminum reis pacem & absolutionem neutiquam denegasse, & plures aliæ incidentes quæstiones ad eorumdem temporum Chronologiam Ecclesiasticam pertinentes quibusdam digressionibus data opera examinantur; Auctore &c. Mediolani 1730. apud Josephum Richinum Malatestam, in quarto.

DISSERTATIO THEOLOGICA de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium, Auctore ec. Mediolani 1731. apud Josephum Richinum Malatestam, in 4.

DISCORSO sopra il giuramento prestato dai Vescovi del Piemonte alla Maestà del Rè di Sardegna Carlo Emanuele. Extat in fin. tom. 1. par. 2. libri, cui titulus = *Delle Ragioni della Sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino. 1732.* =

VOTO TEOLOGICO intorno alle cause, per cui uno può essere privato del Vescovato.

DE BAPTISMO IN NOMINE JESU CHRISTI; & de Hæreticis qui Baptismi formam olim adulterarunt, Dissertatio Historica in duas partes divisa, Auctore F. Josepho Augustino Orsi Ord. Præd. Cathedratico Casanatensi, & Sac. Cong. Indicis Consultore. Mediolani 1733. apud Josephum Richinum Malatestam. in 4. In hoc libro extat quoque *DIS-*

Digitized by Google

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA de Chrismate Confirmatorio.

Oratio de B. Catharina de Ricciis Moniali Tertii Ordinis S. Dominici, habita Romæ in Templo S. Mariæ super Minervam ad Eminentissimos & Reverendissimos Cardinales a F. Jo. Aug. Orsi Ord. Præd. Romæ 1733. ex typographia Hieronymi Mainardi in 4.

FR. JOSEPHI AUG. ORSI. O. P. e Congreg. S. Marci S. Theologiæ Mag. de Petri a Soto ejusdem Ordinis, & Judoci Ravesteyn de concordia gratiæ & liberi arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari disputatione, liber Apologeticus, quo Soti doctrina a recentis Historici censuris adseritur. Romæ 1734. typis Hieronymi Mainardi, in 4.

VINDICIÆ Dissertationis de Baptismo in nomine Jesu Christi a Sorbonici Doctoris objectis. Florentiæ 1735. ex Typographia Petri Cajetani Viviani. in 4.

F. JOSEPHI AUGUST. ORSI O.P. Sac. Indicis Congregationi a Secretis De irreformabili Romani Pontificis in definiendis Fidei controversiis judicio adversus quartam Cleri Gallicani propositionem ab Illust. J. B. Bossuetio Meldensi Episcopo propugnatam Tom. I. Pars Prima. Romæ 1739. Typis Sac. Congreg. de Propaganda Fide, in 4.

TOM. I. PARS SECUNDA. Eundem præ se fert titulum. *Accedit Dissertatio circa modum ab Illustrissimo Petro de Marca propositum conciliandi summam ejusdem Romani Pontificis auctoritatem cum libertate suffragiorum in Synodis Oecumenicis.*

TOM. II. Similem omnino prioribus habet titulum.

FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI O.P. Sac. Ind. Cong. a Secretis de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas & Earum Canones potestate. Romæ 1740. Typis Sac. Cong. de Propagand. Fide. Extat in fine hujus voluminis Dissertatio qua Ecclesiasticæ Monarchiæ forma, seu ratio explicatur, unde clare ac dilucide constat, sit ne Romanus Pontifex Ecclesiæ legibus subjectus, nec ne sit; quove sensu id affirmari vel negari commode possit.

DELLA INFALLIBILITA', E' AUTORITA' del Romano Pontefice sopra i Concilj Ecumenici: Ristretto di un opera sopra lo stesso argomento di F.G.A. Orsi dell'Ord. de' Pred. S. D. S. C. D. I. Tom. I. e II. in Roma 1741. Nella Stamperia de' Pagliarini in 12.

DELLA ORIGINE del dominio, e della sovranità de' Romani Pontefici sopra gli stati loro temporalmente soggetti, Dissertazione di F. G. A. Orsi dell' Ord. de' Predic. S. D. S. C. D. I. in Roma 1742. appresso i Fratelli Pagliarini, in 12.

RISTRETTO delle Vite dei primi Discepoli di S. Domenico scritto in lingua Francese dal P. Antonio Touron dell' O. de' P. e tradotto nell' Italiana favella da un Religioso del medesimo Ordine. In Roma 1744. appresso Nicolò e Marco Pagliarini, in 8.

ISTORIA degli Uomini illustri dell'Ordine di S. Domenico scritta in lingua Fran-

Digitized by Google


Francese dal R. P. Antonio Tuoron, e tradotta nell' Italiana favella da un Religioso del medesimo Ordine Tom. I. in Roma 1745. Nella Stamperia di Pallade appresso Nicolò e Marco Pagliarini.

DELLA ISTORIA ECCLESIASTICA descritta da F. Giuseppe Agostino Orsi dell'Ordine de' Predicatori &c. Roma nella Stamperia di Pallade. Tom. XXI. in 4. e in 12.



LIBER

Digitized by Google




LIBER PRIMUS
QUO LIBER DUODECIMUS
DEFENSIONIS
Examinatur & confutatur.



Llustrissimus Meldensium Episcopus hunc Libro duodecimo Titulum præfixit. *De Quaestionibus fidei, praesertim per Concilia Generalia definitis. Ipsorum Conciliorum generalium traditio explicatur*, ad Caput Quartum Declarationis Gallicanae. Hunc autem ipsum & ego volo hujusce Libri Titulum esse; est enim mihi propositum easdem fidei quaestiones in Conciliis Generalibus tractatas ac definitas diligenter examinare, eorumdemque Conciliorum generalium traditionem luculenter exponere. Ex clara enim & minime fucata harumce rerum expositione apertissime, ut mihi videtur efficiam; tum ex omnibus generalibus Conciliis nihil ab Illustrissimo Auctore adlatum esse, quo summa Romani Pontificis in sanciendis fidei controversiis auctoritas infringatur, tum iisdem Conciliis pro *immobili & irreformabili* semper habitum fuisse Apostolicae Sedis de fidei rebus judicium.

CAPUT PRIMUM.

„ Infallibilitas quibus verbis ab anti„ quis explicetur: Ubi sit sita quae„ ritur.



Arum aut nihil interest scire; an quod modo *infallibile* judicium dicitur, ab antiquis *immobile*, *irreformabile*, *irretractabile*, *irrefragabile* dictum sit: his enim omnibus vocibus unam eamdemque rem significari, inter nos convenit. Illud autem plurimum refert, & ad praesentem controversiam illustrandam magnum habet momentum, ut perspectum habeamus, quos christianae do-

Digitized by Google

ctrinae articulos, veteres Patres, atque imprimis Tertullianus ex quo illae voces acceptae sunt, *immobiles irretractabiles irreformabiles* esse constituerint.

ARTICULUS UNICUS.

Quasnam Christianae doctrinae sanctiones; quanam de caussa, quove sensu Tertullianus irreformabiles, & irretractabiles dixerit.

NOn uno in loco Tertullianus omnes & singulos articulos Christianae fidei, qui Symbolo Apostolico continentur, irreformabiles & irretractabiles esse definivit. Sic Libro de Virginibus velandis Capite primo: *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis; credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Maria &c. Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinae & conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei...*

Sic etiam Libro de Praescriptionibus Haereticorum capite decimo tertio: *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid credamus, profiteamur; illa scilicet, qua creditur, unum omnino Deum esse &c. Haec regula a Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, & quae haereticos faciunt. Ceterum manente forma ejus in suo ordine, quantumlibet quaeras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari..... Fides in regula posita est.*

Priore in loco Tertullianus symboli articulos confert cum institutis disciplinae, fidemque immobilem & irreformabilem esse definit, quoniam, quemadmodum disciplina, variari ac permutari non potest. Altero autem in loco articulos fidei disjungit ab his, quae salva fide, & salute in tuto posita, disputari vel ignorari a Fidelibus possunt. Quare fidem hoc sensu irretractabilem esse docet, quoniam ea dogmata, quibus fides Catholica continetur, venire in quaestionem disceptationemque non debent: quapropter antea dixerat: *Quaeramus ergo in nostro, & a nostris & de nostro; idque dumtaxat, quod salva regula fidei potest in quaestionem devenire*. Quin hujusce Libri *De Praescriptionibus* hoc argumentum est: Si jure cum Haereticis agatur, admittendos illos non esse ad ullam nobiscum de fidei dogmatibus disputationem. Nam & ad Christianos in fide confirmandos, & Haereticos revincendos, hoc satis esse debet, quod novam isti & peregrinam doctrinam adferunt, quam neque Ecclesiae Apostolicae ab Apostolis, neque Fideles ab Ecclesiis Apostolicis acceperunt: (a) *Hanc igitur dirigimus praescriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos Praedicatores, quam quos Christus instituit..... Quid autem praedicaverint, idest, quid illis Christus revelaverit, & hic praescribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt..... Superest ergo, uti demon-*

(a) Cap. XXI.

Digitized by Google

monstremus, an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur; & ex hoc ipso an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.

Itaque, Tertulliano auctore, ideo Christianae doctrinae capita, quae symbolo comprehenduntur, inter praescriptas & praejudicatas, ac proinde irreformabiles & irretractabiles veritates recensenda sunt, quoniam Ecclesiarum Apostolicarum testimonio & auctoritate nituntur: Unde consequens est, quamcumque aliam doctrinam, quae simili polleat auctoritate, etsi Apostolico symbolo neutiquam expresse contineatur, jure gaudere praescriptionis, esseque proinde, Tertulliani judicio, pro irreformabili & irretractabili habendam: quod idem Auctor sequentibus verbis diserte atque eleganter docet (a): *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas ..... Si Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est .... Videamus, quid dixerit, quod docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit ..... Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis Literis miscet, & inde potat fidem: Eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur; & ita adversus hanc institutionem neminem recipit.* Quinque hîc memorat Tertullianus Catholicae fidei dogmata, quorum non fit in Symbolo Apostolorum expressa mentio: nimirum utriusque Foederis libros, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Martyrium. Non enim in eo Symbolo expresse traditur, veteris Testamenti Libros fuisse divinitus inspiratos; Christianos salutem adsequi non posse nisi in Trinitatis nomine baptizentur; baptizatos, & in Trinitatis nomine ablutos, Sacra Unctione & manuum impositione Spiritu Sancto repleri; sub panis & vini Symbolis Christi Corpore & Sanguine saginari; denique pro fidei confessione subeundum esse martyrium; haec, inquam, Christianae fidei dogmata Apostolorum Symbolo nequaquam adscripta sunt; ea tamen cum ejusdem Symboli articulis inter praejudicatas & irreformabiles sententias Tertullianus refert ob Apostolicarum Ecclesiarum, atque imprimis Romanae, irrefragabile testimonium. Quare laudatis verbis adjungit (b): *Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; constat ratio propositi nostri, definientis, non esse admittendos Haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere.* Igitur statim ac de aliquo dogmate constaret, illud in Apostolicis Ecclesiis, & maxime in Romana, quaeque cum iis *communicatione pacis*, ut idem Auctor loquitur (c), *& appellatione fraternitatis, & contesseratione hospitalitatis* conjungebantur, communiter obtinere, & jam olim obtinuisse, inter irreformabiles & irretractabiles veritates recensendum erat, a quibus disceptandis Haeretici jure ac merito repellebantur.

Jure, inquam; nam Tertullianus neuticae

(a) Ibid. cap. XXXVI. (b) Cap. XXXVII. (c) Ibid. cap. XX.

tiquam inficiatur, quin ex quadam indulgentia audiri Haeretici possint, & eorum caussa disceptari valeat, eisque permitti, ut si quas habent adversus Catholica dogmata difficultates in medium adferant, easque sedulo ac diligenter examinandas excutiendasque proponant. Imo, salvo & integro jure praescriptionis, quo novellae & exoticae opiniones de mendacio, ut ait, praejudicantur, ubique facultatem Haereticis tribuit, ac tribuendam docet, omnia suae aut nequitiae aut inscitiae dubia proponendi; & cum eis perinde agendum constituit, & eorum caussam sic fere de Integro retractandam, ac si Catholicum dogma vetustate traditionis irretractabile, & ipsi Haeretici jam damnati novitatis praescriptione non essent. Hanc suam sententiam pluribus in locis Tertullianus proponit, & cur ita sentiat, verbis sequentibus aperit: *Sed quoniam* (inquit laudato Libro de Praescriptionibus (a) *tam expedita probatio est, ut si statim proferatur, nihil jam sit retractandum, ac si prolata non sit a nobis, locum interim demus diversae parti, si quid putent ad infirmandam hanc praescriptionem movere se posse*. Et Libro primo contra Marcionem capite primo postquam dixit, *quod alius Libellus hunc gradum sustinebit adversus Haereticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis*, subjungit: *Nunc quatenus admittenda congressio est, interdum ne compendium praescriptionis ubique advocatum diffidentiae deputetur; regulam Adversarii prius praetexam, ne cui lateat, in quo principalis quaestio dimicatura est*. Longe id etiam luculentius exponit Libro adversus Praxeam capite secundo, ubi praecipuis Symboli Apostolici articulis descriptis, haec addit: *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxean hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium Haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni. Quo peraeque adversus universas haereses jam hinc praejudicatum sit, id esse verum, quodcumque primum; id esse adulterum, quodcumque posterius. Sed salva ista praescriptione, ubique tamen propter instructionem & munitionem quorumdam, dandus est etiam retractatibus locus; vel ne videatur unaquaeque perversitas, non examinata, sed praejudicata damnari; maxime haec, quae se existimat meram veritatem possidere*. In his locis Tertullianus & veterem Ecclesiae doctrinam irreformabilem & irretractabilem esse docet, & adversas haereses ipsa statim novitatis praescriptione damnatas; & nihilominus congressionem cum haereticis non refugit, neque abnuit, ut Catholica dogmata retractentur. Quinimo, etsi breviore & commodiore praescriptionis via ad omnes haereses revincendas, sine doctrinarum retractatu, uti nos posse decernat; attamen & ad instruendos imperitos, & ad debiles confirmandos, & ad omnem Adversariis obtentum eripiendum, dandum esse judicat & retractatibus locum; ne, inquit, unaquaeque perversitas videatur, non examinata, sed praejudicata damnari. Quare iisdem locis Catholicam doctrinam & irretractabilem & retractabilem esse de-

(a) Cap. XXII.

Digitized by Google

definit; ex se ipsa quidem & jure suo irretractabilem; sed retractabilem ex indulgentia, qua haereticis, qui jure repelli possent nec audiri, permittitur tamen, ut in medium adferant quod eorum animos torquet, & quidquid eos in Ecclesiae dogmatis & institutis offendit.

Haec autem, de quibus hactenus disseruimus, ad sequentem disputationem illustrandam plurimum momenti habere videntur: Ut enim postea videbimus, quidquid in quatuor prioribus Conciliis generalibus primo retractatum, & postea sancitum est, ad praecipua Christianae doctrinae capita pertinebat, quae Apostolorum symbolo continentur; ac proinde ad eam fidem pertinebat, quam Tertullianus immobilem & irreformabilem esse pronunciaverat. Deinde, nihil unquam, ut suis locis demonstrabitur, Conciliis generalibus retractandum Romani Antistites proposuerunt, quod aperte ad Apostolicam traditionem suam non referret originem; aut in omnibus qua late patebat Christianus Orbis Ecclesiis jamdiu antequam haereses erumperent, non obtineret; quod proinde pars illius fidei non esset, quam Tertullianus irreformabilem & irretractabilem vocat. Hinc autem consequens est; non statim ac videbimus, Apostolicae Sedis decreta, ipsismet Romanis Pontificibus annuentibus, in Conciliis oecumenicis retractari & examinari, debere nos cogitare, Ecclesiae Romanae de fide sanctiones, irretractabiles & irreformabiles Conciliis generalibus non fuisse. Alioquin nullum Tertullianus aevo suo fidei Catholicae articulum habuisset, quem jure irretractabilem, immobilem & irreformabilem diceret: nam & praecipuos deinceps in Conciliis Oecumenicis retractatos videbimus; & juxta Illustrissimi Scriptoris principia, nullus omnino est, qui simili alicujus Concilii generalis examini ac retractatui esse non potuerit obnoxius. Quapropter, quemadmodum Conciliorum generalium de praecipuis Christianae doctrinae decretis disputationes non probant, Catholicam fidem, eosque ipsos fidei Catholicae articulos, qui in disceptationem veniebant, jure suo irretractabiles, & irreformabiles non fuisse: ita nec probant, Apostolicae Sedis de iisdem fidei dogmatibus sanctiones non fuisse irreformabiles & irretractabiles judicatas, antequam eis eorumdem Conciliorum generalium auctoritas vel adsensus accederet. Nam quod ejusmodi dogmata, tum perpetua & constanti Ecclesiae traditione ubique recepta, tum Apostolicae Sedis judicio roborata, in Conciliis oecumenicis retractata, & ad examen revocata sunt, maximoque studio & contentione disceptata, non illud, ut postea dearticulate demonstrabitur, in caussa fuit, quod ulla de iis dogmatibus ac sanctionibus inesset Patribus dubitatio; sed, uti laudatus Tertullianus ait, propter instructionem & munitionem quorumdam admissa cum Haereticis congressio est, & datus examini ac retractatibus locus; ne scilicet unaquaeque perversitas videretur, non examinata, sed praejudicata damnari. Sed haec postmodum luculentius, & articulatim, ut dixi, ac distincte disputabuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

„ Sententia Parisiensium res inter ju-
„ dicatas reponenda ex dictis de
„ Concilio Constantiensi.

CAPUT III.

„ Alia Modernorum quorumdam ca-
„ villatio confutatur, ostenditurque
„ ex ipsis Concilii Constantiensis
„ verbis ac gestis, Papam non mo-
„ do teneri Conciliaribus de fide
„ decretis jam factis; sed etiam
„ in quaerendo & tractando in Con-
„ cilii potestate esse.

CAPUT IV.

„ Aliae cavillationes: Papam subjici
„ quidem Concilio in fidei quaestio-
„ nibus, sed tantum postquam se illi
„ sponte submisit: tum esse qui-
„ dem illum per sese infallibilem,
„ si non adsit Concilium, sed prae-
„ sente Concilio jam illi subesse.

Quae in tribus hisce Capitibus ex Concilio Constantiensi Meldensium Episcopus disputat, discuti ac rite examinari non possunt, nisi prius ipsius Concilii decreta ad examen fuerint revocata: quod quum in alio Opere inituri simus, in praesentia quae ad haec tria Capita pertinent, praetermittimus.

CAPUT V.

„ An Concilii Constantiensis judicium
„ antiqua traditione nitatur. Prae-
„ termittimus quaedam ex Vincen-
„ tio Lirinensi de Ecclesiae Catho-
„ licae toto orbe diffusae auctorita-
„ te: hinc valere Concilia Oecu-
„ menica: duplex ratio agnoscen-
„ dae Ecclesiasticae consensionis,
„ ac finiendarum fidei quaestionum;
„ altera per Concilia Oecumenica;
„ altera sine Conciliis Oecumeni-
„ cis. Utraque suo ordine tractanda
„ suscipitur: A prima ordimur,
„ atque octo primorum Concilio-
„ rum generalium traditionem, ac
„ praxim explicare incipimus.

Concilii Constantiensis Judicium Illustrissimus Auctor appellat decretum illud, quo sancitum est, summum Ecclesiae Catholicae Antistitem etiam in rebus fidei Oecumenico subesse Concilio: Inde enim consequens esse contendit, irrefragabile non esse Romani Pontificis in sanciendis fidei controversiis judicium, quo de argumento alio in Opere disputabitur. Interim ergo rem ipsam cum Illustrissimo Auctore ad veteris traditionis amussim exigamus.

Digitized by Google

ARTICULUS UNICUS.

Ex Vincentio Lirinensi, & Illustrissimi Auctoris principiis demonstratur, Fidei sanctiones quamlibet ex se irretractabiles & irreformabiles fuisse nihilominus in Conciliis generalibus retractatas.

QUod hujusce Libri capite primo Tertulliani auctoritate probavimus; nimirum, Fidei Catholicae sanctiones, quas ille jure immobiles, irreformabiles, & irretractabiles vocat, fuisse nihilominus Ecclesiae indulgentia in Conciliis Oecumenicis retractatas & ad examen revocatas; id etiam Vincentii Lirinensis testimonio, cujus cum ceteris Catholicis de Ecclesiae & Traditionis auctoritate doctrinam celeberrimus Gallicanae declarationis defensor amplectitur, egregie confirmari potest. Nihil enim aliud aureo suo commonitorio Vincentius Lirinensis contendit, quam omnino irreformabiles & irretractabiles esse fidei veritates, quae Catholicae Ecclesiae, & perpetuae communisque Traditionis testimonio & auctoritate nituntur. Totus hîc mihi laudatus Liber exscribendus esset; hoc enim in eo unum Vincentius agit, quod nervose perinde atque eleganter exsequitur: qui tamen Liber quoniam omnium jam manibus teritur, pauca dumtaxat inde delibabo, quae plus luminis ad hanc controversiam illustrandam adferre posse videntur.

Firmam & ineluctabilem esse Ecclesiae consentientis & perpetuae Traditionis auctoritatem, eique tamquam stabili & immobili fundamento inniti debere Catholicorum fidem, passim ac fere singulis paginis laudatus Auctor inculcat: *In ipsa*, inquit (a), *Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est &c.* Si ergo sit aliquod dogma, quod universa & nunc teneat, & olim ac semper tenuerit Ecclesia; nulli dubium esse potest, quin illud certissima fide amplectendum sit, & quin etiam ad eam fidem pertineat, quam Tertullianus immobilem & irreformabilem esse definit.

Quid igitur, inquit Vincentius (b), *tunc faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? ...... Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? .... Quid si in ipsa vetustate, duorum aut trium hominum, vel certe Civitatis unius aut etiam Provinciae alicujus error deprehendatur?* An ideo Catholicorum fides nutabit; & quod antea in Ecclesia firmiter, immobiliter, & irretractabiliter tenebatur, deinceps in opinione versabitur; & dubii & ancipites haerebimus, donec res tota fuerit in oecumenica aut plenaria Synodo retractata? Non ita Vincentius respondet. At si primum acciderit; tunc Christianus Catholicus *pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponet*. Si alterum imminere videatur; *tunc item providebit, ut Antiquitati inhaereat, quae prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.*

(a) Cap. III. (b) Cap. IV.

ci. Si quod postremo propositum est deprehenderit; *tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscientiae, si qua sunt universaliter antiquitus universalis Ecclesiae decreta praeponat*. Quoniam vero contingere potest, ut nulla circa emergentem controversiam Ecclesiae universalis auctoritate constituta sit regula, aut conditus Canon; ideo rursum Vincentius quaerit, *quid* Christiano Catholico faciendum sit, *si tale aliquid emergat ubi nihil ejusmodi reperiatur*. An tunc saltem fides ejus in ambiguo versabitur, aut in suspenso manebit, donec plenaria Synodus habeatur, & antiqua fides retractetur, & certa regula præfigatur? Minime: sed *tunc operam*, inquit, *dabit, ut conlatas inter se majorum consulat interrogetque sententias ..... & quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte frequenter perseveranter, tenuisse scripsisse docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum*. In ea versamur hypothesi, quod novella contagio non jam particulam tantum, ut olim Africam Donatistae; sed, ut Ariana perversitas, pene orbem totum, & totam pariter Ecclesiam contaminare conetur; quod profanae novitati, ut olim Haereticorum Baptismum velut irritum repudiantibus, unius aut Civitatis, aut Provinciae suffragium in ipsa vetustate non desit; Quod Catholicis nulla suppetant Concilii generalis decreta, quae sacrilegam novitatem perspicuis conceptisque verbis praedamnarint; ut quum primum Appollinaris, ut postmodum Eutyches unam Christi naturam commenti sunt: In ejusmodi, inquam, versamur hypothesi, quae maxime exigere videtur Oecumenicae Synodi auctoritatem: nec tamen praestolari nos ejusmodi Synodum Vincentius jubet, & interim suspensos & incertos manere; sed in eo quod antiquitus traditum semel in Ecclesia Catholica accepimus, immobiles nos esse vult & inconcussos.

Haec autem ille quae toto passim in Opere sedulo ac diligenter inculcat, Capite XXXIX. accuratius & luculentius sequentibus verbis explanat: *Hic jam*, inquit, *consequens esse video, ut exemplis demonstrem, quonam modo profanae Haereticorum novitates, prolatis atque conlatis veterum Magistrorum concordantibus sibimet sententiis, & deprehendantur & condemnentur*. Primum autem observat „ Antiquam „ Sanctorum Patrum consensionem, „ non in omnibus divinae legis quae- „ stiunculis, sed solum certe praecipue „ in fidei regula, vel ut in altero Com- „ monitorio pariter admonet, *in iis* „ *dumtaxat praecipue quaestionibus qui-* „ *bus totius Catholici dogmatis funda-* „ *menta nituntur*, magno nobis studio „ & investigandam esse & sequendam. Deinde duplex adversus Catholicam veritatem errorum genus distinguit; alterum inveteratum, & jampridem Concilii universalis auctoritate protritum; alterum quod recens eruperit, & nondum ad plenariae Synodi examen perductum sit. Quod ad primum adtinet genus, hanc ille regulam statuit: *Quascumque illas antiquiores vel schismatum vel haereseon profanitates, nullo modo nos oportet nisi aut sola si opus est Scripturarum auctoritate convincere, aut certe jam antiquitus universalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas damnatasque vitare*. Sed quid fa-

Digitized by Google

cto opus erit, si hactenus invisum doctrinae monstrum exsurgat? An Oecumenica Synodus expectanda erit, ut illud tamquam certam perniciem aversemur? *Quum primum*, inquit, *mali cujusque erroris putredo erumpere coeperit, & ad defensionem sui quaedam sacrae Legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere; statim interpretando Canoni Majorum sententiae congregandae sunt; quibus illud quodcumque exsurget novitium ideoque profanum, & absque ulla ambage prodatur, ET SINE ULLA RETRACTATIONE damnatur.... & quicquid vel omnes vel plures, uno eodemque sensu, manifeste frequenter perseveranter, VELUT QUODAM CONSENTIENTE SIBI MAGISTRORUM CONCILIO, accipiendo tenendo tradendo firmaverint, ID PRO INDUBITATO CERTO RATOQUE HABEATUR.*

Eamdem vim in sanciendis dirimendisque fidei controversiis, & insurgentibus erroribus comprimendis & sine ulla retractatione damnandis, in Veterum Patrum qui olim in Ecclesiae pace defuncti sunt constanti & unanimi Traditione Vincentius collocat, atque in decreto Concilii, quod modo ex universis Christiani Orbis Episcopis congregaretur. Quod sane ex Divo Augustino desumtum esse videtur; qui quum undecim ex antiquis Patribus, qui diversis & locis & temporibus floruerant, testes adversus Pelagianos Catholicae Traditionis produxisset; Julianum arguit, *qui maxime querebatur, examen ipsis & Episcopale judicium denegari*. Ostendit enim in undecim illis Patribus cum ceterorum choro mire concinentibus, tantum inesse pondus auctoritatis, ut graviore nec Synodus ex toto terrarum orbe congregata polleret: *Isti*, inquit (a), *Episcopi sunt docti graves sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione eruditione libertate, quae tria bona judici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt..... Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in Librum qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti Judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumserunt, cujus lac & cibum paucis magnisque ministrarunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime ac fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus rigatoribus aedificatoribus pastoribus nutritoribus crevit; ideo profanas voces vestrae novitatis expavit &c.* Horum autem Judicum omnino irretractabile & irreformabile esse judicium, neque ab hujusce veluti generalis Synodi eique consentientis Ecclesiae sententia esse ad quem provocetur, & a quo refragantium ipsorum doctrinae caussa retractetur, eodem loco S. Augustinus diserte docet, & invicte demonstrat: *Quod* inquit (b) *invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus*

(a) Lib. II. cont. Julian. cap. X. num. XXXVII. (b) Ibid. num. XXXV. & XXXVI.

bus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est caussa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus. Dicis, „ me „ si sub potestate Judicum premerer, „ *quales tibi ipse componis*, non habi- „ turum fuisse quid facerem, quo con- „ fugerem; cum tuis argumentatio- „ nibus unde occurrerem, reperire „ non possem. *Ego plane haberem quid facerem, haberem quo confugerem: a Pelagianis enim tenebris ad haec tam praeclara catholica lumina provocarem; quod & nunc jam facio. Tu ergo responde quid facias, dic quo confugias. Ego a Pelagianis ad istos: tu ab istis ad quos?* At si Catholicae veritates ab Haereticis oppugnatae in Conciliis generalibus retractantur, facile respondere poterant Pelagiani, & eorum nomine Julianus: Ego ab illis, & ab Ecclesia ubique diffusa, ad Ecclesiam in Synodo Oecumenica congregatam. Qua propter ex ea S. Augustini interrogatione aperte ac luculenter efficitur, non esse gravius aliquod & superius judicium, in quo veteris & constantis & universalis Ecclesiae Traditionis sententia reformari valeat. Quod etiam non minus clare ac diserte eodem loco S. Augustinus sequentibus verbis confirmat (*a*): *His igitur eloquiis, & tanta auctoritate Sanctorum, profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi optem, videt qui faciat: aut si, quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia, & est magna stultitia, perduraveris; non tu Judices quaesiturus es, ubi caussam tuam purges; sed ubi tot Sanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicae veritatis accuses, Irenaeum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Johannem, Innocentium, Hieronymum, ceterosque socios ac participes eorum, insuper & universam Christi Ecclesiam, cui divinae familiae Dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria clauserunt.* At si in Oecumenicis Synodis veterum Sanctorum & Ecclesiae toto Orbe diffusae doctrina reformabilis esset, non defuissent Juliano Judices, ubi & caussam suam purgare, & tot Sanctos Catholici dogmatis adsertores, & universam insuper Christi Ecclesiam accusare praesumeret; nempe ipsa Synodus Oecumenica, & Ecclesia in generali Concilio congregata, ad quae semper solemne fuit Haereticis provocare: Ergo, Augustino auctore, Ecclesiae ubique diffusae, & in Synodo congregatae sententia perinde irreformabilis est.

Et haec quidem adeo sunt manifesta & explorata, ut iis etiam Illustrissimus Gallicanae Declarationis Defensor primo adspectu concinere in hoc Capite videatur: postquam enim ait, certissimam esse invictissimam eminentissimam Ecclesiae consentientis auctoritatem, adjungit: „ Hinc illa in Conci- „ lia generalia manat, quam in eis „ agnoscimus, certa & ineluctabilis „ auctoritas. Neque enim alia ratio- „ ne in Conciliis, sive in Ecclesia „ congregata valet unitas atque con- „ sen-

(*a*) Ibid. num. XXXVII.

Digitized by Google

„ ſenſus, quam quod in Eccleſia toto orbe diffuſa aeque valeat: ipſa enim Synodus eo valet, quod univerſalem repraeſentat Eccleſiam: neque ideo Eccleſia congregatur, ut valeat unitas atque conſenſio; ſed ideo congregatur, ut quae in Eccleſia ubique diffuſa per ſe valet, in eadem congregata ab Epiſcopis Eccleſiarum Doctoribus, tamquam idoneis teſtibus clarius demonſtretur. Ex his igitur duplex intelligitur ratio agnoſcendae Catholicae veritatis: prima ex conſenſione Eccleſiae ubique diffuſae; ſecunda ex conſenſione Eccleſiae in Synodis Oecumenicis ſive generalibus adunatæ: quam utramque rationem a nobis ſigillatim exponi oportebit, ut vim illam infallibilem & ineluctabilem in toto Eccleſiae corpore repoſitam eſſe, clarius demonſtremus.

Haec, inquam, cum iis, quae hactenus in praeſenti Articulo ex Vincentio Lirinenſi & Auguſtino docuimus, conſentire omnino prima fronte videntur. Si enim ad hoc tantum Oecumenicae Synodi congregantur, ut unitas atque conſenſio, quae in Eccleſia ubique diffuſa per ſe valet, in eadem congregata ab Epiſcopis Eccleſiarum Doctoribus tamquam idoneis teſtibus clarius demonſtretur; non ad hoc certe Concilia generalia congregantur, ut fidei dogmata, quae in Eccleſia toto orbe diffuſa tamquam divinitus revelata creduntur, in diſceptationem veniant, ut de illis deliberetur, ut reformentur, ut emendentur; ſed ut iis immotis manentibus, & fides diligentius enucleetur, & haereticae pravitatis anfractus & latebrae detegantur, & tum Catholicae doctrinae exponendae, tum adverſis erroribus profligandis certi Canones ſeu Regulae ac Formulae praeſcribantur. Quae quidem expreſſa eſt Vincentii Lirinenſis ſententia; ſed cum ea conciliari non poteſt Illuſtriſſimi Defenſoris opinio, qui, ut deinceps videbimus, Eccleſiae doctrinam in Conciliis Oecumenicis adſertam ac definitam, tamquam reformabilem ſpectatam fuiſſe docet, donec generalis Synodus habita eſt. Quod quidem quam alienum a veritate ſit, poſtea per celebriora cum Illuſtriſſimo Adverſario Concilia diſcurrendo, diſertius demonſtraturus ſum. Interim autem Lirinenſis adtexam verba, cum quibus, uti dixi, illa defenſoris opinio conciliari nullatenus poteſt: (a) *Chriſti vero*, inquit, *Eccleſia, ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat nihil minuit nihil addit; non amputat neceſſaria, non adponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena: ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut vetera fideliter ſapienterque tractando, ſi qua ſunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat; ſi qua jam confirmata & definita, cuſtodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt, niſi ut quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem poſtea inſtantius praedicaretur; quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſollicitius excoleretur? Hoc, inquam, NEC QUICQUAM PRAETEREA, haeretici-*

(a) Cap. XXXII.

reticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia; nisi ut quod prius a Majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde Posteris etiam per Scripturae Chirographum consignaret; magnam rerum summam paucis literis comprehendendo; & plerumque propter intelligentiae lucem, non novum fidei sensum novae appellationis proprietate signando. His ergo limitibus Conciliorum generalium negotium circumscribitur & officium; neque unquam hanc sibi curam Concilia generalia sumserunt, ut avitam universalis Ecclesiae fidem reformarent, vel ut deliberarent, utrum immota consisterent aut consistere deberent Catholicae doctrinae fundamenta. Quod tamen omnino dicendum est, si quae postmodum de prioribus Conciliis generalibus Cl. Bossuetius disputat, vera sunt.

CAPUT VI.

„ Concilium Apostolicum Hierosolymis habitum de Legalibus, ut „ omnium Conciliorum forma proponitur: Perpenditur illud; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: „ Vis spiritus in ipsa consensione „ posita: in eam rem egregiae „ Concilii quinti, ac Sancti Caelestini Papae in Concilio tertio „ auctoritates.

QUae initio hujus Capitis monet Illustrissimus Gallicanae Declarationis Defensor; „ Sacris Ecclesiae „ Catholicae Oecumenicis sive generalibus Conciliis, Concilii Apostolici Hierosolymis habiti de Legalibus praelucere auctoritatem: & ibi „ quam maxime futuris quaestionibus „ dicendis formam dari oportuisse; haec, inquam, quae initio monet, & in progressu capitis saepius ingerit & inculcat, ea nos libenter amplectimur; tum quia vero consentanea esse existimamus; tum etiam quia caussae nostrae non modo nihil nocent, sed eam mirifice adjuvant & confirmant: dum ea tamen quae Synodum praecesserunt, & quae in ipsa Synodo, & post Synodum gesta sunt, non leviter ac perfunctorie, sed accurate ac diligenter examinemus. Quod sequentibus Articulis praestare pro virili conabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententiam de non adigendis Gentilibus ad Legalium observationem, Apostolos jampridem ante Hierosolymitanum Concilium pro certo ratoque dogmate habuisse, & ad eam fidem pertinuisse, quam Tertullianus immobilem & irreformabilem, *adeoque* & irretractabilem *esse definit*.

QUaestio, propter quam dirimendam Hierosolymitana Synodus coacta est, in eo versabatur; An Gentiles, qui Christianam Religionem amplectebantur, & Baptismo initiati ex Evangelii norma vitam agere instituebant, salutem adsequi possent, nisi & circumcisionem susciperent, aliaque Mosaicae Legis instituta servarent. Porro ea de re tam clare Deus & aperte suam revelaverat voluntatem, tam res illa erat Apostolis explorata, & tam firmis certisque fixa principiis; ut persuadere mihi nullatenus valeas, [in quo tamen argumenti

Digitized by Google

ti tui posita vis est] tamquam de re nondum satis comperta & eliquata disceptatum in Synodo Hierosolymitana fuisse. Nam ubi primum Cornelii Centurionis conversione patefactum est Gentibus ostium fidei, quid in earum salute procuranda facto opus esset, Deus aperta visione & clarissimis signis Apostolorum Principi declaravit. Oranti enim, & in mentis excessu posito, conspectum est linteum magnum e caelo demissum, omni animalium genere refertum: de quibus quum promiscue comedere jussus, Gentes pro immundis habendas non esse didicisset; Spiritu monente, cum missis a Cornelio, quibusdam e fratribus comitantibus, Caesaream perrexit: ubi Cornelium cum tota familia & amicis quampluribus in ejus domo congregatis, concione ad eos habita, ad fidem Christi convertit; atque Spiritu Sancto caelitus in eos ultro nulla praecedente Petri manuum impositione delapso, Christi Baptismate tinxit. Horum fama ubi primum Hierosolymam ad Apostolos & alios ex circumcisione Fideles perlata est, non una omnibus sedit opinio, sed in varios sese sensus induerunt. Quare quum Hierosolymam Petrus adscendisset; Qui ex Judaismo Christi susceperant religionem, litem ipsi intentarunt, quod cum Viris incircumcisis conversatus fuisset & cibum sumsisset: at eis Petro rem totam ordine enarrante, quieverunt; & glorificaverunt Deum, quod etiam Gentibus aditum in Ecclesiam reserasset.

Gesta sunt haec anno communis aerae juxta Usserii calculos XLI. qui Concilium Hierosolymitanum anno ejusdem aerae LII. consignat: quo temporis intervallo dispersi per universum orbem Apostoli, Christi nomen & Evangelium non modo Judaeis, sed etiam Gentibus annunciarunt. Nec dubium, quin eamdem regulam ac disciplinam in recipiendis in Ecclesiam Gentilibus observarint, quam ex Petro caelitus edocto didicerant. Quae speciatim in variis provinciis Paulus & Barnabas gesserint, partim Actuum Apostolicorum historia, partim ipse Paulus in suis Epistolis narrat. Nam priore quinquennio quae Lucas scribit in Actibus perfecerunt; posteriore vero Paulus, inquit Usserius (a) Christi Evangelium usque ad Illyricum propagavisse videtur, iis qui de Christo nihil adhuc audierant illud praedicando; eaque perpessus fuisse quae in posteriore ad Corinthios Epistola ipse commemorat. Nempe ut Philippis postea semel, ita prius bis a Gentibus alibi caesus virgis fuisse; a Judaeis quinquies quadragenas una minus accepisse; ter naufragium fecisse, noctem ac diem in profundo egisse. Cum enim inter Pauli & Barnabae ad Ecclesiam Antiochenam reditum, & eorumdem ex ea ad Concilium Hierosolymitanum institutam profectionem, juxta nostras quidem rationes integrum interpositum reperiatur quinquennium; nusquam alibi commodius reponere ista possumus, quam in hoc tanti spatii sanctae Historiae silentio. Porro ex Actis Apostolicis & universis ejus Epistolis perspicuum est, nihil aliud Apostolum commendasse, quam fidem in Jesum Christum, ejusque gratiam, & Evangelicorum

---

(a) Annal. nov. & vet. Test. ad an. XLVI.

eorum praeceptorum observantiam; omnino autem ab onere circumcisionis & jugo Legis Mosaicae exemtos voluisse Gentiles, qui Christianam Religionem amplectebantur. Quam ille praedicandi Evangelii rationem in Epistola ad Galatas *non ab hominibus neque per hominem* accepisse se atque didicisse testatur, *sed per revelationem Jesu Christi*: quae ipsi adeo perspecta erat atque explorata, ut ante Hierosolymitanam Synodum cum aliis Apostolis non contulerit Evangelium, quod jam tot annos tot Gentibus praedicaverat; eaque fretus, aliud annuncianti Evangelium, etiamsi Angelus e caelo, esset, anathema semel atque iterum dicit.

Quum ita inter Gentes Apostolorum opera, (*a*) *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis* (*b*) *& portentis & variis virtutibus & Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem*, ubique terrarum Ecclesiae fundarentur; quidam e Secta Pharisaeorum Christiani nominis professores, nulla vel a Deo vel ab Apostolis accepta missione [*quibus*, inquiunt in Epistola Synodica Apostoli, *non mandavimus*] Antiochiam ex Judaea descendentes, Christianos ex Gentibus circumcidi oportere dicebant & legem Moysi observare, si salvi esse vellent; multorum in Syria & Cilicia Fratrum animas perturbantes. Quibus statim Paulus & Barnabas se se acriter opposuerunt. Eos *παρεισάκτους ψευδαδέλφους irreptitios falsos fratres* Paulus appellat (*c*) eorumq; antesignanum fuisse Cerinthum Haeresiarcham, Philastrius (*d*) & Epiphanius (*e*) tradunt. Apostolorum & Seniorum, qui Hierosolymis erant, nomine & auctoritate Cerinthus aliique turbones abutebantur; perinde atque illi, secus ac Paulus & Barnabas, Gentiles qui Christo & Christianae Religioni nomen dare vellent, ad circumcisionem adigerent & Mosaicae legis jugo & servituti subjicerent. Quapropter communi consilio statutum est, ut Paulus una cum Barnaba aliisque nonnullis Hierosolymam adscenderet, & illic degentium Apostolorum & Presbyterorum de oborta controversia sententiam exquireret. Verum ille ejusmodi iter non humano solum consilio, sed etiam, ut est in Epistola ad Galatas, ex divina revelatione suscepit; adsumtoque simul Tito Graeco, eum ad circumcisionem cogi noluit, ne falsis illis fratribus ad momentum cedere videretur. Paulus ergo & Barnabas una cum sociis Antiochia profecti, in itinere per Phoeniciam & Samariam narrantes conversionem Gentium, ingenti gaudio fratres omnes adfecerunt. Et quum Hierosolymam pervenissent excepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis & Senioribus; quibus quanta Deus per ipsos effecerat retulerunt. Paulus autem privatim ac seorsim primariis inter Apostolos Jacobo, Petro & Johanni qui videbantur esse columnae, Evangelium exposuit quod Gentibus praedicabat; in quo illi non modo nihil a Christi doctrina dissonum, aut aliquid quod supplendum & adjiciendum

dum

(*a*) Marci ult. vers. ult.
(*b*) Heb. cap. II. vers. 4.
(*c*) Galat. cap. II. vers. 4.
(*d*) De Haeres. cap. LXXXVII.
(*e*) Haeres. XXVIII.

dum esset, animadverterunt; sed etiam specialem in eo gratiam & vocationem admirantes, qua a Spiritu Sancto ad Apostolatum & conversionem Gentium electus erat ut ipse Gentium Apostolus, quemadmodum Petrus Circumcisorum, destinatus specialiter videretur; dextras societatis dederunt ei ac Barnabae, ut illi apud Gentes, ipsi vero apud Judaeos Apostolatu fungerentur; hoc tantum monentes, ut pauperum qui Hierosolymis erant, sublevandorum curam susciperent.

Ex hac perbrevi earum rerum quae Concilium praecesserunt expositione plurima sponte proficiscuntur argumenta, quibus certo perspicueque conficitur, rem de qua postmodum in Synodo disceptatum est, tam certam Apostolis exploratamque fuisse quam quaelibet alia christianae fidei mysteria; nec potuisse in dubium revocari, quin ipsa Religionis fundamenta concuterentur. His enim christiana Religio cardinibus sustinetur: 1. Non esse aliam veram Religionem, nisi quam Deus instituit & hominibus revelavit. 2. Veram Religionem omnia complecti quae necessaria sunt, ut homines divinis obsequiis mancipati aeternam beatitudinem adsequantur. 3. Deum ea, quibus coli pro temporum varietate, & per quae nos ad aeternam voluit eniti felicitatem, sua providentia opportune hominibus revelasse. 4. Quod spectat ad christianam Religionem ejusmodi revelationem fuisse Apostolis factam, nobisque per Apostolos innotuisse. Ut praeclare Tertullianus animadvertit lib. de Prescript. capite XX. & seqq. (a) Haec

(a) Christus Jesus Dominus noster, permittat dicere interim, quisquis est, cujuscumque Dei Filius, cujuscumque materiae homo & Deus, cujuscumque fidei praeceptor, cujuscumque mercedis promissor; quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret; quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus magistros. *Et infra*: Hanc igitur dirigimus praescriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos Praedicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius *Patrem novit nisi Filius, & cui Filius revelavit*; nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit..... Quis enim integrae mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quaeque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum; aedificandae Ecclesiae Petram dictum, claves Regni caelorum consecutum, & solvendi & alligandi in caelis, & in terris potestatem? Latuit & Johannem aliquid dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, & Moysen & Heliam, & insuper de caelo Patris, vocem? Non quasi ceteros reprobans, sed quoniam *in tribus testibus stabit omne verbum*. Ignoraverunt itaque & illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes scripturas edisserere dignatus est? dixerat plane aliquando „*Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere*: tamen adjiciens: „*Cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem*„ ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis, repromiserat; & utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti.

Haec autem solida & inconcussa christianae Religionis principia nutare omnino ac periclitari necesse est, si demum post jacta ubique terrarum Ecclesiarum inter gentes fundamenta, incertum Apostoli habuerint, An sine circumcisione & Legalium institutorum observantia salutem Gentiles adsequi possent. Si enim de hac re dubitatum ab Apostolis est, sequitur, ut etiam dubitaverint, an eos Spiritus Sanctus omnem veritatem nationibus intimandam docuerit; an Evangelium, quod neque ab hominibus neque per homines Paulus acceperat, sed per revelationem Jesu Christi didicerat & Gentibus praedicaverat, omnia complecteretur sine quibus salus constare non poterat; an forma, quam recipiendis in Ecclesiam Gentibus Apostolorum Principi in excessu mentis posito Spiritus Sanctus praescripserat, legitima esset, pleneque ac perfecte divinae consona voluntati; Denique an Religio, quam Deus tot miraculis confirmaverat, tot charismatis illustraverat, tot virtutibus decoraverat, & quae jam per universum orbem, nequicquam obnitentibus Ethnicis & Judaeis, mirifice propagabatur, vera esset Christi Religio, per quam aditus ad aeternam beatitatem & beatam aeternitatem pateret: An potius aliquem Cerinthum, ut verbis utar Tertulliani (a), *liberanda veritas exspectabat? Interea vero perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata*; Haec, inquam, omnia eo plurium annorum intervallo, qui a Cornelii conversione ad usque Hierosolymitanam Synodum effluxerunt, perperam gerebantur seu gesta sunt, si absque circumcisione & Mosaicae legis observantia Gentiles, qui Christianis Sacris initiabantur, ad salutem pervenire non poterant. Quapropter hac de re quaestionem movere eamque in disceptationem vocare perinde erat atque ipsa fidei ac Religionis fundamenta concutere. Quid enim in Religione firmum ac stabile, si dubium aliquando fuit, an Ecclesiae ab ipsismet Apostolis institutae, quaecumque ad verum Dei cultum & salutem hominum pertinent, reapse complecterentur? Nam si de hac re semel ambigere licuit, nutare prorsus oportuit in hominum mentibus & vacillare Christi promissa de mittendo Apostolis Spiritu Sancto, a quo ad omnem veritatem informarentur. Ergo tam certa semper in Ecclesia & constans & immobilis veritas fuit, patere Gentibus ad salutem aditum sine circumcisione & legalibus caeremoniis, quam hoc semper firmum & immobile Christianae doctrinae principium fuit, Apostolos ex Christi promissione omnem a Spiritu Sancto veritatem edoctos in ponendis Ecclesiae fundamentis errare non potuisse.

AR-

(a) Lib. de praescript. cap. XXIX.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Quo sensu in Concilio Hierosolymitano de Legalibus disceptatum. Rem jure suo irretractabilem Apostolorum indulgentia fuisse in ea Synodo retractatam.

UBi Hierosolymam tum Paulus & Barnabas una cum sociis, tum Cerinthus, ut Philastrio & Epiphanio videtur, & alii Judaizantes pervenerunt; illi ab Ecclesia & ab Apostolis ac Senioribus excepti, narraverunt quanta Deus per eos fecisset in Gentibus: & tunc videtur Paulus, cum praecipuis Apostolorum, Jacobo Petro & Johanne, Evangelium contulisse quod in Gentibus praedicabat; quod illi omnino probarunt, & ut quo coeperat pede pergeret, hortati sunt. Itaque nullum de hac re inter Apostolos divortium erat opinionum, sed omnium una sententia erat, ad legalium observantiam non esse Gentiles adigendos; qua de re Deus illis, tum caelestibus visionibus tum innumeris signis, suam demonstraverat voluntatem. Attamen quoniam ex adverso *surrexerunt quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant dicentes: Quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi, convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Porro id mera Apostolorum indulgentia factum esse, duplici ratione luculentissime demonstratur.

Primo enim, uti recte Eminentissimus Bellarminus observat (a), poterat non modo Petrus, sed quilibet ex Apostolis ex se se hanc controversiam dirimere; quod quamquam Bagotius Bossuetio in hoc ipso Capite laudatus non adprobat, probatur tamen auctoritate quintae Synodi quam hic pariter idem Illustrissimus Auctor adducit (b): *Pro his ad memoriam ejus* (Vigilii) *produximus magna illa Apostolorum exempla & Patrum traditiones. Licet enim Sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quae agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt.* Quo testimonio nullum evidentius desiderari potest ad illud adstruendum, quod in praesentia contendimus, potuisse quemlibet Apostolorum excitatam de Legalibus quaestionem absque Synodo & propria auctoritate dirimere. Idem etiam, quod ad Petrum adtinet, haud obscure indicat sequentibus verbis S. Gregorius Magnus (c): *Certe enim Petrus potestatem regni caelestis acceperat, ut quaeque in terra ligaret vel solveret, essent in caelo ligata vel soluta ..... Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quaestio a fidelibus facta est, cur ad Gentiles intrasset & comedisset cum eis, cur eos Baptismate suscepisset. Et tamen idem Apostolorum primus, tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum*

(a) Lib. IV. de Pontif. cap. VII.
(b) Collat. VIII.
(c) Lib. IX. Epist. XXXIX. ad Theoctist.

rum potestate suffultus, querelae fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, caussam per ordinem exposuit &c. Si enim quum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum Oves, quae ei commissae fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in caussa reprehensionis suae etiam testes exhibuit dicens: Venerunt autem mecum sex fratres isti. *Si ergo Pastor Ecclesiae Apostolorum Princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in caussa reprehensionis suae rationem humiliter reddere; quanto magis nos peccatores, quum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?* Ut potuit Sanctus Petrus ejusmodi controversiam, quum primum ob Cornelii Baptismum excitata est, sola auctoritate compescere ac definire: ita etiam Antiochiâ, ubi postmodum eadem contentio recruduit, ad se praecipue delatam potuit eadem auctoritate ac potestate sancire. Sed hic etiam maluit, ut Sanctus Johannes Chrysostomus inferius citandus animadvertit, mansuetudinis quam potestatis exhibere documentum. Et quemadmodum quum primum lacessitus est, perinde ac si ex aequo cum sociis caussa agenda esset, non nisi ratione eorum objectioni satisfaciendum putavit: ita postmodum eamdem rem, quam potestate sibi tradita uno verbo dirimere potuisset, eadem erga errantes indulgentia in Synodo examinari permisit, & communi judicio ac sententia definiri.

Secunda ratio, qua facile demonstratur, mera Apostolorum indulgentia habitum fuisse Concilium ex iis quae superiore Articulo late probavimus sponte fluit. Ostensum est enim, de hac re, quae in controversiam a quibusdam Judaizantibus vocabatur, perspectam fuisse Apostolis & exploratam Dei voluntatem; cujus, ut omittam Petri visiones & Pauli revelationes, totidem erant luculentissima argumenta innumera signa, quibus Deus ipsius Pauli tot jam annos tot inter Gentes praedicationem confirmaverat: neque enim divina Providentia Pauli doctrinam tot miraculis adprobasset, si sola Jesu Christi fides & gratia & Evangelicarum legum observantia, quae unice Apostolus Gentibus commendabat, tutum eis ad beatitudinem iter non præstabant absque circumcisione aliisque Legalibus caeremoniis; quas idem Apostolus tamquam inania elementa nihil profutura Gentibus repudiabat. Ac proinde non tamquam de re incerta tractatum de illa & inquisitionem Apostoli decernere potuerunt; sed tantum ut se paullisper repugnantibus adtemperarent, ne illorum opinio videretur magis praejudicata, quam examinata damnari. Negat id quidem apud Bossuetium Bagotius his verbis: *Nec placet, sic lusisse Apostolos, aut simulate ab iis institutam quaestionem de re, quam exploratissimam habebant:* indicat tamen in hunc ipsum Actorum locum S. Johannes Chrysostomus; qui non ait quidem, lusisse Apostolos, aut simulate quaestionem instituisse; sed permisisse, ut inquisitio ac disceptatio haberetur; quamquam ex praecedentibus

Digitized by Google

tibus signis exploratissimam hac de re Dei voluntatem haberent (a): *Et non dixit Paulus: Quid? Non merebor fidem a tantis signis? Sed differit propter illos*. Et infra de Petro loquens: *In Ecclesia permittit primum inquisitionem & disputationem fieri, & tunc ipse dicit*. Et rursum: *Sed vide, quam mansuete & non cum auctoritate loquuntur. Namque talia amabilia, & magis animo figuntur. Vides, nusquam sermonum, sed operationum & spiritus ostentationem. Attamen etiam tantis muniti rationibus, adhuc mansuete loquuntur*. Quae consona sunt iis, quae S. Gregorius paullo ante laudatus animadverit, Petrum, ut mansuetudinis exemplum exhiberet, voluisse hoc negotium non modo auctoritate verum, & ratione transigere.

Possunt haec omnia illustrari simul & confirmari ex iis, quae scribit Apostolus in Epistola ad Galatas, quae ferme tota in hoc argumento versatur. Primum enim ait, sese Evangelium, quod praedicabat in Gentibus, cum Apostolis neutiquam contulisse: *Fuisset enim extremae dementiae*, [ut S. Johannes Chrysostomus ac Theodoritus in hunc locum adnotant] *eum, qui a Deo fuerat edoctus, postea cum hominibus communicare*. Attamen ubi quaestio de Gentibus circumcidendis adversus Evangelium, quod ipse caelesti revelatione didicerat & ubique in Gentibus annunciabat, Antiochiae concitata est, tunc Hierosolymam adscendit, ut hoc idem Evangelium cum Apostolis communicaret. Quae quamquam prima fronte adversa videntur, facile tamen ab Interpretibus conciliantur. Observant enim, contulisse cum Apostolis Paulum, non quidem veluti incertus esset an cum eorum doctrina consentiret, sed ut aliis persuaderet, praecipuis Apostolorum suam probari sententiam: *Adscendit illuc*, inquit laudatus Chrysostomus, *quum in Civitate Antiochia .... quaestio nata est de hac ipsa re, quae nunc est in manibus. Quaerebat autem, utrum essent circumcidendi, qui ex Gentibus credidissent ..... Id temporis adscendit tum hic ipse Paulus tum Silas. Quo modo igitur dicit, Non adscendi neque contuli? Primum quidem, quoniam ipse sponte non adscenderat, sed missus erat ab aliis. Deinde, quoniam non accessit eo ut aliquid disceret, sed potius ut aliis persuaderet. Nam ipse statim ab initio fuerat ejus sententiae, quam Apostoli postea comprobarunt; videlicet non esse circumcidendos. Ceterum quoniam ad eum usque diem non visus est illis sat idoneus, cui fides haberetur, sed magis auscultabant eis, qui versabantur Hierosolymis; adscendit non ipse percepturus quod ante nescierat, sed ut contradicentibus persuaderet, eos qui Hierosolymis erant huic sententiae subscribere. Itaque ab initio quid esset agendum perspexerat, nec opus habebat ullo doctore, sed quae post multam discussionem erant Apostoli decreturi, haec ipsa citra discussionem caelitus habebat apud sese certa & indubitata. Idque Lucas declarans dicit, Paulum prolixam & copiosam orationem habuisse super hisce rebus apud illos, etiam priusquam iret Hierosolymam. Verum quoniam ita visum est fratribus, ut ab illis quoque discerent,* adscen-

(a) Hom. XXXII. in Act. Apost.

adscendit, *non sua ipsius caussa sed illorum*. Ergo quemadmodum Paulus super hac ipsa quaestione de Gentibus circumcidendis prudenter cum Apostolis contulit, etsi certa illi haereret de hac re & indubitata sententia, quam & a Deo edoctus acceperat: ita Apostoli, quamvis eamdem rem exploratissimam haberent, sapienter inquisitionem & disputationem fieri permiserunt: quoniam quemadmodum Paulus contulit, non ut ipse disceret sed ut alios doceret; ita disputationem Apostoli instituerunt, non ut ipsi latentem veritatem eruerent, sed ut aliis detegerent.

Quod magis etiam perspicuum fiet, si ad tempus adtendamus, quo inter Paulum & Apostolos instituta collatio est; nam & seorsum cum praecipuis Apostolorum, & publice sive in Concilio, cum ipsis & ceteris Senioribus contulit. Sed privata collatio publicam praecessit, ut cum per se satis verisimile est, tum ab Interpretibus communiter observatur (*a*), & merito, nam Paulum & Barnabam in Concilio sedisse inter Apostolos, certum est: jam ergo eorum missionem & Apostolatum Petrus & Jacobus & Johannes probaverant, & dexteras eis dederant societatis tamquam veris ac germanis Apostolis Christi. Quod certe factum ab eis non est, ut ipse Paulus narrat in Epistola ad Galatas, antequam illis exposuissent Evangelium quod Gentibus hactenus annunciaverant, & signa narrassent & charismata, quibus caelestem eorum missionem Spiritus Sanctus probaverat. His autem argumentis non modo Apostoli intellexerunt, nihil esse quod eorum Evangelio adderetur, aut quod in eo corrigeretur; verum etiam sic Paulum esse a Deo ad Apostolatum Gentium specialiter destinatum, quemadmodum Petrus specialiter electus videbatur, ut Apostolatu inter Judaeos fungeretur. Unde consequens est, Apostolos in privatis congressibus Pauli sententiam de non adigendis ad circumcisionem Gentibus adprobasse, antequam de illa sollemniter in Synodo disceptaretur. Cujus rei idem Paulus eodem loco hoc etiam suppetit argumentum, quod & Titum Apostoli susceperant, & cum eo familiariter versabantur; quamvis nulla ratione animum Paulus induxerit, ut eum circumcideret: inde enim satis perspicue constabat, persuasum esse Apostolis, non esse pro immundis habendos quoscumque Christus sua gratia purificaverat; subindeque opus non esse circumcisione, ut quis vere sanctus ac mundus reputaretur. Quapropter conquisitio de hac re in Synodo ac disceptatio non propter Apostolos, sed propter Refractarios instituta est; ut nimirum ex mutua collatione facilius intelligerent, quam praepostere, & contra manifestam & apertam Dei voluntatem cogere Gentiles vellent ad suscipiendam circumcisionem, & gravissimum Mosaicae Legis jugum ferendum.

Hunc certe sensum praeferunt verba, quibus Princeps Apostolorum, post longam quam permiserat disputationem, suam de hac controversia mentem aperuit: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gen-*

(a) Vid. Synops. Criticor. & Calmet. in cap. 2. ad Galat. & Usser. in Annalib. ad an. LI.

Gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis. Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorũ. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari quemadmodum & illi. Docet his verbis Petrus, adeo clare Deum & manifeste suam de non compellendis ad circumcisionem Gentibus declarasse voluntatem, ut qui de hac re dubitabant, & illustriora signa petebant & majorem hujusce rei evidentiam desiderabant, Deum graviter offenderent, ejusque patientiam bonitatemque tentarent: ita enim hunc locum S. Johannes Chrysostomus, eumque sequuti recentiores tum orthodoxi tum heterodoxi Expositores interpretantur: *Quid est*, inquit S. Johannes Chrysostomus, *tentatis Deum? Cur increduli, inquit, estis Deo? quid tentatis illum, quasi non possit servare fide? Itaque infidelitatis est legem inferre.* Et Synopsis Criticorum hoc idem latius edisserens; *Quid tentatis Deum &c. Idest vertitis in dubium, an Deus velit circumcidi Gentes, quas jam elegit & vocavit dato Spiritu Sancto? Cur non habetis Deo fidem, quasi ille non valeat hominem fide salvare?* Cur Deum offenditis? ut Act. cap. IV. vers. 9. *Qui Deum offendit, patientiam ejus tentat: offendit autem, qui voluntati ejus sufficienter revelatae obstrepit. Deum offendit, qui ejus clara certaque dicta in dubium revocat. q.d. Cum constet de voluntate divina, Gentiles admittendos esse in Christianismum, misso in eos Spiritu; cur de ea dubitetis, Deumque tentatis, an serio hoc velit, an in dictis suis firmus sit & constans? Deinde tentatis Deum, quia conamini ejus voluntatem agnitam, ad vestram quae contraria est inflectere, ut contra id quod decrevit, imponat jugum Legis Gentilibus, quia hoc vos vultis & cupitis.* Unde consequens est, Petrum, etsi conquisitionem disputationemque permiserit, existimasse tamen adeo rem in propatulo esse, ut qui repugnabant, Deum gravissime laederent ac tentarent; utpote qui manifestissime Dei voluntati contumaciter refragarentur. Quam consecutionem ex praemissis Apostolorum Principis verbis etiam S. Hieronymus elicit scribens ad Augustinum (a): *Haec non debent molesta esse Lectori, sed & illi & mihi utilia; ut probemus, ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum, imo principem hujus fuisse decreti, Legem post Evangelium non esse servandam.*

Illustrissimus Gallicanae Declarationis defensor sic Petrum hujusce decreti Principem fuisse fatetur, ut in ejus tamen sententia vim irretractabilem & indeclinabilem non agnoscat, sed in solo totius Concilii decreto: „ Deliberatio, *inquit*, a Petro inchoatur: qui mos deinde invaluit, ut „ Sacri coetus Principes primi sententiam dicerent, iisque auctoribus „ decretum sanciretur. Petrus ergo „ ubique rectae praedicationis & rerum agendarum auctor, primus sententiam dixit . . . . . Deinde Paulus „ & Barnabas edisserunt, quae fir- „ man-

(a) Epist. int. Augustin. LXXV. al. XI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

,, mandae Petri sententiae essent. ,, Tum Jacobus dicturus sententiam, ,, expresse a Petri dictis incipit: *Viri fratres, Simon narravit &c.* Quo ,, ritu in secutis Conciliis, dicente ,, coetus Principe, ceteri deinde placere demonstrant. Nec tamen sic ,, agunt, quasi usquequaque primae ,, sententiae auctoritate constricti, sed ,, ipsi judicant & Jacobus: *Ego*, inquit, *judico &c.* Decretum deinde ,, conditum communi nomine, ac Spiritus Sancti auctoritate adscita: *Placuit nobis collectis in unum: &, visum est Spiritui Sancto, & nobis.* ,, Ibi ergo vis; *Spiritui Sancto, & nobis*: Non quod Petro praecise, ,, sed quod nobis: & a Spiritu acti, non ,, unus Petrus, sed sacri coetus unitas ,, ... Re judicata per commune judicium, nihil postea retractatum, aut ,, nova cuique relicta dissensio est.

Ut ab hoc quod postremo observat incipiam; falsum est, tum demum dissensionem compositam esse, quum Concilii nomine decretum conditum est. Nam ubi Petrus sententiam protulit, omnis illico disputatio conquievit: narrat enim Lucas, quod loquente Petro, & postquam verba facere desiit, *tacuit omnis multitudo*; hoc suo silentio reverens Petri sententiam, ejusque dicta adprobans, & ipsius sententiae & definitioni acquiescens. Nemo enim quidquam objecit, sed ejus judicium silentio quodam communi exceptum est, & veluti compressus tumultus disceptantium: nam etsi Paulus & Barnabas silentium multitudinis ruperunt, non ideo loquuti sunt, ut latum a Petro de fide judicium examini subjicerent, aut retractarent, sed ut illud confirmarent, *narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos*; etsi illas ad circumcisionem minime cogerent, sed, uti Petrus edixerat, solo spiritu fidei purificari docerent. Eamdemque Principis Apostolorum sententiam Jacobus deinde Prophetarum oraculis communivit. Itaque Petro de fide statuenti statim & omnis multitudo & Apostoli adsensi sunt; sed ejus judicium Apostoli quidem viva voce, multitudo autem silentio comprobarunt. *Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam ejus*, addit laudatus Hieronymus, *Jacobus Apostolus & omnes simul Presbyteri transierunt*: qui statim subjungit quae superius descripta sunt, Petrum scilicet principem hujus fuisse decreti, Legem post Evangelium non esse servandam. *Principem*, inquam, non ideo tantum, quia primus in Concilio sententiam dixit; sed quoniam auctoritate sua & disputationi finem & disceptantibus silentium imposuit, & omnes in suam sententiam pertraxit. Quod clarissimo argumento est, pro irretractabili & indeclinabili habitum fuisse Petri de fidei rebus judicium. Id quod ex hoc loco praeclare inter ceteros colligit disertissimus Canus in hunc modum (a): *Si Pastor omnium Fidelium Petrus est a Deo constitutus; Doctor ergo & magister Ecclesiae supremus effectus est. Quod si pascua doctrinae salubris ovibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis ac perniciosis pascere, nimirum non esset a Christo sufficienter Ecclesiae provisum. Provisum est autem sine*

(a) Lib. VI. de Loc. cap. III.

Digitized by Google

ne dubio, nisi Petrus ipse nos fefellerit inquiens „Viri fratres, vos scitis, quoniam „ ab antiquis diebus Deus in nobis „ elegit per os meum AUDIRE GENTES verbum Evangelii, ET CREDERE„. *Petrum ergo peculiariter inter ceteros elegit Christus, ut eum Gentes in fidei controversia non audirent solum loquentem, sed etiam crederent. Ita enim cum Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo, Petro definienti consentiens, ut Actorum XV. a Luca refertur.*

Ne porro haec quoniam a recente Scriptore & Pontificiae, ut ajunt, *infallibilitatis* acerrimo defensore profecta sunt, ab Adversariis facile contemnantur; adferam antiquissimi Tertulliani testimonium, quo non modo Cani argumentum validissime confirmatur, verum etiam quaecumque adversus Petri supremam & ineluctabilem in Hierosolymitana Synodo auctoritatem Bossuetius adnotat, evertuntur. Ita enim scribit (*a*): *Sed & in illa disceptatione custodiendae nec ne legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, & de nationum vocatione praefatus*„ Et nunc, *inquit*, cur tentastis Dominum de imponendo jugo „ fratribus, quod neque nos, neque „ Patres nostri sufferre valuerunt? „ Sed enim per gratiam Jesu Christi „ credimus nos salutem consecuturos, „ sicut & illi „. *Haec sententia & solvit quae omissa sunt legis, & alligavit quae reservata sunt*. Haec Tertulliani verba recta fronte pugnant cum Cl. Defensoris observationibus: „ Ibi „ ergo vis, inquit Bossuetius *Spiritui* „ *Sancto, & nobis*: Non quod Petro praecise, sed quod nobis: & a „ Spiritu acti, non unus Petrus, sed „ ipsa sacri coetus unitas. At vero Tertullianus etsi non negat sacro illi coetui divinum Spiritum adfuisse; attamen specialiter Petrum Sancto Spiritu adflatum & incitatum fuisse docet, quum sententiam de non observandis Legalibus protulit: *Primus omnium Petrus Spiritu instinctus*. Praeterea, etsi decretum universo adprobante & consentiente Concilio editum fuisse non ignoraret; agnoscit tamen in solius Petri sententia absolutam & nulli retractatui obnoxiam potestatem: *Haec sententia & solvit quae omissa sunt legis, & alligavit quae reservata sunt*. Ergo Petri sententia statim atque ex ipso prodiit, efficax fuit, nec sacri coetus consensum, ut vim suam exereret, exspectavit.

ARTICULUS III.

Juxta Gallicani Cleri opinionem, Concilium Apostolicum aliorum Conciliorum forma esse non potest: sed juxta nostram sententiam reliqua Concilia ad illius primi Concilii normam & amussim celebrata sunt.

QUod initio hujus Capitis animadvertimus, hîc iterum agnoscimus ac profitemur; sacris Ecclesiae Catholicae Oecumenicis Conciliis Concilii Apostolici Hierosolymis habiti de Legalibus praeluxisse auctoritatem, in eaque Synodo formam esse propositam, quam reliquae deinceps imitarentur. Quamvis autem Gal-

(*a*) Lib. de Pudic. cap. XXI.

Gallicanae declarationis Defensor hoc ipsum in praesenti Capite identidem ingerat & inculcet ; contendimus tamen , plurimum ab ea forma Concilia Oecumenica discrepare , si vera sunt eorum principia ; sed optime cum illa concinere , si ad nostram sententiam exigantur .

Primo enim , statim exorta contentione , communi consilio Antiochiae decretum est , ut ea quaestio Hierosolymam ad Petrum & Apostolos & Presbyteros referretur ; ut re semel Hierosolymis judicata , dissensio conquiesceret , ut re ipsa conquievit,,Re , ,, *inquit Bossuetius* , judicata per ,, commune judicium , nihil postea ,, retractatum , aut nova cuique re- ,, licta dissensio est : sed perlatum de- ,, cretum ad Ecclesias ; docenturque ,, plebes *custodire Dogmata quae* ,, *erant decreta* [graece *judicata*] *ab* ,, *Apostolis & Senioribus* , *qui erant Hierosolymis* . Quapropter Concilium illud , quamquam reapse Oecumenicum seu generale non fuit , attamen ob Petri praesentiam satis habere auctoritatis creditum est ad controversiam de religione gravissimam terminandam . Quod tum praesente Petro fuit Urbs Hierosolyma , id postmodum ob in ea constitutam Cathedram Apostolicam Roma consequuta est ; ut nimirum ejus de fide ac religione judicia , ob Petrum in Romano Pontifice adhuc loquentem , vim Concilii Oecumenici seu generalis habeant ; ac proinde re semel Romae judicata , nihil postea retractandum sit : sed perferendum ad Ecclesias decretum , docendaeque Plebes custodire dogmata , quae in Urbe sancita sint. Id nos ex nostro sensu non dicimus , sed , quod certe mirandum , Heterodoxi Scriptoris fere sententiam expressimus . Grotius enim ad haec verba : *Statuerunt* , *ut ascenderent Paulus & Barnabas* , *& quidam alii ex aliis* , *ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem* ; haec adnotat (*a*) : *Tum Episcopos Hierosolymae atque Judaeae*, *tum Sacerdotes* ; *ad illos ut Judices* , *ad hos ut consiliarios & doctores* . *Apostoli quamquam in se juris satis haberent & donorum Dei & auctoritatis* , *exemplo suo docebant Episcopos nihil agere sine Presbyterorum consilio* , *probantes laudabilem Synagogae morem* : *Si qua inter Judaeos quaestio oriretur* , *unde justus erat schismatis metus* , *adibatur Synedrium instructum Viris doctissimis* , *idque ex Lege Deut.XVII.&c.Sic Christiani,ubi tale quid inter ipsos ortum esset* , *ibant consultatum Hierosolyma* , *ubi Petrus erat & Joannes* , *& Jacobus* , *forte & alii quidam Apostolorum* , *& Seniores egregii. Quod tunc fuit Urbs Hierosolyma* , *id destructis Hierosolymis* , *facta est Roma* , *ubi magna copia Eruditorum* , *tum qui in Urbe habitabant* , *tum qui aliunde eo adventabant*; *ita ut Synodus Romana Concilii Universalis* (*quale nisi sub Imperatoribus Christianis haberi non potuit* , *nec sub illis semper*) *vim aliquatenus in se contineret* ; *eoque magis quod ab ea Synodo etiam aliarum regionum Episcopi per Epistolas consuli solerent* . Valde notanda sunt haec verba , quae sine dubio ab Heterodoxis Scriptoribus vis traditionis & veritatis extorsit . Agnoscunt enim

(*a*) Eadem habentur etiam in Synopsi Criticor.

enim in Petro & Hierosolymitana Synodo eam vim & auctoritatem controversias de rebus ad religionem spectantibus terminandi, quae in Capite XVII. Deuteronomii Summo Sacerdoti & Synedrio magno Hierosolymis constituendo adtributa est; eamdemque auctoritatem cum Petro & Cathedra principali ad Romanos Episcopos Petri successores & Romanam Synodum devenisse significant; ut hanc etiam fateantur vim quodammodo Concilii generalis obtinuisse: at in veteri Testamento in rebus ad religionem pertinentibus Summo Sacerdoti, & Synedrio magno summa & suprema potestas in eo Capite adtributa est: eadem ergo summa & suprema in dirimendis Fidei controversiis auctoritas in Petrum translata est, & per ipsum in Romanum Pontificem Romanamque Ecclesiam defluxit: ac proinde quemadmodum dogmata Hierosolymis judicata retractare non licuit; ita nec retractare liceat quae semel Romae sancita sint.

Haec consona esse veteris Ecclesiae Traditioni, constat ex celeberrima Epistola qua Theodoritus ab Ephesino Latrocinio ad Leonem M. Romanum Pontificem appellavit. Nam exemplo Pauli, qui Hierosolymam Antiochiae flagrantem de Legalibus controversiam ad Petrum detulit, se injuste vexatum ac depositum, Romam his Literis confugere protestatur. *Si Paulus*, inquit (a) *Praeco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret; multo magis nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum remedia a vobis accipiamus: Vobis enim PRIMAS in omnibus tenere convenit*. Agnovit ergo Theodoritus in Romano Pontifice Petri Successore eamdem quam Paulus in ipso Petro auctoritatem, ad enatas de Religione controversias compescendas & omnino terminandas: subindeque, ut post latum Hierosolymis de re ad Religionem pertinente decretum, omne dissidium de medio sublatum est; sic post editas Romae de fide definitiones nulla sit reliqua controversia.

Jam vero si quae tunc Hierosolymis gesta sunt normam rebus postea gerendis constituerunt, ex jam dictis facile constare arbitror, cujus doctrina, nostra an Adversariorum ad Apostolicam regulam exacta sit. Nos enim, qui Petrum adhuc in sua Cathedra praesidentem, & in Romano Pontifice loquentem videre & audire nobis videmur; fidei morumque sanctiones, quae Romae auctore Summo Pontifice promulgantur, perinde irretractabiles judicamus, atque illam quae de legalibus auctore Petro Hierosolymis edita est. Qui vero alios de Romani Pontificis auctoritate sensus induerunt, quamlibet amplum Cardinalium & Episcoporum Concilium Romae Pontifex cogat, eique praesit; dum illud Oecumenicum seu generale non fuerit, ejus de fide moribusque judicium irretractabile & irreformabile esse non credunt; neque ex Romani Pontificis Petri successoris praesentia eique consentientibus Patribus, eam vim & aucto-

(a) Epist. CXIII. ad S. Leon.

ritatem ad componendas & terminandas de fide ac religione controversias habere judicant, quam non agnoscere in Apostolorum Principe & Concilio Hierosolymitano non possunt. Quo ergo jure illius Synodi exemplum nobis objiciunt, qui Sedis Apostolicae & Romani coetus, quo illius Concilii vis tota confluxit & cum Petro translata est, auctoritatem labefactant, & irretractabilem esse negant? Quum post illius Synodi sententiam nihil amplius aevo Apostolico retractatum de Legalibus sit.

Secundo non repugnamus posse quandoque Concilia Oecumenica esse maximae utilitatis, imo esse etiam aliquando necessaria; etsi Romanum Pontificem ex sese satis habere credamus auctoritatis ad quamlibet controversiam terminandam: qua etiam in re nobis Apostolorum & Concilii Apostolici praelucet auctoritas. Quamvis enim, uti superius ostendimus, certum sit, potuisse Petrum illam de Legalibus controversiam propria auctoritate dirimere; utile tamen & expediens esse judicavit Synodum congregare, & rem controversam communi nomine definire. Contra vero qui nobis adversantur, praefracte contendunt, nullam habendorum Conciliorum esse necessitatem nullam utilitatem, si quamlibet de fide aut moribus dissensionem propria valeat auctoritate Romanus Pontifex terminare. Quod si verum est; nulla necessitate Apostolorum Princeps nullaque utilitate Synodum coëgit ad quaestionem finiendam, quam poterat ipse proprio decreto sancire.

Tertio inde colligunt Adversarii, irretractabile non esse Romani Pontificis de fidei rebus judicium, quoniam dogmata ab ipso definita, iterum examinata in Conciliis Oecumenicis, seu retractata sunt: perinde ac certa & immobilis Christiani dogmatis veritas, ex quadam erga errantes indulgentia, ad examen revocari non possit. At contra nos Apostoli exemplo suo docuerunt, posse quamlibet fidei veritatem, & si immobilem & jure suo irretractabilem, in Conciliis generalibus retractari, & diffidentium argumenta & difficultates expendi; ne ipsorum opinio magis videatur praejudicata, ut ait Tertullianus, quam examinata damnari. Nam ad circumcisionem adigendos non esse Gentiles, neque illis Legalium institutorum gravissimam sarcinam imponendam, jamdudum Apostolos, quum Hierosolymitana Synodus celebrata est, & Christi promissionibus, & divinis revelationibus, & caelestibus signis exploratissimum habuisse, jam pluribus demonstravimus: & hanc tamen eamdem rem veluti non satis certam & eliquatam in Synodo cognosci ac disceptari, Apostoli permiserunt.

Quarto, etsi Romanus Pontifex ob diffidentium pertinaciam recte aliquando prudenterque permittat, de fidei dogmatis haberi disputationes; attamen hanc in eo auctoritatem agnoscimus, ut ipso de re controversa sententiam pronunciante, jure suo exigere valeat, omnem statim conquiescere disputationem: aliorum autem Episcoporum tunc alias non esse partes, quam illius judicium novis argumentis, aliisque si quae illis suppetunt Scripturarum auctoritatibus confirmare; aut etiam aliquid suggerere,

quod

quod salva fidei veritate, vel ad concordiam ineundam seu fovendam, vel ad veritatem magis illustrandam, vel ad errorem facilius evellendum, facere posse videatur. Haec autem omnia, ad Hierosolymitanae Synodi exemplum constituta esse, pluribus demonstrat Eminentissimus Cardinalis Reginaldus Polus Summi Pontificis ad Concilium Tridentinum Legatus in Opere *de Concilio* quod aliis duobus Legatis exhibuit, ubi saepe hanc ipsam Apostolorum Synodum ceterarum formam & archetypum vocat (*a*).

En quomodo instituendas esse Synodos judicamus, ut cum archetypo illo & ceterorum Conciliorum forma consentiant. Postquam Petrus loquutus est, ceteri aut taceant, suoque silentio judicium illius adprobent; aut

(*a*) *Quaerens enim, quaest. XXXVI.* quid *in illo Concilio*, in persona Petri videmus quod in reliquiis non videamus; *respondet*. Hoc sane primum, quod proprium est ejus qui primas partes in Conciliis tenet, ut finem imponat controversiis easque dirimat, ut concludat & auctoritate sua dimittat Concilium. Quae omnia ex verbis Scripturae videmus in illo Concilio Petrum fecisse; sic enim est scriptum: „ *Cum autem magna conquisitio fieret* „. Quae verba significant, magnam primum altercationem de iis, quae decidenda essent, in Concilio exstitisse: quam Petrus sic repressit, ut verba quae sequuntur ostendunt „ *Surgens autem Petrus dixit ad eos; Viri fratres* „ &c.: quae cum dicit, sententiam Concilii & sententiam Spiritus Christi primus pronunciat, atque concludit. Hoc autem videmus in persona Petri, quod in ceteris non videmus . . . . Auctoritatem vero, quam ei Spiritus Christi dederat, valuisse in hac caussa, illud maxime indicat, quod nemo ausus fuit in Concilio se ei opponere; sed, ut est in Actis, Petri sententia pronunciata, *tacuit omnis multitudo*: cum tamen constet, in illa multitudine fuisse Pharisaeos aliquot, qui extra Concilium pertinacissime contrariam semper sententiam defendissent, & hanc oppugnassent: verum illi tum auctoritate Petri commoti tacuerunt; qui vero postea verba fecerunt, omnes ejus sententiam approbarunt. Cum autem haec in Petri persona videmus, omnium eorum, qui in Petri Cathedra successerunt partes in Conciliis videmus: quae maxime in hoc exstare debent, ut controversias dirimant . . & ut Concilium dimittant, omniaque auctoritate Petrae fidei in fundamento Ecclesiae positae faciant. *Et infra quaest. XXXVII.* Huc pertinet omnis eorum (*Pauli & Barnabae & qui modo ipsorum locum in Conciliis tenent*,) oratio ut signis miraculis atque operibus confirment, eam esse Dei voluntatem & veritatem inflexibilem, quam Petri fides proposuit. Horum autem verbis per opera confirmantibus doctrinam fidei a Petro expositam, succedit oratio Jacobi, qui eamdem confirmat per scripturas. In Jacobi vero persona significari intelligimus personam singulorum Episcoporum, quibus certae Ecclesiae sunt commendatae; quorum officium in Conciliis per ipsam Jacobi orationem satis etiam significatur. *Quod ut luculentius exponat; quaerit deinde quaestione XXXVIII.*: Quid in Jacobi persona sit, quod ad Episcoporum, qui singulis praesunt Ecclesiis, personam & officium in Conciliis declarandum pertineat? *respondet autem*: Hoc primum, ut Petri doctrinam de fide confirment, quemadmodum Jacobus fecit; hoc enim commune omnium & singulorum Episcoporum esse debet. Deinde, si privatae eorum Ecclesiae aliquid vel consuetudine vel lege receperint, quod non adversatur sinceritati doctrinae fidei, verum ejusmodi esse videatur ut eo sublato periculum sit ne caritatis vinculum rumpatur; hoc quidem ut quisquis in sua Ecclesia experitur sic proponere poterit, quemadmodum Jacobus fecit: qui cum Hierosolymorum esset Episcopus (*quae nimirum Ecclesia ferme ex circumcisis constabat*) *confirmata Petri sententia, proposuit ut Gentilibus abstinentia ab Idolothytis & Sanguine, & Suffocato praeciperetur; quo facilius ex Judaeis & Gentibus unum Ovile fieret, & unus Populus coalesceret.*

Digitized by Google

aut id tantum in medium adferant & Concilio suggerant, quod non ad evertendam aut labefactandam, sed ad confirmandam Petri sententiam facere videatur. Verum Gallicanae declarationis Auctores ac defensores post Romani Pontificis definitionem, seu postquam Petrus Pontificis ore loquutus est, loquendi locuum tribuunt Episcopis facultatemque non modo illius de fide sententiam confirmandi, quod in Concilio Hierosolymitano factum est, verum & retractandi & reformandi, aut etiam si eis libet penitus abjiciendi: cujus rei frustra in illa Synodo exemplum quaerunt; quam tamen nobiscum agnoscunt aliorum Conciliorum normam fuisse & exemplar.

Qua ergo, inquis, in re Apostolorum Synodum formam aliis Conciliis praebuisse volunt? Primum in eo, quod post judicium Petri etiam Jacobus judicat: *Propter quod ego judico &c.* inde enim colligunt, judicium de rebus fidei non ad solum Papam verum & ad alios Episcopos pertinere. Secundo, in eo quod decretum Apostoli ac Seniores, hoc est Episcopi, communi nomine condiderunt, & Sancti Spiritus auctoritatem non soli Petro sed universo coetui ex Apostolis ac Senioribus collecto vindicarunt: unde consequens esse putant, suam Sanctum Spiritum vim non in solo Ecclesiae Capite sed in universo corpore exerere; ac proinde summi Pastoris, antequam Ecclesiae consensus accedat, non immobile ac divinum sed humanum ac retractabile esse de fidei rebus judicium: „ Vim ipsam „ decreti, *inquit cl. Bossuetius*, non „ in Petro solo, sed in unitate, & in „ Apostolorum ac Pastorum Ecclesiae „ consensione ponimus. *Et infra*: Et „ quidem omnia, quae in hac Apo„ stolica Synodo acta sunt, in sequen„ tes manasse, Gesta prodent. Ergo „ id vel maxime manare oportet, „ quod maxime agebatur, & in quo „ robur esse positum Apostoli volue„ runt: nempe ut *Spiritus Sancti* ef„ ficacia & vis conjungeretur cum il„ lo, *nobis*, inque ipsa unitate se„ exerceret.

Verum non haec tantum, sed alia etiam quorum antea meminimus, a prima illa & Apostolica in sequentes Synodos promanarunt, & promanare debuerunt; nimirum quod Petrus Spiritu Sancto adflatus, sive, ut ait Tertullianus, *Spiritu Sancto instinctus*, primus sententiam protulit; quod finem contentioni & controversiae imposuit; quod nemo sententiam illius in dubium revocavit aut retractavit; quod eam omnes aut silentio adprobarunt, aut caelestibus signis, seu Prophetarum oraculis confirmarunt. Quum itaque haec omnia in priore illa Synodo ceterarum forma & archetypo occurrant; sic cogitare & adfirmare debemus, manasse in alias & facultatem ut Episcopi de fidei controversiis judicarent, & ut Sancti Spiritus vis in ipsa se omnium consensione exereret; ut tamen singularia Petri jura ejusdem Apostolicae Synodi exemplo confirmata, sarta tectaque in aliis etiam Synodis retineantur. Id porro quî fieri possit ac debeat, in decursu Operis luculentius exponam. Interim autem generatim moneo id, quod est omnibus exploratum; & eos, qui Summi Pontificis de fidei rebus judicium irretractabile & irreformabile esse decernunt, agnoscere tamen, & alio

alios Episcopos sedere ut Judices in Conciliis & Ecclesiam, cum toto orbe diffusam, tum in Oecumenicis Synodis congregatam, in decernendis fidei controversiis ob inhabitantem in ea Spiritum Christi deficere & errare non posse. Quamvis autem haec omnia possem plurium Scriptorum testimoniis confirmare, solius tamen Melchioris Cani verba adtexere libet, quod ad haec confirmanda hujus ipsius Hierosolymitani Concilii exemplum & auctoritatem usurpet lib. V. de Loc. cap. V. neque ea minus luculenta sint, quam quae superius ex Gallicanae Declarationis Defensore descripsimus (*a*). Et tamen Canus Pontificiae ἀσφαλείας adsertor est acerrimus & Petrum ejusque Successores ineluctabilem habere auctoritatem, ex ipsius Petri in hac eadem Hierosolymitana Synodo verbis, uti etiam superius animadvertimus, demonstrat: „ Viri „ fratres, vos scitis, quoniam ab an„ tiquis diebus Deus in nobis elegit, „ per os MEUM AUDIRE gentes verbum „ Evangelii, ET CREDERE. *Petrum ergo*, subjungit Canus, *peculiariter inter ceteros elegit Christus, ut eum Gentes in fidei controversia non audirent solum loquentem, sed etiam crederent. Ita enim cum Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo, Petro definienti consentiens, ut Actorum XV. a Luca refertur.* Frustra ergo nobis Adversarii Apostolicae Synodi exemplum & auctoritatem opponunt; eaque nos illis longe meliori jure objicimus; qui non in una aut altera re, sed in omnibus reliquas Synodos ad illius Concilii normam exigendas esse contendimus: ejusdemque Sacri Conventus historia demonstramus, haec duo recte invicem cohaerere; nimirum & Romanum Pontificem summa & ineluctabili praeditum esse auctoritate, & nihilominus Episcopos in Conciliis auctore Spiritu Sancto de fidei dogmatibus judicare.

C A-

(*b*) In Concilio illo primo Hierosolymitano, non solum Petrus, sed reliqui etiam Apostoli & Seniores judices esse dicuntur: *Propter quod ego* JUDICO, Jacobus ait, *non inquietari &c.* (Actor. 15.) Et posterius capite eodem, praecepta Concilii vocat Paulus praecepta Apostolorum. Et cap. 16. dicit, ea dogmata esse decreta ab Apostolis & Senioribus. *Hinc autem laudatus Theologus colligit:* Episcopos Concilii in fidei caussa non modo consiliarios esse, verum etiam Judices: alioqui non solum Episcopi ad ferendam sententiam Synodalem adhiberentur, sed etiam docti Theologi, & Viri in Ecclesia prudentes: quod inauditum est, contraque formam Actor. XV. praescriptam; ubi Apostoli tantum cum Presbyteris (*idest*, *Episcopis*) de fidei quaestione judicarunt ..... Praeterea, non Romanus Episcopus modo, verum reliqui etiam Episcopi claves regni caelestis habent: ergo in caussa fidei ligandi quoque ac solvendi potestatem: *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quam haec necessaria &c.* Omnes ergo Episcopi onus praeceptumque imponunt, omnesque simul sententiae Synodalis auctores sunt. *Et antea dixerat*: Ecclesia unum corpus est, cujus Spiritus Deus est, qui Ecclesiae semper assistit. Quemadmodum ergo, quod toti pariter Ecclesiae visum est, id Spiritui Sancto etiam visum est: ..... Ita, si quid omnibus quidem Episcopis judicatum fuerit, a Spiritu profecto Dei judicatum est.

Digitized by Google

CAPUT VII. ARTICULUS PRIMUS.

„ Concilii Nicaeni primi decreta adversus Arianos ipsa Patrum consensione valuerunt; nullo antegestam nullo post gestam Synodum Sedis Apostolicae speciali decreto: In eo Concilio ipsius consensionis autoritate tres praecipuae finitae quaestiones: ad Sedem Apostolicam communis decreti executio pertinet.

Quamquam ob Veterum Monumentorum inopiam, quae fuerint Sancti Sylvestri in Arianae Haereseos damnatione & in Nicaena Synodo partes, satis aperte non constat, nec genuinis testimoniis articulatim ac distincte demonstrari potest; attamen ex his quae supersunt plura decerpi possunt, quibus non modo quae Illustrissimus Defensor ex Nicaenis Decretis argumenta colligit penitus labefactentur, verum etiam nostro dogmati plurimum lucis adferatur. Quoniam vero, ut jam superius indicavimus & infra magis patebit, inde potissimum Adversarius demonstrare sibi videtur, irretractabiles non esse Apostolicae Sedis de fide definitiones, quoniam in Conciliis generalibus Episcoporum examini permissae sunt, diligenterque discussa, summaque cura & sollicitudine retractata, quae a Refractariis objiciebantur; primum quam futile sit hoc argumentum, ex his quae ante Concilium & in ipso Concilio gesta sunt, luculenter ut arbitror demonstrabo.

S. Alexander Alex. Episcopus ante Concilium Nicaenum, & Patres Nicaeni in ipso Concilio, praecipuum Christianae fidei & religionis Articulum, quamquam jure suo irretractabilem, attamen ad frangendam Haereticorum pervicaciam, retractari & examinari permiserunt.

Quam alte omnium sederet animis, qui haud prorsus indigne Christiano nomine censebantur, & quam firma illis & immobilis haereret fides, qua, Dei Filium aeterno Patri aequalem, ὁμοούσιον & coaeternum credimus ac profitemur, quum Arius eam primum oppugnare coepit, & e fidelium cordibus convellere adnisus est; tum S. Alexander in suis adversus ipsum Arium Synodicis Literis, tum SS. Athanasius & Hilarius in suis adversus Arianos Operibus, tum denique alii & coaevi & suppares Patres, testes locupletissimi sunt. Ceteris autem omissis, unius Alexandri sensus & verba subjiciam, quod ipse primus adversus exorientem impietatem classicum cecinit. Is enim in Epistola Synodica ad cognominem Constantinopolitanum Antistitem, & Sacrarum Literarum perspicuis testimoniis, & veterum Patrum Traditione, [quos pro omnium Haereticorum more Ariani nullo, ut ipse testatur, in honore & pretio habebant] & Ecclesiae disciplina, *quae*, inquit, *Christi divinitatem adorat*, & Apostolici Symboli auctoritate, tum Arii profanas novitates confutat, tum ipsis adversa Ecclesiae dog-

dogmata propugnat: *De quibus*, inquit, *nos sic credimus, uti Apostolicae placet Ecclesiae: In unum nempe ingenitum Patrem &c. Et in unum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum &c. Ac praeter istam piam de Patre & Filio sententiam, unum praeterea Spiritum Sanctum, sicut nos docent Sacrae Literae, confitemur..... Ista docemus, ista praedicamus, ista sunt Apostolica Ecclesiae dogmata, pro quibus mortem oppetere non dubitamus. Nec vero moramur eos, qui nos ad haec ejuranda & retractanda compellere student, & licet nos tormentis cogere aggrediantur, non tamen spem quae in hac fide est abjiciemus*. Sic animo adfectus quum esset Alexandrinus Antistes, ne ferre quidem poterat blasphemiarum, quae ab Haereticis evomebantur, auditum. Quare in altera ad omnes totius orbis Episcopos Synodica Epistola: *Quis enim*, inquit, *unquam talia audivit? aut quis, si jam audiret, non ea tamquam insolita & peregrina obstupesceret, auresque obturaret, ne ejusmodi verborum sordes in audiendi sensum illaberentur?* Verum, uti S. Epiphanius (*a*) Sozomenus [*b*] & alii testantur, Alium non modo blasphemantem, verum & blasphemias suas pervicaciter propugnantem, haud semel tantum, & iterum, sed & pluries audire sustinuit; *ratus*, inquit Sozomenus, *multo satius esse, ut rationes de rebus ambiguis ab utraque parte proponerentur, quo videretur, Adversarios non necessitate coegisse, sed persuadendo ad desistendum a contentione induxisse*. Ita ille rem prorsus irretractabilem, & quam totius Religionis firmum esse & immobile fundamentum neutiquam ambigebat, aliorum imbecillitati morem gerens, in disceptationem adduci & ad examen revocari permisit; perinde ac *de rebus ambiguis*, non autem extra omnem controversiam positis, contentio ac disputatio fuisset.

Eodem modo adfectos fuisse Patres, qui in Nicaena Synodo fidem Catholicam tuebantur, antiquis Scriptoribus memoriae proditum est. Nam ubi primum Arius in Episcoporum conventu sine fuco pravas opiniones, quibus in transversum agebatur, exposuit; qui inter eos fidei zelo flagrabant, horrore perculsi aures occluserunt [*c*]; statimque manifestam impietatem execrati, aegre ferebant, sacrosancta mysteria profana curiositate vexari, & quae jam inde ab ipso Religionis exordio fixa & immota constiterant, audacibus ac temerariis disputationibus agitari: quae Sozomenus sequentibus verbis narrat (*d*): *Interea temporis Episcopi in unum convenientes, accersunt Arium: & opinionibus suis in medio positis, inter se differere coeperunt. Atque quum disputatio, ut erat verisimile, in varias distraheretur quaestiones; alii eorum, iique potissimum quos morum simplicitas induxit ad fidem in Deum sine curiosa inquisitione amplexandum, nihil novi contra fidem initio temporis Apostolorum traditam moliendum censuerunt*. Haec erat indubie omnium Catholicorum Episcoporum

(*a*) Haeres. LXVIII. cap. IV. & LXIX. cap. III.
(*b*) Lib. I. Hist. cap. XIV.
(*c*) Vid. S. Athanas. Orat. 1. in Arian.
(*d*) Lib. I. Hist. cap. XVI.

Digitized by Google

rum sententia. Nam iis opponit alios, quibus haec fidei simplicitas neutiquam probabatur, sed veterem doctrinam sine examine recipi non debere, acriter contendebant: *Alii*, inquit, *adfimarunt, opiniones veterum nullo judicio exploratas neutiquam sequendas esse*. Hos porro alios credere non debemus, quam septemdecim Episcopos, quibus Arius opinionum suarum virus adflaverat, & *qui* ut est apud Theodoritum [a], *Arii patrocinio suscepto Apostolicae doctrinae contradicere* non verebantur. Nam id inter cetera S. Alexander in Epistola ad Constantinopolitanum Antistitem vitio Arianis vertit, quod *neminem*, inquit, *volunt ex antiquis Patribus sibi comparari*; *neque illis*, *quibus nos ab ineunte aetate usi sumus praeceptoribus*, *se pares existimari sinunt*; *imo ne unum quidam Collegarum nostrorum satis doctum esse censent*; *sed se solos sapientes..... solos dogmatum inventores*, *& sibi solis ea doctrinae patefacta esse mysteria*, *quae in nullius unquam sub sole cogitationem ac mentem venerint*, *arbitrantur*. Ex hoc loco facile intelligimus, Arianos eorumque patronos fuisse, qui traditam ab antiquis doctrinam, inexploratam sequi detrectabant: Catholicos autem aegre tulisse, veterem traditionem ab impiis ac temerariis hominibus curiosius investigari. Porro quamvis aegre, indulserunt tamen, ut de rebus tanti momenti disputationes haberentur, & ut suas Haeretici difficultates & objecta proponerent; uti Scriptores superius laudati testantur, ac praecipue Sozomenus: qui etiam addit, plures e Catholicis Episcopis, & ex reliquo Clero & potissimum S. Athanasium ob praestantem de rebus divinis disserendi scientiam celebre sibi nomen apud Constantinum in ejusmodi disputationibus peperisse: nam de fide, ut est ab iisdem Scriptoribus traditum, non modo in praeviis congressibus, sed in ipsa etiam Synodo & solenni Episcoporum conventu, & coram Imperatore, saepius disputatum est.

Et hae quidem disputationes ad ipsam, ut ait dixerim substantiam dogmatis pertinebant. Sed aliae deinde longe graviores fuerunt in constituenda Formula Fidei, seligendisque verbis, quibus & Catholica doctrina promeretur, & adversa dogmata confoderentur. Postquam vero illa non absque Patrum justissima indignatione rejecta est, quam Eusebiani ad Synodum adtulerunt; quam Osius proposuit, communi fere omnium suffragio probata & sancita est; de qua est jam nobis aliquid disserendum.

ARTICULUS II.

Formula fidei in Nicaeno Concilio edita consentientibus Apostolicae Sedis Legatis. Id vero quandoque satis esse judicamus, ut sine alia Romani Pontificis confirmatione Synodi Oecumenicae de fide definitiones immobiles & irretractabiles habeantur.

ARgumentum, quod ex Nicaenis Decretis Illustrissimus Declarationis Defensor in hoc Capite conficit, efficax quidem est adversus eorum opinionem, qui generatim docent, generalium Conciliorum de fide definitiones firmas non esse & irrefragabilis aucto-

(a) Lib. I. Hist. Eccles. cap. VIII.

Digitized by Google

auctoritatis, donec eis accedat Romani Pontificis confirmatio: verum, hanc non esse omnium Theologorum qui nobiscum sentiunt communem opinionem, doctissimus Praesul ignorare non potuit; quum qui maxime obvius est, & omnium manibus teritur Eminentissimus Bellarminus diserte statuat, fidei decreta consentientibus Apostolicae Sedis Legatis in Conciliis generalibus edita, etiam antequam a Pontifice confirmentur, firma & valida esse, si Legati cum instructione Pontificis ad Concilium accesserunt explorataque illis erat Ecclesiae Romanae de controverso dogmate fides ac doctrina, & juxta illam decretum conditum sit. Observat enim cum aliis Theologis laudatus Cardinalis, solitos non fuisse Legatos ad Synodos generales accedere, in quibus aliquod fidei dogma sanciendum esset, nisi instructos prius & monitos de Ecclesiae Romanae fide circa ea, quae in Concilio finienda essent. Quapropter res antea Romae coram Pontifice, & ut plurimum in aliquot Episcoporum Synodo discutiebatur, quam ad generale Concilium Legati proficiscerentur: Hunc inquam veterem fuisse morem, Conciliorum Orientalium gesta & monumenta aperte luculenterque demonstrant. Quum enim ad unam aut alterem fidei caussam tractandam, & adversus Haereticos definiendam, coacta sint; Legatis, qui Roma in Orientem dirigebantur, tum incomperta esse non poterat circa illam certam ac determinatam quaestionem Ecclesiae Romanae fides; tum specialis a Pontifice super dogmate, quod in Concilio statuendum erat, plenaque instructio dabatur: id quod commode fieri non potuit, quum Legati ad Tridentinam Synodum destinati ac directi sunt; quoniam quaestiones examinandae, & articuli, de quibus haeretici cum Catholicis digladiabantur, erant propemodum infiniti. Si ergo Legatis mens Pontificis perspecta sit, & juxta illam in Synodo decernatur; *vix*, inquit Bellarminus [a] *dubium esse potest, ac videtur esse certum, tale Concilium non posse errare*. Quod ille invictis momentis probat, & inter cetera, etiam Nicaenae Synodi exemplo. Quid ergo sibi vult Gallicanae Declarationis Defensor, quum in hoc Capite sedulo ac diligenter observat, & pluribus testimoniis suadere nititur: „ Concilii Nicaeni primi Decreta adversus Arianos, ipsa Patrum consensione valuisse; nullo ante gestam, nullo post gestam Synodum Sedis Apostolicae speciali decreto? an disputationis nostrae in eo summa posita est: num generalium Conciliorum de fide Canones, qui ex consensu Sedis Apostolicae promulgantur, ut rati sint & summam in Ecclesia auctoritatem obtineant, speciali ejusdem Sedis Apostolicae decreto confirmandi sint? Atqui Bellarminus, qui inter ceteros ac prae ceteris Romanorum Pontificum definitiones ex se ipsis irretractabiles & irreformabiles esse tuetur, non obiter ac perfunctorie, sed data opera ostendit; sufficere, ut ejusmodi decreta rata & valida sint, adprobationem & consensum quem Pontificis nomine Legati adhibent. Hac itaque in re controversiae cardo non

(a) Lib. II. de Concil. auctorit. cap. XI.

Digitized by Google

vertitur; sed in eo quaestionis summa constituta est: An Conciliorum generalium ab adsensu Pontificis, aut contra, Pontificis ab Ecclesiae consensione firmitas & auctoritas pendeat. Cui profecto quaestioni dirimendae, incassum illorum Conciliorum adfertur exemplum quorum decretis per suos Legatos adsensum Romanus Pontifex praebuit. In horumce autem Conciliorum numero Nicaenam Synodum habendam esse, quamquam nemo sit qui inficietur, libet tamen aliquot argumentis suadere: quibus nedum palam evincam non defuisse Nicaenae Synodi decretis & fidei formulae Apostolicae Sedis auctoritatem; verumetiam persuasum eo saeculo Patribus fuisse, Conciliorum etiam generalium sanctiones, ut robur & vigorem habeant, egere Apostolicae Sedis adprobatione. Quod argumento est, non utcumque in Ecclesiarum & Patrum consensione & unitate eorumdem Conciliorum vim esse repositam, sed eam inde potissimum repetendam, quod cum Romano Pontifice veluti capite conjunguntur: eo plane modo, quo salus & vita motusque corporis ita in integritate sita sunt & mutua membrorum consensione, ut tamen ex eorum cum capite conjunctione, atque ex ipso capite defluant, & originem ducant.

Primo itaque constant, & ex S. Liberii ad Constantium Imperatorem litteris aperte colligitur, Sanctum Alexandrum Episcopum Alexandrinum Sancto Sylvestro Alexandrinae adversus Arianos Synodi Acta significasse. Haec enim ad Constantium laudatus Liberius scribit (a): *Manent litterae Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctae memoriae destinatae, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii undecim tam Presbyteros quam etiam Diacones, quod Arii haeresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positi dicuntur sibi Conciliabula invenisse; quibus asseveratur etiam Georgius in Alexandria per litteras communicare*. Id generis Epistolas scripsisse etiam S. Alexandrum ad universos per orbem christianum Episcopos, compertum est, tum ex illius epigraphe, quam Socrates [b] & Gelasius Cyzicenus [c] servarunt, tum ex S. Epiphanio his verbis (d): *Encyclicas ad singulos Episcopos litteras dedit, quae hodieque studiosorum in manibus versantur, numero fere septuaginta*. Ex his autem Episcopis ad quos litterae missae sunt, nominatim idem Sanctus Epiphanius recenset, Eusebium Caesarae, Macarium Hierosolymorum, Asclepium Gazae, Longinum Ascalonis, Macrinum Jamniae, & Zenonem quemdam antiquum Tyri Episcopum. Ipse autem S. Alexander in Epistola ad cognominem Constantinopolitanum Antistitem apud Theodoritum [e] eorum meminit, *qui sunt*, inquit, *in tota Aegypto & Thebaide, & qui Libyam Pentapolim, Syriam, Lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappadociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt*: ad

(a) Apud S. Hilar. Operis Historici Fragm. V.

(b) Lib. I. Hist. Eccles. cap. VI.

(c) Hist. Conc. Nicaen. lib II. cap. III.

(d) Haeresi LXIX. cap IV.

(e) Lib. I. Hist. Eccles. cap. IV.

Digitized by Google

ad quos ideo ſcripſiſſe videtur, quoniam, ut in illis Epiſtolis Alexander identidem queritur, Ariani haſce omnes Provincias pervagabantur, ut ſubdole in Epiſcoporum communionem irreperent, ſuumque illis venenum adflarent. Nulla antem illum ejuſmodi ratio compulit, ut etiam ad Sylveſtrum alioſque Occidentales Epiſcopos litteras daret: initio enim & per plures annos nullis Arianorum tumultibus vexati in Occidente fuimus, & longe ſerius Occidentalem Eccleſiam & Imperium Ariana peſtis invaſit. Quare aliam cauſſam aliaſque rationes Alexander habuiſſe videtur, ut inter omnes Occidentis Epiſcopos ad Romanum Pontificem de his rebus ſcriberet: has vero ex probatiſſimis illius aevi monumentis ſatis aperte mihi colligere videor.

Sanctus ipſe Alexander in eadem ad Conſtantinopolitanum Antiſtititem Epiſtola teſtatur, miſiſſe ſe cum encyclicis litteris ad Epiſcopos Libellum ſeu Tomum, adverſus Arianos in Alexandrina Synodo editum, & ab eiſdem Epiſcopis ſubſcribendum: καὶ τῷ τόμῳ συνυπογραψάντων, *qui Tomo*, ſeu Libello, *adverſus eos edito ſubſcripſerunt*. Hunc Tomum Valeſius hanc ipſam eſſe Epiſtolam opinatur (*a*), quae apud Theodoritum ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum inſcripta eſt: Baronius autem (*b*) & alii illam potius Epiſtolam eſſe judicant, quae apud Socratem & Gelaſium Cyzicenum ad univerſos Eccleſiae Catholicae Epiſcopos inſcriptionem praefert. Sed utramque opinionem jure, ut ego quidem ſentio, Tillemontius explodit [*c*]; longeque, ut mihi videtur, probabilius ſtatuit, nihil in illo Tomo fuiſſe praeter formulam fidei, & profeſſionem de Arianis ad communionem nullatenus recipiendis. „ Il ſuffiſoit qu'ils ſignaſſent „ la confeſſion de la foy, & la pro„ meſſe de ne point recevoir les A„ riens à leur communion: & il y a „ peu d'apparence que le Tome con„ tinſt autre choſe. Id autem Romano Pontifici ſignificandum omnino fuit, quoniem, uti Socrates ſuperius laudatus animadvertit, *Canone vetitum erat*, *ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur*. Et Patres Concilii Romani ſub Damaſo, in Epiſtola Synodica ad Illyrici Epiſcopos [*d*] inter alias rationes quibus Ariminenſem fidei formulam nullius roboris eſſe probant, hac imprimis utuntur, quoniam *Formula illa compoſita eſt neque Epiſcopo Romano cujus ſententia prae ceteris omnibus exſpectanda erat*; *neque Vincentio* Sedis Apoſtolicae Legato, *neque aliis eidem conſentientibus*. Fas ergo Alexandrino Epiſcopo non fuiſſet, fidei Formulam inconſulto Romano Pontifice aliis Epiſcopis ſubſcribendam offerre; neque ullius roboris habita fuiſſent Alexandrinae Synodi Acta, niſi cum Sylveſtro communicata fuiſſent.

Quid autem Sylveſter, acceptis Alexandri litteris geſſerit aut quid reſponderit, ob veterum monumentorum inopiam ignoramus: attamen reſpondiſſe

(*a*) Not. ad hunc Theod. loc.
(*b*) Ad ann. CCCXVIII. num. 67.
(*c*) Not. III. ad Vit. S. Alex. Epiſc. Alexandr.
(*d*) Apud Theodorit. lib. II. cap. XXII.

Digitized by Google

disse, rataque habuisse quae in Aegypto adversus erumpentem impietatem gesta fuerant, ambigendum non esse videtur. Neque enim ejusmodi caussa erat, quae habere sollicitum Romanum Pontificem non deberet: jam enim ipsum Christianae Religionis fundamentum impetebatur, & gliscente inter Episcopos praecipuarum Sedium in Oriente discordia, summo ibi Ecclesia in periculo versabatur. Quare qui veterum Scriptorum silentium nimis urgent, ii sane maximam Sanctissimo Pontifici injuriam irrogant. Quum enim illius muneris esset, gravissimo huic malo quantum in ipso erat promtum adferre remedium; illi, necesse est, ut Silvestrum solido ut minimum quadriennio veluti profundo somno demersum fuisse existiment, nihilque omnino curantem funestissimum incendium, quo tota Aegyptus & Oriens conflagrabant: Litterae enim ab Alexandro ad Episcopos anno, ut communiter statuunt, circiter 320. aut 21. datae sunt, a quo ad Nicaenam Synodum integrum quadriennium effluxit. Hoc autem temporis intervallo nihil, quod a Silvestro adversus Arianos scriptum, decretum, gestumve fuerit, in antiquis monumentis probatisque Scriptoribus reperimus. Quid ergo? cuiquam verosimile videbitur, Sanctissimum Patrem, ad quem cura omnium Ecclesiarum & sollicitudo pertinebat, omnium negotiorum gravissimum neglexisse, & blasphemias, quas in Dei Filium Arianicus furor evomebat, tot annis surdis omnino auribus dissimulasse? Atqui si aliorum Pontificum quorum in genuinis monumentis gesta supersunt, exempla consulamus, id nobis probabile videri nullatenus potest. Nam ut grave aliquod de religione dissidium ad Apostolicam Sedem delatum est, statim vigiles Pontifices rem cum Romano Clero, & vicinis aut etiam remotioribus Episcopis prout caussae vel controversiae gravitas postulare videbatur communicarunt; & vel erumpentem haeresim Apostolicis litteris represserunt, aut Legatos destinarunt, quorum labore & industria gliscentes discordiae componerentur. Et quidem Osio legationem ad sopienda Orientis de religione dissidia a Silvestro datam fuisse, & a sequutis Pontificibus confirmatam, illud argumento est, quod omnibus quibus interfuit Conciliis praefuit; neque apparet, quo alio quam Romanae legationis jure Hispaniensis Episcopus in Alexandrina Synodo, Nicaena & Sardicensi primum tenere locum potuerit. Quare, quod plerique fatentur, Nicaeno Concilio ut Romani Pontificis legatum præfuisse Osium, quamquam ante Gelasium Cyzicenum nemo id veterum diserte adfirmet, haud inanis conjectura est, ipsum eadem auctum dignitate, in Alexandrina Synodo, quae Sabellianam & Arianam haereses & Colluthi schisma damnavit, praesidem egisse. Quamquam enim Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoritus & alii Osium Alexandriam, ad sedandos Aegypti & Orientis motus, missum a Constantino fuisse produnt, & de Romana legatione silent; eorum tamen silentium ut non probat, quin Summi Pontificis in Concilio Nicaeno legatione functus sit; ita nec plane suadet, qnin eamdem paullo ante Concilium Nicaenum in Synodo Alexandrina dignitatem gesserit. Atque hinc forsitan ratio reddi optima

po-

Digitized by Google

potest, cur veteres Scriptores, qui Osium una cum Vito & Vincentio Nicaenae Synodo praefuisse narrant, & eorum legationis diserte mentionem faciunt; hoc idem munus gessisse Osium, ex illis vix erui potest: quia nimium jamdiu ante Nicaenam Synodum legationem acceperat; quare pro illius aevi disciplina opus non fuit, ut specialiter ad Concilium celebrandum legatus a Pontifice destinaretur. Quam rationem etiam Petrus de Marca profert [*a*]: cur antiquis Scriptoribus, qui eumdem Osium una cum Archidamo & Philoxeno, & his tamquam Julii legatis, Sardicensi Concilio praefuisse, conceptis verbis adfirmant, Osii legatio silentio praetermissa sit: quia, inquit laudatus Auctor, constituta legatione, quam in Concilio Nicaeno Osius obivit, superfluum videtur laborare de secunda in Concilio Sardicensi. Etenim dignitas illa Legati, judicio Pontificis semel collata in Osium & ab eo in florentissimo Ecclesiae coetu cum summa laude obita, sine gravi injuria in alium transferri non potuit. Quidnî etiam eamdem rationem ad ejusdem Osii in Concilio Nicaeno προεδρίαν accomodemus; indeque ipsum diu ante hoc Concilium Legationem gessisse conjiciamus?

Sed ut ut sit aut statuatur de his, quae ante Nicaenum Concilium Silvester vel per se adversus Arianos vel per Osium gesserit; certum est tamen, magnae huic Synodo per suos Legatos Sanctissimum Pontificem adfuisse: id enim cum ex Julio ejus Successore apud S. Athanasium (*b*) compertum habemus & exploratum; tum Theodoritus, ut alios omittam, diserte his verbis testatur (*c*): *Trecenti decem & octo Episcopi convenerunt: Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed Presbyteros duos misit cum potestate Actis assentiendi*: quae nimirum juxta receptam a Pontifice instructionem, & juxta Ecclesiae Romanae doctrinam ac traditionem conficerentur; ut re ipsa omnia, & ea imprimis de quibus maxime disceptabatur, in hac Synodo confecta & constituta sunt. Ut enim ipsemet Illustrissimus Bossuetius animadvertit: „ In primo illo Concilio tres maxime quaestiones, quae „ Ecclesiam conturbarent, communi „ decreto terminatae. 1. Arianorum „ de consubstantiali Filio. 2. Paschatis. 3. Rebaptizationis. De his porro tribus quaestionibus quaenam esset Ecclesiae Romanae mens atque traditio, non modo Sedis Apostolicae Legati sed nemo ex Patribus ignorabat. Nam & Pascha non more Judaico, sed Dominica post Lunam decimamquartam primi mensis esse celebrandum; & ratum esse habendum ac validum Haereticorum Baptisma; & Filium esse ac dici debere Patri consubstantialem; longe ante Nicaenum Concilium Romani Pontifices constituerant: notaque erant, & in Oriente perinde atque in Occidente pervulgata, Victoris ad Arianos, Sthephani ad Africanos, & Dionysii ad cognominem Alexandrinum Episcopum hisce de rebus rescripta. Imo, etsi vocem ὁμούσιον pravo sensu intellectam duplex adversum Paulum Samosatenum Synodus Antiochena

(*a*) Lib. V, de Concord. Sac. & Imp. cap. IV.

(*b*) Apolog. II.

(*c*) Lib. I, Hist. cap. VI.

Digitized by Google

chena rejecerat; eam tamen Nicaeni Patres adoptarunt; & objicientibus Patrum Antiochenſium auctoritatem, qui pravum hujus vocis uſum in Paulo Samoſateno damnaverant, Dionyſii Romani Pontificis auctoritatem oppoſuerunt: ut Sanctus Athanaſius pluribus in locis teſtatur, ac potiſſimum in Libro de Synodis Arimini & Seleuciae; ubi inter cetera haec habet: *Illi vero, qui Arianam haereſim anathemate notarunt..... pro ſe habentes Dionyſii exempla, fontem ſcilicet &* conſubſtantialis *adſertionem...... merito inducti ſunt ut Fillium* conſubſtantialem *dicerent*. Et in Epiſtola ad Africanos apud Theodoritum [a] *Epiſcopi autem* (Nicaeni) *non ſuopte ingenio verba excogitantes, ſed a Patribus petentes teſtimonia, ſic ſcripſerunt. Nam erant Epiſcopi veteres annos fere centum & triginta, tum Romae Urbis praepotentis, tum in noſtra Civitate; qui criminabantur eos, a quibus Filius factus dicebatur & non* Conſubſtantialis *Patri. Quod quidem intellexerat Euſebius Epiſcopus Caeſareae; qui quamquam ante deflexerat ad haereſim Arianam, poſtea tamen Concilio Nicaeno ſubſcripſit: atque adeo ſuae Eccleſiae per litteras confirmavit, ſe plane animadvertiſſe, hoc verbum ὁμοούσιον, ideſt* Conſubſtantiale, *a veteribus Epiſcopis & Scriptoribus, iiſque diſertis & illuſtribus in divinitate Patris & Filii explicanda uſurpatum eſſe*. Quum igitur Concilii Nicaeni hiſce de rebus decreta adamuſſim cum Eccleſiae Romanae doctrina & traditione conſentiant; palam eſt, in eis condendis & adprobandis Legatos Apoſtolicae Sedis oracula prae oculis habuiſſe: ac proinde vel ipſo Bellarmino auctore certum eſt, in eis promulgandis errare non potuiſſe Concilium; nec opus fuiſſe alia Pontificis confirmatione, ut rata validaque ejus decreta haberentur. Quum enim Legati Pontificis inſtructionem ſequuntur, ejuſque nomine Concilii decretis conſentiunt, vim eis Apoſtolicae auctoritatis adjungunt: eaque ratione Damaſus aliique Romani Concilii Patres, in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Illyrici (b), Nicaenam fidei formulam τῶν Ἀποστόλων, *Apoſtolorum*, ſive *Apoſtolica* auctoritate firmatam fuiſſe docent; quod nempe Apoſtolicae Sedis Legatis conſentientibus edita fuerit. Nam Ariminenſem formulam & Nicaenam laudati Patres invicem conferunt; & priorem, quamvis illi maximus Epiſcoporum numerus ſuffragatus erat, ideo potiſſimum explodunt & nullius momenti eſſe decernunt, quoniam abſque Romani Pontificis ſententia condita fuerat. Nicaenam autem ideo perpetuo retinendam eſſe, conſtituit quoniam Apoſtolorum ideſt Sedis Apoſtolicæ ſeu Romani Pontificis ſententia & auctoritatem firmata fuerat: *Siquidem numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, praejudicii vim habere non debet; praeſertim quum Formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano cujus ſententia prae ceteris exſpectanda erat, neque Vincentio* (Romanae Sedis Legato) *qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat, neque aliis eidem conſentientibus..... Itaque veſtra integritas manifeſto videt hanc* fidem

(a) Lib. I. Hiſt. cap. VIII.
(b) Apud Theodorit. Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. XXII.

fidem solam, quae auctoritate Apostolica Nicaeae stabilita est, firme perpetuo tenendam esse.

Quod autem ad alia de celebratione Paschatis & Haereticorum Baptismate, Nicaeni Concilii decreta pertinet; multo minus ut rata essent, exspectanda fuit Romani Pontificis confirmatio. Hoc enim unum de his duobus Christianae disciplinae capitibus Nicaena Synodus statuit; ut quod jampridem Romani Pontifices, ut ab omnibus, servaretur, summo studio & contentione sategerant, & ut jam ferme per totum Christianum orbem observaretur, Apostolica auctoritate consequuti fuerant, ubique re ipsa & ab omnibus custodiretur. Quod autem Bossuetius his verbis animadvertit: „ quae duae postremae „ quaestiones, jam a Romanis Pon„ tificibus, Victore & Stephano, „ judicatae, non tamen obtinebant „ plenam auctoritatem, donec in Ni„ caena Synodo penitus finirentur „ commodius deinceps examinabitur.

CAPUT VIII.

„ Constantinopolitana prima Synodus, „ secunda generalis, in medium „ adducitur: Ex ea demonstratur, „ quaestiones fidei sola Ecclesiarum „ consensione finitas.

IN fidei quaestionibus dirimendis invictum habere robur Ecclesiarum omnium consentientem auctoritatem, nemo ut jam superius animadvertimus ex Catholicis inficias iverit. Id non modo probant Constantinopol. primae, secundae Oecumenicae Synodi Acta; sed etiam quaecumque supersunt generalium Conciliorum, veterum Patrum, atque ipsorum etiam Romanorum Pontificum authentica monumenta: iique tantum negare aut ambigere possunt, qui per summam audaciam errori obnoxium esse arbitrantur de fidei morumque decretis Ecclesiae universae judicium. De hac itaque re nulla inter Catholicos, sed tota cum Haereticis controversia est: nam inter nos hoc tantummodo disceptatur: an sola Ecclesiarum consensione, & an non etiam sola Romani Pontificis auctoritate fidei quaestiones terminari valeant. Primum adfirmat Bossuetius, & in praesenti Capite ex priore Constantinopolitana Synodo colligere sibi videtur. Nos autem aperte demonstrandum adgredimur, rationes, quas inde doctissimus Episcopus conficit, nullius omnino esse momenti; & quaestionem de Spiritus Sancti Divinitate ante Constantinopolitanum Concilium, fuisse Romani Pontificis auctoritate finitam.

ARTICULUS PRIMUS.

Celebre de hac re Sozomeni testimonium adfertur, examinatur, & illustratur.

SOla Romani Pontificis auctoritate diremtam ac terminatam fuisse quaestionem de Spiritus Sancti Divinitate, testem habemus locupletissimum Sozomenum, cujus hic verba subjiciam, quae, ut deinde ostendam, frustra eludere Bossuetius adgressus est: *Dum haec* inquit [a] *geruntur, controversia quae jampridem incoepta fuerat, nimi-*

(a) Lib. VI. Hist. cap. XXI.

nimirum utrum Spiritus Sanctus Patri & Filio consubstantialis censendus esset, jam magis magisque crevit: deque ea multae disputationes plenae contentionis, non minores illis quae ante de Deo Verbo susceptae fuissent, institutae. In hac re quidem & hi qui Filium Patri dissimilem, & illi qui eum substantia Patri similem adserebant, inter se consenserunt. Nam utrique Spiritum Sanctum administrum, & tertium a Patre tum ordine tum honore, quin etiam substantia, diversum esse adfirmabant. At qui Filium Patri consubstantialem putabant, hi de Spiritu Sancto idem ipsum censebant. Quam doctrinam in Syria Apollinarius Laodicensis, in Aegypto Athanasius Episcopus, in Cappadocia & Ecclesiis Ponti Basilius & Gregorius strenue propugnabant. Quae controversia quum contendendi studio, uti credibile est in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis literas, ut una cum Sacerdotibus & Episcopis Occidentis, Trinitatem & consubstantialem esse & gloria aequalem existimarent. QUO FACTO, UTPOTE CONTROVERSIA JUDICIO ROMANAE ECCLESIAE TERMINATA, SINGULI QUIEVERE: EAQUE QUESTIO FINEM TANDEM ACCEPISSE VIDEBATUR. Non poterat Sozomenus disertius adfirmare, motam de Spiritus S. Divinitate controversiam Apostolicae Sedis judicio fuisse terminatam. Imo id juris etiam fuisse Romano Pontifici, ut gliscentibus de fide quaestionibus auctoritate sua finem imponeret, cum ipse tum ea de re dissentientes Episcopi agnovisse videntur; quum & ad sanam mentem rediisse videri volebant, & ad Orbis Catholici communionem adspirabant: ait enim illos propterea quievisse, quod controversia fuisset Ecclesiae Romanae judicio terminata. Quae dum apud Sozomenum lego, mihi in mentem venit illud Augustini, de quo suo loco disserendum erit: *Ab Apostolica Sede Rescripta venerunt, caussa finita est.* Sic prorsus Sozomenus: *Singuli quievere, utpote controversia judicio Romanae Ecclesiae terminata.* Non est ovum ovo similius, quam haec duae Augustini & Sozomeni propositiones.

Quid ergo, inquis, laudatus Auctor subjungit, *eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur?* ut enim Bossuetius animadvertit: „ Videbatur illud „ quidem; verum ubi quies illa non „ fuit stabilis, eoque res devenere, „ ut Synodi generalis auctoritate, Orbisque adunati consensione opus esset; in ea consensione finis quaestionis ponitur a Constantinopolitanis Patribus, atque ab omnibus Ecclesiis.

Verum non hanc tantum attendendum est laud. Historici propositionem: *eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur*; verum & illa prae oculis habenda est: *Singuli quievere, utpote controversia Romanae Ecclesiae judicio terminata.* Nam si animum diligenter advertimus, haec neutiquam pugnare, sed inter se apta esse intelligemus: quod nimirum & peremtorium illud fuerit, & indeclinabile Ecclesiae Romanae de illa controversia judicium: & quod nihilominus pax & quies judicium illud consequuta stabilis & firma non fuerit, quemadmodum futura esse videbatur. Ut enim peremtorium esset judicium, quid amplius requirebatur, quam ut Catholilicae communionis participes esse non pos-

possent, qui illi refragarentur; ut statim & ubique locorum ad eamdem Catholicam communionem admitterentur, qui illi parebant; denique ut ab omnibus per orbem terrarum Catholicis Episcopis pro Haereticis haberentur, qui de illo cum Ecclesia Romana digladiabantur? Haec porro tria in judicium illud conveniunt, quo juxta Sozomenum Macedonianorum de Spiritus Sancti Divinitate controversia sancita est. Quum enim Macedoniani Valentem Imperatorem & Eudoxianos infensos haberent; ut eis resistere possent, & ne omnino opprimerentur suisque Sedibus pellerentur, Catholicorum communionem expetierunt; quam se nullo modo consequuturos existimarunt, nisi prius Romani Pontificis communionem adsequerentur. Ad Liberium itaque confugerunt, quo quum se nequaquam suscipiendos intelligerent, nisi cum Ecclesia Romana Trinitatis Personas consubstantiales agnoscerent; dato Libello, se se illius hac de re judicium amplecti, solenniter professi sunt; & hoc pacto communicatorias ab eo literas acceperunt: quibus freti, ubique tamquam Catholici suscepti sunt, & in Concilio Thyanensi ad communionem admissi. Patet ergo tale fuisse illud Liberii judicium, ut qui illi adquiescerent, ad Catholicam communionem ubique reciperentur; qui autem obluctarentur, ejusdem communionis participes esse non possent, sed tamquam Haeretici palam ab omnibus Ecclesiis traducerentur: quod postremum sequenti articulo luculentius ostendam. Quid ergo defuit, ut non peremtorium esset, ac penitus irretractabile illud Liberii judicium? ut propterea eodem jure Sozomenus scripserit, eam controversiam fuisse Ecclesiae Romanae judicio terminatam, quo S. Augustino de Pelagianis controversiis proditum est: *Ab Apostolica Sede Rescripta venerunt, caussa finita est*. Nec obest, quod idem Sozomenus statim adjungit, quod ea quaestio finem accepisse videbatur: id enim, ut mox videbimus, non eo pertinet, ut ad eam quaestionem finiendam ac penitus dirimendam, firmiore & amplioris auctoritatis judicio, orbisque adunati consensione opus esset; sed indicat, Macedonianos aut ad ingenium postmodum rediisse, aut posita simulatione pacem turbasse, & ad quaestionem ipsorum etiam consensione compositam temere ventilandam, iterum adgressos esse. Quo profecto nequaquam efficere potuerunt, ut ea controversia dici non posset Ecclesiae Romanae judicio penitus terminata: quemadmodum nec turbae, quas deinceps Eusebiani, qui Concilii Nicaeni definitioni subscripserant, de Verbi consubstantialitate excitarunt, id nequaquam effecerunt, ut non esset ea controversia supremo Ecclesiae Catholicae judicio terminata. Itaque quod de Liberii & Ecclesiae Romanae judicio scribit Sozomenus, de Concilii Nicaeni judicio adfirmari jure optimo potest, nimirum & quod fuerit Arianorum de Verbi Divinitate controversia Ecclesiae judicio terminata; & quod nihilominus ea quaestio finem accepisse videbatur. *Videbatur*, inquam, non quia ampliori judicio locus aliquando futurus esset; sed quoniam Ariani qui Concilii decretis consenserant, eoque pacto ad pacem & Catholicam communionem admissi fuerant, eam deinceps ma-

majore quam antea temeritate turbarunt, & ad eamdem quaestionem vexandam Principum potentia & favore elati audaciores spiritus anhelarunt.

At post Nicaenum Concilium majore, inquis, judicio opus non fuit; post Romanum autem judicium *eo res devenere, ut Synodi generalis auctoritate, orbisque adunati consensione opus esset.* Id quidem Bossuetius contendit; sed an jure meritoque contendat, operosius inquirendum est.

ARTICULUS II.

Ostenditur, eum fuisse ante Constantinopolitanam Synodum omnium Ecclesiarum in damnando Macedonianorum dogmata cum Romana consensum, ut etiam juxta Adversariorum doctrinam, tam opus non fuerit ad evertendam eorum haeresim, quam ad profligandos Pelagianos, post Romanum de illis judicium, Synodi generalis auctoritate, Orbisque adunati consensione.

Mortuo Liberio, paucis post diebus in ejus locum sobrogatus est Damasus, pietate ac doctrina celeberrimus; qui cum alios tum eum, de quo egimus, Pneumatomachorum errorem anno circiter 369. haud semel ante Constantinopolitanam Synodum confixit. Et primo quidem in Synodo Romana XCIII. Episcoporum; quorum exstat Synodica Epistola ad Illyrici Episcopos apud Theodoritum lib. VI. cap. XXII., & apud Sozomenum lib. VI. cap. XXVII. in qua & nominatim damnatur Auxentius, & inter cetera definitur, *Spiritum Sanctum unam eamdemque cum illis*, idest Patre & Filio, *Substantiam habere & Subsistentiam*. Vel, ut habet Latinum Exemplar ab Holstenio vulgatum, *Patrem Filium Spiritumque Sanctum, unius deitatis, unius virtutis, unius figurae, unius credendum esse substantiae: contra sentientem alienum a nostro consortio judicantes.*

Aliam deinde laudatus Pontifex anno 378. Romae Synodum congregavit, ex qua Epistolam Synodicam seu Fidei confessionem misit ad Paulinum, non Thessalonicensem, ut perperam in Epigraphe Latina capitis mox laudandi apud Theodoritum, sed Antiochenum Episcopum, Thessalonicae forsitan juxta Libellum Synodicum tunc agentem: ubi pluribus Anathematismis eamdem Pneumatomachorum sacrilegam ac detestabilem opinionem confodit: *Quoniam*, ut est apud Theodoritum lib. V. cap. XI. *post Concilium Nicaenum ejusmodi error emersit, ut quidam profano ore dicere audeant, Spiritum Sanctum per Filium factum esse; anathema denunciamus omnibus qui non libere praedicant, Spiritum Sanctum unius & ejusdem tum essentiae tum potestatis cum Patre & Filio .... Anathemate item damnamus Arium & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent, tum Filium tum Spiritum Sanctum creaturam esse adfirmant. Sint porro Macedoniani mulctati anathemate, qui ex radice Ariana exorti non impietatem sed nomen solum commutarunt.* Et infra: *Si quis negaverit unam Patris & Filii & Spiritus S. divinitatem auctoritatem potestatem, gloriam unam, dominatum unum, unum regnum voluntatem & veritatem, anathema esto.* Denique ut plurima in eamdem sententiam omittam: *si quis*

Digitized by Google

si quis de Patre & Filio recte sentiat, de Spiritu Sancto autem non item, Haereticus est.

Porro nulla erat hac de re in Ecclesiae Catholicae sinu disceptatio, sed tota cum manifestis Haereticis & Fidei Nicænae professis hostibus erat controversia. Omnes enim per orbem terrarum Ecclesiae unam eamdemque cum Romana fidem profitebantur, & Macedonianos tamquam Haereticos insectabantur.

Sanctus Athanasius anno 368. in Synodo Alexandrina XC. Episcoporum Aegypti, cujus exstat Epistola Synodica ad Africanos inter opera ejusdem Athanasii, Spiritus Sancti divinitatem ex Fidei Nicaenae Formula demonstrat, quam merito animadvertit, *vere Cyppum esse inscriptum contra universas haereses*. Id vero non minus luculenter docuerat in altera Synodo Alexandrina anni 362. cui etiam Sanctus Eusebius Episcopus Vercellensis interfuit, ac de recipiendis in Constantii persecutione Lapsis disceptatum est. Statutum est autem, ut qui recipi vellent, cum Arianis damnarent *item eos qui dicunt, Spiritum Sanctum esse creaturam, & divisum ex substantia Christi. Id enim*, inquit Synodus, *vere est resilire a scelerata factione Arianorum, si non dividas Sanctam Trinitatem, nec dicas, aliquid ejus esse creatum. Nam qui simulant quidem, se se Nicaenam fidem profiteri, atque interim audent blasphemare contra Spiritum Sanctum; nihil aliud praestant, quam quod Arianam Haeresim, verbis quidem negant, animo sensuque retinent.*

Illyrici Episcopi, acceptis ex priore earum, quas paullo ante commemoravi, sub Damaso Romana Synodo literis, & ipsi in Concilium coacti anno, ut videtur, circiter 370. quosdam ex Arianis nominatim damnarunt, propterea quod *neque Filium Dei ex Patris essentia constare, neque Spiritum Sanctum confiteri* vellent: generatim autem definierunt, *Trinitatem consubstantialem esse Patrem Filium & Spiritum Sanctum*. Et infra: *Qui opinantur, Trinitatem non esse consubstantialem, anathema sunto. Et si quis cum hujusmodi communicare deprehensus sit, anathema esto. His autem, qui praedicant Trinitatem consubstantialem esse, Regnum caelorum paratum est.* Haec constant ex Epistola Synodica ad Asianos Episcopos apud Theodoritum lib. IV. cap. VIII.

Hanc Synodum Illyricianam commendant Valentinianus & Gratianus Imperatores in Epistola ad eosdem Asianae &c. Dioeceseos Episcopos apud eumdem Theodoritum loc.cit.cap.VI., seseque eamdem de consubstantiali Trinitate Fidem amplecti ac fovere profitentur: *quam etiam*, inquiunt, *nostra celsitudo passim praedicari mandavit*. Mentionem deinde faciunt tum Concilii Romae jamdudum habiti, tum alterius quod in Galliis coactum erat; quorum sese inhaerere doctrinae pariter profitentur: *Nos autem non aliter sentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romae, alterum habetur in Gallia: nimirum unam eamdemque essentiam esse Patris & Filii & Spiritus Sancti in tribus Personis, hoc est in tribus perfectis, ut Graeci loquuntur, ὑποστάσεσι.*

Conciliorum, quae per ea tempora non modo Romae & in Gallia verum & in Hispania coacta sunt, meminit

etiam S. Athanasius in Epistola ad Epictetum: *Diversis Conciliis per Galliam Hispanias & Romae celebratis, omnes, qui in eo conventu fuere, istos lucifugas ... communi calculo, unius Spiritus incitatu, anathemate percusserunt.* Ex quibus apparet, cum universam Aegyptum, tum omnes Italiae, Galliae, Hispaniae & Illyrici, imo, ut Sozomenus non uno in loco testatur(*a*), totius Occidentis Ecclesias in unam eamdemque de Spiritus Sancti Divinitate sententiam conspirasse, & anathematis fulmen adversus Pneumatomachos communi calculo contorsisse.

Quod pertinet ad Asianas & Orientales Ecclesias, ex iis quae etiamnum supersunt monumentis apertissime demonstratur, omnibus earum partium Catholicis Episcopis hac de re plenissime cum Occidentalibus convenisse, & Macedonianos pro Haereticis habuisse.

Pro Ecclesiis Galatiae extat apud Cl. Montfauconium (*b*) Fidei confessio, quam Legati Marcelli & Cleri Ancyrani [erat autem Ancyra illius Provinciae Metropolis] suo & eorum a quibus missi fuerant nomine, in conventu Alexandrino apud S. Athanasium aliosque Aegypti Episcopos ediderunt. In hac enim non modo Arianos & Sabellianos, verum & Pneumatomachos anathemate confixerunt, & ab Ecclesia Catholica alienos pronunciarunt *Quia nonnulli sunt ....., qui dicunt, Filium quidem dissimilem esse Patri, Spiritum autem Sanctum esse rem creatam unamque ex rebus factis; cum nos, tum ii qui nos huc delegarunt, hujusmodi haereses anathemate ferimus.* Et infra: *Plenioris itaque majorisque testimonii caussa, anathemate ferimus eos, qui sentiunt, ac dicunt* „ fuit aliquando cum nondum esset Spiritus Sanctus. „ *Scimus enim, Sanctam Trinitatem sempiternam semper perfectam fuisse, ac eodem modo se habuisse. Quamobrem ab Ecclesia Catholica alienos reputamus eos, qui sentiunt atque dicunt:* „ Fuit, quum non esset „ Filius, atque ex non exstantibus fa„ ctus est Spiritus Sanctus.

Pro Ecclesiis Lycaoniae, quarum Metropolis erat Iconium, habemus apud Baluzium in nova Conciliorum collectione Synodum Iconiensem sub S. Amphilochio coactam. Consulti enim illius Provinciae Episcopi, quam laudatus Amphilochius gubernabat, quid credendum esset de Spiritu Sancto, de quo quibusdam dubitationem immiserat Satanas; responderunt e Synodo, tenendam esse Nicaenorum Patrum fidem: *Docuerant enim*, inquiunt in Epistola Synodica, *sicut credi debet in Patrem & Filium, ita etiam credendum esse in Spiritum; nec aliam quampiam inducentes in divina beataque Trinitate naturam, neque quidquam de Trinitate resecantes in illa Fidei expositione.* Et inferius adjungunt, quod Baptismi formula in Evangelio praescripta, *tum Sabellii intercluditur morbus per tres Hypostases pure nobis traditas, tum Anomoeorum, Arianorumque & Pneumatomachorum obturantur ora, tribus quidem Personis ac Hypostasibus declaratis, una vero natura & divinitate confessa.*

Inter Epistolas Basilii M. occurrit n. XCII. al. LXIX. Epistola ad Episcopos Italiae & Galliae, vel ab ipso Basilio

(*a*) Vid. Lib V. cap. XXII. & XXIV.
(*b*) Nova Collect. Vet. PP. Graecor.

Digitized by Google

filio vel a S. Meletio Antiocheno Episcopo exarata, & plurium Episcoporum nominibus consignata. Scribunt enim *Deo dilectissimis & Sanctissimis Fratribus & comministris Italiae & Galliae unanimis & concordibus Episcopis Meletius, Eusebius, Basilius, Bassus, Gregorius, Pelagius, Paulus, Anthimus, Theodotus, Vitus, Abramius, Sabinus, Zenus, Theodoritus, Marcianus, Varachus, Abramius, Libanius, Thalassius, Joseph, Boethus, Jatrius, Theodotus, Eustathius, Barsumas, Joannes, Chosrhoes, Josaces, Narses, Maris, Gregorius, Daphnus, & ceteri*. Hos inter, praeter Meletium & Basilium, celebres sunt Eusebius Samosatenus, Gregorius Theologi Pater, Pelagius Laodicenus, Anthimus Tyanorum, Zeno Tyri, Theodotus Nicopolitanus, & Gregorius Nyssenus: Vitus novissimo Basilii operum Editori (a) est Carrhorum in Mesopotamia Episcopus, Abraham Urinorum in Syria qui Concilio Antiocheno interfuit anno 365., alter Abraham Batnorum, denique Jatrius est Otrejus Melitinensis Episcopus [b]. Hi ergo aliique ex tot Asiaticis & Orientalibus Provinciis Episcopi, qui vel in Synodo communiter, vel unusquisque apud se & privatim, laudatae Epistolae subscripserunt, Synodicam Concilii Romani ad Illyricos datam Epistolam, & ad ipsos etiam Orientales per Sabinum Diaconum delatam, se recepisse testantur, & iis omnibus consensisse, quae canonicae in ea Synodo peracta, & sancita fuerant: *Revera enim*, inquiunt, *laude summa dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla dissimulatione praedicare: quam quidem & nos suscepimus agnovimusque Apostolicis notis signatam: eique & ceteris omnibus, quae in Synodico Scripto canonice & legitime statuta sunt, adsentimur*. Porro in ea Synodica Epistola Damasus, aliique Occidentales decreverant, credendum esse *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius esse deitatis atque substantiae: eum autem, qui aliter sentiret*, a suo ipsorum *consortio alienum esse* judicaverant.

Verum in alia longe celebriori & frequentiori Synodo, ab Orientalibus Episcopis eadem Damasi & Romani Concilii aliquot post annis, nimirum post M. Basilii mortem, suscepta Epistola est; ut constat ex iis quae de hoc Damasi Concilio in Romana Collectione leguntur: *Explicit haec Epistola, vel expositio Synodi Romanae habitae sub Damaso Papa, & transmissa ad Orientem, in qua omnis Orientalis Ecclesia, facta Synodo apud Antiochiam consona fide credentes, & omnes ita consentientes, eidem super expositae fidei, singuli sua subscriptione confirmant*. Sequuntur septem Episcoporum subscriptiones his verbis conceptae: *Meletius Episcopus Antiochenus consentio omnibus suprascriptis, ita credens, & sentiens; & si quis praeter haec sentit, anathema sit*. Eodemque modo Eusebius Samosatenus, Pelagius Laodicenus, & alii quatuor subscribunt; ac deinde adjungitur: *Similiter & aliii CXLVI.*

(a) In Vita S. Basil. cap. XXII. num. V.
(b) *Pro Jatrio*, inquit, *legerem Otrejum Melitinensem*.

CXLVI. Orientales Episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in Archivis Romanae Ecclesiae tenetur.

Quum itaque totus Occidens, universa Aegyptus, *omnis Orientalis Ecclesia*, & omnes per universam Ecclesiam Catholici Episcopi, Damasi & Ecclesiae Romanae de Spiritus Sancti divinitate judicium amplecterentur, & Macedonianos tamquam manifestos Haereticos ab Ecclesiae communione repellerent, dirisque devoverent ac saepius repetitis anathematis jacularentur, quis aequo animo ferat, ut tam solemne judicium, non adhuc omnino immobile & irreformabile, sed retractationi obnoxium judicetur? An non illa in Ecclesia Gallicana semper doctrina viguit & etiamnum viget, quod Romani Pontificis de fide decreta, quibus Catholicorum etiam in suis Ecclesiis residentium Episcoporum pars maxima adhaeret, summam & indeclinabilem habeant auctoritatem? quae sententia nisi admittatur, nulla ferme erit de fide controversia quae extra Generale Concilium terminari, nulla haeresis quae sine Orbis adunati consensione comprimi, & funditus everti, ac penitus labefactari valeat. Quod tamen cum Augustino & aliis Patribus, cum omnes Theologi tum ipse etiam Bossuetius in hoc ipso Opere aperte negat: agnoscit enim cum laudato Augustino, Pelagianam haeresim, ut alias quamplures trium praesertim saeculorum interim omittamus, solis Apostolicae Sedis rescriptis, quibus Catholici per universum Orbem Praesules consenserunt fuisse finitam. At ego non video, quid inter Pelagianorum & Macedonianorum haeresim discriminis adferri valeat, ut ad horum quidem, non autem illorum doctrinam penitus profligandam, Synodi generalis auctoritate, Orbisque adunati consensione opus esset. An horum minus quam illorum *aperta pernicies*? an non in horum perinde atque in illorum damnationem Catholici per universum Orbem Episcopi, vel quique privatim in suis Sedibus, vel communi calculo in Conciliis Nationalibus consenserunt? an hi forsitan secus atque illi aliqua in Ecclesia auctoritate pollebant, aut favore Principum nitebantur? At quid magis a Christiana Religione alienum, quae magis aperta blasphemia; quam aliquid creatum in Trinitatem inserere, & Spiritum Sanctum a Patris Filiique consortio ac natura sejungere? nec minor profecto vis in Conciliis per Italiam, Galliam, Hispaniam, Lycaoniam & Illyricum congregatis, aut Alexandrinis ex universa Aegypto & Libiis, & Antiochenis ex toto Oriente collectis ad damnandos Macedonianos, quam in Africanis ad conterendam haeresim Pelagianam. Quae quum ex se ipsis manifesta sint; superest, ut breviter ostendam, nec majoris fuisse in Ecclesia auctoritatis nec minus infensos habuisse Principes, qui Spiritum Sanctum in rerum creatarum censum referebant, quam qui peccatum originis inficiabantur.

Praeter Arianos sive Eudoxianos, & Eunomianos sive Anomoeos, quorum quum essent Nicaeni Concilii professi hostes nulla proinde in Ecclesia ratio habebatur; qui Macedoniani & Semiariani audiebant, ubi primum sub Valente, quum Patri Filium per omnia similem faterentur, abruptius in Spiritum Sanctum

Digitized by Google

ctum blasphemare coeperunt, adeo infirmis erant viribus; ut quum inde ab Eudoxianis & Valente, inde vero a Valentiniano & Catholicis premerentur; facile intellexerunt, nullo se loco posse consistere, nisi aut ad illorum se se aut horumce partes adjungerent, ut Socrates lib. IV. cap. XI. & Sozomenus lib. VI. cap. X. animadvertunt. Repudiata ergo, ut iidem Historici narrant, Eudoxianorum communione, ad Liberium & Catholicos accesserunt, editaque fidei Catholicae professione, ad pacem & communionem recepti sunt; & quoad Valens imperavit, & in vivis fuit, omni studio curarunt; ne aut aperta haereticae doctrinae professione, aut manifesta separatione, initae pacis foedera violarent. At mortuo Valente, quum Gratianus referente Socrate lib. V. cap. II. legem tulisset, *ut omnes cujuscumque Religionis homines absque ullo discrimine in Ecclesiis convenirent, soli autem Eunomiani Photiniani & Manichaei pellerentur Ecclesiis*; Macedoniani & Semiariani nihil jam sibi & ab Eudoxianis & a Catholicis timendum rati, editam jampridem Catholicae fidei professionem, & Catholicorum communionem abjicere constituerunt. Idcirco, inquit Socrates eodem libro cap. IV. *Antiochiae, quae est in Syria* (vel potius ut est apud Sozomenum lib. VII. cap. II., *in Caria*) *in unum coacti de integro decrevere, vocem illam τοῦ ὁμοουσίου aversandam esse, & cum illis, qui fidem Concilii Nicaeni amplexabantur, non omnino communicandum*. Verum ut idem Socrates animadvertit, eorum conatus minime ipsis successit ex sententia; tum quia plerique eos tamquam alias alia decernentes condemnare coeperunt, ab illis penitus descissere, & constantius iis adhaerere qui fidem a Nicaeno Concilio praescriptam profitebantur; tum quia Gratianus memoratam legem, quam apud Sirmium anno 378. promulgarat, mutata in melius sententia, hoc ipso labente anno apud Mediolanum Ambrosio auctore, ut par est credere, revocavit; statuitque, ut *omnes vetitae legibus Divinis & Imperialibus haereses perpetuo conquiescerent*. Quo referendum videtur, quod est apud Theodoritum lib. V. cap. II. *Iste Imperator ..... conscripsit legem, qua jubebat ..... Sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur*. Nec minus Macedonianis aliisque Haereticis infensus fuit & ad Catholicam fidem amplificandam propensus Theodosius Magnus, quem sequente anno Gratianus Purpurae Socium & Imperii Collegam adscivit. Nam celebrem Thessalonicae, impellente Ascholio illius Urbis Episcopo, an. 380. legem tulit ad Constantinopolitanos missam, (*a*) *ut eam Religionem amplecterentur, quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset, quamque tum temporis Damasus Romae, & Petrus Alexandriae Episcopus conservaret: & ut illorum dumtaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui divinam Trinitatem aequali honore colerent. Qui diversum sentirent, eos haereticos appellari, intestabiles esse, ac supplicio affici*. Ex quibus apparet, Macedonianis tum temporis, perinde ac postea Pelagianis, parum fuisse virium ad resistendum Catholicis; & ho-

(*a*) Sozomenus lib. VII. cap. IV.

Digitized by Google

horum non secus atque illorum, non modo Pontificum & Synodorum decretis verum & Imperialibus Legibus ac Rescriptis repressam fuisse temeritatem: quibus si ea quae superius disputata sunt adjungantur, minime apparet, cur ad horum potius, quam ad aliorum caussam terminandam, *Synodi Generalis auctoritate Orbisque adunati consensione opus fuerit*.

ARTICULUS III.

Constantinopolitana Synodus coacta reapse non est, ut Romanorum Pontificum de Macedonianis judicium, aut horum de Spiritus Sancti Divinitate controversia retractaretur.

NUllus veterum Scriptorum, qui Constantinopolitani Concilii Historiam litteris consignarunt, hanc, quam Illustrissimus Bossuetius commentus est, celebrandae Synodi rationem adtulit; sed has potissimum proferunt: ut nimirum Nicaena fides confirmaretur, & Constantinopolitanae Ecclesiae Catholicus praeficeretur Episcopus: ita Socrates lib. V. cap. VIII.: *Imperator, nulla mora interposita, Concilium Episcoporum ipsius fidem amplectentium convocat; quo tum fides Concilii Nicaeni corroboraretur, tum Constantinopoli designaretur Episcopus*. Concinit Socrati Sozomenus lib. VII. cap. VII., nec ab eis dissentit aut aliud indicat Theodoritus lib. IV. cap. VIII. Verum quidem est, quod, ut laudati Socrates & Sozomenus referunt, invitati fuerunt, & accesserunt ad Synodum etiam Episcopi Macedoniani: at non ideo vocatos fuisse referunt, ut Romanum de illis judicium retractaretur; sed ut illis ejusmodi judicium Patres in mentem revocarent, & ad redintegrandam pacem hortarentur, quam edita juxta illud apud Liberium Catholicae fidei professione jampridem consequuti fuerant: *Ac quoniam*, inquit Socrates, *in spem venerat* (Theodosius *se posse*, *Macedonianos ad concordiam cum illis, qui erant ejusdem cum illo fidei, reducere; Episcopos sectae Macedonianae accersivit*. Quid autem cum iis Episcopis in Synodo gestum sit, sequentibus verbis Sozomenus exponit: ait enim, quod Catholici Episcopi, *quum Decreti in Nicaeno Concillio confirmati approbatores essent, eos qui cum Eleusio erant obtestabantur, ut suae sententiae subscriberent; in memoriam illis redigentes, quae ad Liberium per Legatos Eustathium Silvanum ac Theophilum scripsissent, & contestati essent*. Atque iis paria etiam Socrates refert: ex quibus profecto constat, non ad retractandum Romanae Sedis judicium Macedonianos admissos in Synodo fuisse; sed ut ad servandam fidei professionem, quam juxta Liberii decretum per Legatos suos in Romana Synodo ediderant, adigerentur.

Nec refert, quod Macedoniani in Concilio Constantinopolitano damnati sunt, & eorum dogmati confutando plures Nicaeni Concilii Symbolo particulae sunt adjectae. Nam & alios Haereticos Synodus Constantinopolitana damnavit, & eorum erroribus profligandis plures eidem Symbolo particulas addidit, (seu potius, ut est Viris eruditis animadversum [a], & ex S. Epi-

(a) Vid. Usser. de Symbolis.

Epiphanio colligi videtur (a), antiquius Symbolum, & ejusmodi jampridem auctum additamentis adoptavit.) Nec tamen propterea quis dixerit, eorum omnium Haereticorum caussas in hac fuisse Synodo retractatas.

Ex his porro aperte conficitur, Conciliorum Generalium celebrationem argumento non esse, quod fidei dogmata jampridem definita, aut decreta adversus Haereticos lata retractationi obnoxia judicarentur; nec Concilia Generalia celebrata fuisse, quod, ut ea decreta summam & immobilem firmitatem obtinerent, *Synodi generalis auctoritate Orbisque adunati consensione opus esset*. Nam, ut ex Socrate aliisque auctoribus demonstravi, Constantinopolitana haec Synodus primum congregata est, ut fides Concilii Nicaeni confirmaretur. Quis tamen dixerit, Nicaenae Fidei hac adhuc Synodo opus fuisse, ut robur auctoritatis invictum obtineret?

Libet hic coronidis loco attexere verba, quibus Gallicani Praesules, Epistola data ad Innocentium Decimum post receptam Constitutionem contra quinque Jansenii propositiones, agnoscunt & aperte docent, Damasi adversus Macedonianos & Appollinaristas decreta summam, & ineluctabilem vim ante Concilium Oecumenicum habuisse, perinde atque Innocentii Primi, ac Zosimi adversus Pelagianos Rescripta; his enim, quae hactenus in hoc Capite disputata sunt, egregie confirmantur: Scribunt enim, quod *vetustae illius aetatis Ecclesia Catholica, sola Petri communione & auctoritate fulta, quae in Decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos Orbis Episcopos Epistola subsequuta est, Pelagianae Haeresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematismis adversus Apollinarium & Macedonium nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, a Damaso paullo antea jactis, Judicia pro sancienda regula fidei, a Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione, (sive suam in Actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit,) divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur*. Ex quibus discimus, esse rem adeo perspicuam & exploratam Damasi adversus Macedonianos judicia divinam atque summam per universam Ecclesiam auctoritatem, etiam ante Concilium Oecumenicum habuisse; ut ex Gallicanorum Praesulum sententia, hoc sibi olim exemplum imitandum Ecclesia proposuerit, quum Romanorum Pontificum adversus Pelagianos decretis sine ulla cunctatione subscripsit: seseque idem exemplum laudati Præsules sequutos esse glorientur, quum Innocentii X. adversus quinque Jansenii Propositiones Constitutioni, nulla Oecumenicae Synodi, sed unius Apostolicae Sedis auctoritate permoti subscripserunt. Unde consequens est, Concilii generalis celebrationem argumento non esse, quod ea, quae praecesserunt, Apostolicae Se-

(a) Ancorat. cap. CXX.

Digitized by Google

dis adversus errores judicia retractationi fuerint obnoxia; & generales Synodos ideo celebrari, quod iis opus omnino sit, ut ea summam & divinam & indeclinabilem obtineant auctoritetem.

CAPUT IX.

„ Ad Ephesinam Synodum devenimus. Referuntur ea, quæ Synodum praecesserunt; demonstraturque a S. Caelestino Papa, tota Sedis Apostolicae auctoritate, in Nestorii haeresim ac Personam pronunciatum fuisse: An tale judicium pro irreformabili sit habitum; quaestio ex Actis postea dissolvenda.

QUod praesenti Capite probare aggreditur Illustrissimus Gallicanae Declarationis Defensor; quod nimirum S. Caelestini de Nestorii haeresi ac Persona judicium tota fuerit Cathedrae auctoritate prolatum; extra omnem controversiam positum est, idque ab ipso luculentissime demonstratur. Quare de hac re nulla mihi cum ipso concertatio est: agnosco enim, nihil plane potuisse in ejusmodi judicio desiderari, quo Apostolica autoritas plenissime exereretur; „ *An vero sententia „ tanta autoritate prolata, postquam „ ingens dissensio exorta est ac Synodi „ Oecumenicae injecta mentio, pro ir„ reformabili sit habita, gesta sequen„ tia demonstrabunt*. Demonstrabunt plane: nihil enim luculentius iis, quae in Ephesina hac Synodo gesta dictaque sunt, ad demonstrandam summam, & nullius etiam Concilii generalis subditam judicio Apostolicae Sedis in iis quaestionibus dirimendis auctoritatem.

Verum antequam ad Acta ipsa propius inspicienda accedamus, duo hic nobis quaerenda sunt. Primo, quodnam fuerit in hoc negotio S. Cyrilli de Romani Pontificis auctoritate judicium. Secundo, an juxta ipsius Ecclesiae Gallicanae doctrinam, Synodi generalis auctoritate Orbisque adunati consensione opus fuerit, ut Caelestini de haeresi Nestoriana decreta inconcussam & immobilem firmitatem obtinerent.

ARTICULUS PRIMUS.

S. Cyrillus irrefragabilem agnovit in Caelestino ad damnandam haeresim Nestorianam, auctoritatem.

ID perspicue suadent ipsius S. Cyrilli verba in Epistola ad Caelestinum, 1. Parte Concilii Ephesini cap. XIV. sic enim Sanctum Pontificem adloquitur: *Non prius autem illius* (Nestorii) *communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias praescribere; quo liquido nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac praedicat. Porro tuae integritatis mens, & super hac re sententia, piissimis Deoque devotissimis Macedoniae Episcopis, necnon totius Orientis Antistibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectaeque fidei quae jam impugnatur opem ferant.* Cyrillus ergo etsi Nestorii blasphemias perspectas & exploratas habebat; non audet tamen

Digitized by Google

tamen omnem cum ipso societatem & communionem abrumpere, nisi prius Sedem Apostolicam consulat, ejusque hac de re sententiam excipiat. Profitetur autem, sese post acceptum illius Sedis oraculum nihil amplius retractaturum; sed nulla mora interposita, libere & absque ulla cunctatione, utpote re jam liquido definita, *quo* inquit *liquido nobis constet &c.* ejus decreto pariturum; eumdemque aliorum per universum orbem Episcoporum esse sensum, pro certo se habere significat. Petit enim a Caelestino, ut suum de Nestorio judicium praecipuarum Sedium Episcopis significare velit, quo una sit omnium fides atque sententia. Proindeque eam esse judicat Apostolicorum decretorum de rebus ad fidem morumque disciplinam pertinentibus vim, ut nemo illis reluctari valeat, sed omnes in uno eodemque sensu continere possint, quemadmodum centrum omnes in se uno lineas conjungit.

His accedit, quod, ut est veteribus quibusdam Scriptoribus animadversum, S. Cyrillus ad Caelestinum velut AD ARCEM FIDEI confugit; cujus proinde firmissima esse oportet & immota de fidei rebus judicia. Si enim adversus Ecclesiam in Arce fidei fundatam, & fidei arce defensam portae inferi praevalere non possunt; prorsus necesse est, ut Arx ipsa fidei adversus easdem Inferi Portas, id est adversus haereses & errores, firma & immota consistat: namque ubi semel Civitatis arcem aut Regni hostes expugnaverint & in suam redegerint potestatem, de toto Regno aut Civitate actum est. Cyrillum itaque ad S. Caelestinum velut ad Pontificatus subindeque & Fidei Arcem confugisse, Arnobius Junior in Conflictu cum Serapione sequentibus verbis testatur: *Apostolicae recordationis vir S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus quum cognovisset, Nestorianum dogma contrarium fidei pullulare, scripsit per totam Aegyptum, & ad Sanctum Caelestinum Apostolicae recordationis Antistitem misit, dicens ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui Pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum*. Consentit Marcellinus Comes in Chronico: *Caelestinus* ROMANAE ARCIS *Pontifex Nestorio pravitatis Episcopo, per Epistolam suam datis decem dierum induciis, vel poenitenti veniam, vel dissentienti damnationem denunciat*. Ex quibus colligit Thomassinus, SUMMAM judicii hujus adversus Nestorium exerciti potestatem vel ab ipso Cyrillo ad Caelestinum esse delatam, tanquam ad *Pontificatus arcem* (a). Porro qui Pontificatus arcem tanquam Ecclesiae Caput tenet, ille etiam Arx fidei jure optimo & nuncupatur & creditur: id quod est etiam Gallicanis Episcopis animadversum in Epistola ex Comitiis Generalibus Cleri ad Innocentium X. Pontificem Maximum data VIII. Kal. Novembris MDCL. *Scimus, ubi Caput Ecclesiae*, IBI TOTIUS FIDEI ARCEM, *totius & disciplinae Metropolim*. Quid autem ex hac totius fidei arce S. Cyrillo quum ad eam confugit sperandum esset, Concilium Ephesinum, cujus veluti mens & calamus ipse Cyrillus fuit, ad S. Caelestinum scribens sequentibus verbis declarat: (b) *Sanctitatis tuae*

G 2 *circa*

(a) Differt. 10. de Concil. num. III.
(b) Act. V. Conc. Ephes.

Digitized by Google

circa pietatem zelus, *& circa fidei sinceritatem cura*, *nostri omnium Salvatori Deo grata & placita*, *omni admiratione digna exsistit*. *Est enim hoc vobis* ADEO MAGNIS *in more positum*, *ut in omnibus celebres sitis*, *studiaque vestra* ECCLESIARUM FIRMAMENTA *constituatis*. Ex illa ergo totius fide Arce, in qua sibi S. Cyrillus adversus Nestorium firmamentum constituit, decreta & judicia manant, quae OMNIUM ECCLESIARUM FIRMAMENTA sunt; quae proinde immota & firmissima esse oportet, ne si omnium Ecclesiarum firmamenta vacillant, ipsa etiam universalis Ecclesia periclitetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

S. Caelestini de Nestorio judicium juxta Gallicanae Ecclesiae doctrinam, etiam ante Oecumenicam Synodum, immobilem habuit & irretractabilem auctoritatem.

DUabus propositionibus, ut illud semel admoneam, Gallicanae Ecclesiae doctrina ad quam in praesentia provoco continetur; *duabus*, inquam, *propositionibus*, quas recentis e Gallia Theologi verbis efferam (a).

Prima est: *Fieri non potest*, *vi promissionum Christi*, *ut in caussa Fidei multitudo Episcoporum simul cum Romano Pontifice*, *paucis admodum ex adverso reclamantibus Episcopis*, *errorem definiat ac pertinaciter defendat*.

Altera est: *Ad robur & firmitatem dogmaticae definitionis sufficit moralis unanimitas*, *quam non impedit paucorum resistentia*. Eam porro esse docet moralem unanimitatem, *quae ex suffragiis multo majoris partis paucis admodum exceptis coalescit*. *Dixi*, inquit, *paucis admodum exceptis*. *Namque si tanta foret Episcoporum discordia*, *ut hinc & inde diversas in partes scinderentur numerosae ac insigniores Ecclesiae*, *sicut contigit in controversia de Baptismo ab Haereticis collato*, *tempore Stephani Summi Pontificis & S. Cypriani*, *tunc nequidem moralis adesset unanimitas*; *saltem completa & perfecta*; *adeoque ad Concilium generale recurrendum foret*. Hanc autem dixi Gallicanae Ecclesiae esse doctrinam; non quod ignorem, hanc pariter omnium esse Catholicorum sententiam, quatenus docet Romanorum Pontificum de rebus fidei judicia, quibus omnium fere per orbem Catholicum Episcoporum accedit consensus, inconcussam habere & indeclinabilem auctoritatem; sed quod ea propria Gallorum opinio sit, ejusmodi consensum esse necessarium, ut ea Romanorum Pontificum de Fidei controversiis judicia firma & omnino immota consistant. Duo hic itaque mihi praestanda sunt.

Primo demonstrandum est, in Caelestini de Nestorio sententiam, statim ac promulgata est, Episcoporum multitudinem, paucis admodum ex adverso reclamantibus, consensisse.

Secundo quod paucorum ex adverso reclamantium, seu non omnino Apostolico judicio acquiescentium dissensione *moralis unanimitas* abrupta non est; adeoque opus omnino non fuit, ut ad Concilium generale recurreretur.

Quod ad primum attinet, prae oculis imprimis habenda est sententia, quam ad-

(a) Tournely de Eccles. Quaest. III. art. IV. & V.

Digitized by Google

adversus Nestorium in Synodo Romana Caelestinus tulit, & quae in celebri ipsius ad eumdem Nestorium Epistola sequentibus verbis concepta est: (a) *Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Deo Christo nostro ea praedices, quae & Romana & Alexandrina & universalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & Sacrosancta Constantinopolitanae Urbis ad te usque optime tenuit; & hanc perfidam novitatem, quae hoc quod venerabilis Scriptura conjungit nititur separare, intra decimum diem a primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum, aperta & scripta professione damnaveris, ab universalis te Ecclesiae Catholicae communione dejectum*. Tria potissimum in hoc Caelestini decreto spectanda sunt. Primo, quod quam doctrinam definit ac Nestorio tenendam subscribendamque decernit, eam esse docet quam universa per orbem tenebat & praedicabat Ecclesia. Secundo, quod eumdem Nestorium erroris huicce doctrinae contrarii reum peragit. Tertio, quod ipsi ad ejuranda perversa dogmata decem dumtaxat inducias dierum indulget. Ex hisce itaque tribus partibus, quibus laudata sententia constat, nulla est, in quam etiam ante Synodum Oecumenicam Catholicorum Episcoporum pars maxima non consenserit.

Atque ut a prima exordiamur; quis post tam disertum ac luculentum ipsiusmet S. Caelestini testimonium negare audeat, aut in controversiam vocare, quod quam ipse Nestorio tenendam subscribendamque proponit, haud alia tunc esset, quam universae Ecclesiae doctrina? Quis enim vero unquam Catholicorum negavit, unam esse in Christo Personam, sive unum esse eumdemque Dei & hominis Filium, ac propterea Beatam Virginem jure meritoque Θεοτόκον seu Deiparam appellari? his porro, quod ad doctrinam pertinet, Caelestini decretum terminis circumscribitur. Quare S. Cyrillus, tamquam Apostolicae sententiae executor leges Nestorio praescribens, quas eum subire oporteret si vellet in Ecclesiae communione persistere: *Praeter hoc addendum* inquit (b) *illud est, ut scripto ac jurejurando adfirmes, te praeterea anathematizare, quae scelestè & profane hactenus sensisti; & ea rursum posthac te sensurum ac docturum polliceare, quae & nos & ceteri omnes quotquot vel in Occidente vel in Oriente vivunt Episcopi, Doctores & populorum duces... Haec enim est Catholicae Apostolicaeque Ecclesiae fides, in qua universi Occidentis & Orientis orthodoxi Episcopi consentiunt*. Id autem adeo perspicuum erat atque exploratum, ut Johannes Antiochenus, aliique Orientales Episcopi, qui propensiore in Nestorium animo erant, Amici verba in alienum sensum detorquerent; id quod etiam ipse Nestorius aliquando praestitit: nimirum ad fucum faciendum imperitis, & ne à totius Ecclesiae doctrina dissentire videretur. Itaque nulla esse potest de hac prima Apostolici Decreti parte controversia.

Verum, quod ad alteram partem adtinet, illud prima fronte videtur aliquid adferre difficultatis, quod, ut mox

(a) I. P. Conc. Ephes. cap. XVIII.
(b) Ibid. cap. XXVI. §. II.

mox est nobis animadversum, Johannes Antiochenus, aliique Orientales Episcopi non omnino persuasum habebant, Nestorium iis fuisse erroribus implicitum, quos ei Caelestinus & Cyrillus imputabant. Verumtamen quaecumque fuerit Orientalium de Nestorii sensibus mens, certum nihilominus est, reliquos per orbem terrarum Episcopos Caelestini judicio adhaesisse: neque Orientalium dissensione, vel tum quum in apertum bellum erupit, *moralis* Episcoporum unanimitas violata est. S. Cyrillus in Epistola ad Johannem Antiochenum, totius Occidentis Episcopos Papae de Nestorio decretum amplexos esse, disertis verbis testatur: (a) *Romana Synodus* (hanc paullo superius collectam fuisse docet ex iis tantum Episcopis, qui tum Romae comperti sunt, quum illuc Diaconus Possidonius pervenit) *disertam statim in illum sententiam tulit: qua de re ad tuam quoque pietatem perscripsit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum est illis, qui a totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripserunt namque expositae sententiae exempla cum ad Rufum piissimum Thessalonicae Episcopum, tum ad alios quoque nonnullos religiosissimos Macedoniae Episcopos, qui ab illius sententia numquam decedere solent. Scripserunt nihilosecius & ad Juvenalem piissimum Hierosolymorum Episcopum. Jam tuae pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere. Nos enim sequemur, quae illi judicaverunt. Veremur namque, ne a tantorum communione excidamus, qui non ob aliud indignantur, neque ob parvi momenti res commoti sunt, eamque sententiam tulerunt, sed propter ipsam Fidem, universasque orbis terrarum turbatas Ecclesias, & communem populi aedificationem.* Haec ex Alexandrina totius Aegypti Synodo ad Johannem scribebat Cyrillus, in quibus quaedam nobis accurate adnotanda sunt. Et primo quidem animadversione dignum est, quod, quemadmodum paullo ante monuimus, Romana Synodus, quam Cyrillus commemorat, & ex qua Caelestinus adversus Nestorium sententiam tulit, ex solis Episcopis coacta est, *qui* tunc *in magna*, ut ait, *Romanorum Urbe comperti sunt*. Et tamen haud veretur pronunciare, quod *eorum decreto modis omnibus parendum est illis, qui a totius Occidentis communione excidere noluerint*, quo profecto significat, constantem fuisse omnium Occidentalium morem, ut nunquam ab Apostolicae Sedis decretis dissentirent. Alioquin quomodo de totius Occidentis sententia fidenter pronunciasset, qui unius Romani Concilii decretum prae manibus habebat?

Secundo notandum est, in illa Occidentis & Orientis, sive Occidentalis & Orientalis Ecclesiae divisione, ad quam in his verbis laudatus Cyrillus digitum intendit, sub Occidentali comprehensas tum fuisse, praeter alias Provincias, Africam, Illyricum, & Macedoniam. Et de his quidem, nempe de totius Illyrici Episcopis, [quod plures & amplissimas Provincias complectebatur, quibus omnibus Thessalonicensis Episcopus praeerat] ac speciatim de Macedonibus idem S. Cyrillus testatur; quod *ab illius*, idest Romani Pon-

(a) I. P. Conc. Ephes. Cap. XXI.

Pontificis, *sententia numquam decedere solent*. Idemque de Africana Ecclesia sentiendum est, quae in illa generali divisione ad Occidentem referebatur; quam proinde S. Cyrillus sub *totius Occidentis*, a cujus communione sejungi verebatur, nomine comprehendit.

Et vero quod hic Cyrillus Johanni Antiocheno denunciat, nempe aut parendum esse Caelestini de Nestorii damnatione sententiae, aut a totius Occidentis, Africae, Macedoniae, ac totius Illyrici, & Aegypti, cui ipse praeerat, communione excidendum; haud inanem fuisse comminationem, ex earum Ecclesiarum actis gestisque compertum est. Nam S. Caelestinus, antequam Legatos ad Ephesinam Synodum destinaret, Romae *Sanctorum Occidentalium Episcoporum multitudinem* coëgit; *qui illic simul congregati*, ut ajunt Patres ejusdem Ephesini Concilii in Relatione ad Imperatorem (*a*). *Caelestino Sanctissimo piissimoque magnae Romae Episcopo etiam praesente, & nunc nostram de fide sententiam praedicarunt, eosque qui diversa sentiunt, ab omni prorsus Sacerdotii sorte graduque alienos esse definierunt*. Hanc autem Synodum totius Occidentis Ecclesias repraesentasse, inde aperte colligitur, quod Legati ex ea Synodo Ephesum missi *totius Occidentalis Sanctae Synodi sententiam per literas* exposuisse, in eadem Relatione dicuntur.

Quod Caelestinus Romae, id Capreolus Carthagine perficere cogitavit; ut nimirum quemadmodum ille Romae ex toto Occidente, ita ipse Carthagine ex universa Africa Synodum congregaret, ut consonam Caelestino ac Cyrillo adversus Nestorium sententiam pronunciaret, & aliquot Episcopos tamquam totius Africanae Ecclesiae Legatos Ephesum destinaret. Verum Barbarorum incursionibus impeditus, Epistolam Concilii Actis insertam (*b*), per Bessulam Diaconum misit, quem non unius Capreoli, sed totius Africae Episcoporum legationem obiisse, aut de ipsorum omnium cum Capreolo, ac per eum cum Caelestino Cyrilloque consensione testatum esse, aperte ex iisdem Actis colligitur. Etenim in Relatione ad Imperatorem per Candidianum Kalendis Juliis missa; *Synodus*, inquiunt Patres, *omnes totius orbis Sanctissimos Episcopos unum idemque sentientes habet. Nam & magnae Romae Episcopus Synodo simul interest, & Africani per piissimum Archiepiscopum Cyrillum, cum quo suam sententiam conjunxerunt: qui sola locorum intercapedine disjuncti, cum ipsius, tum omnium nostrum sententiae consenserunt*. Et infra in alia Relatione per Johannem Comitem missa: *Oecumenica Synodus quae universumOccidentem, cum magna vestra Roma & Apostolica Sede, totam item Africam, & totum Illyricum in consessu suo habet*. Quae profecto vera esse non poterant, nisi una fuisset omnium Africae Episcoporum cum suo Primate sententia, quam ipse per Epistolam, viva autem voce Bessula repraesentaret.

Denique Flavianus Philippensium Episcopus quum Cyrilli ad Nestorium Epistolae Actione prima Concilii subscripsisset, de aliorum quoque totius Illyrici Episcoporum in eamdem sententiam consensione testatus est: *His quoque*, inquit, *Sanctissimum Patrem no-*

(*a*) Act. III. Conc. Ephes. (*b*) Act. I.

nostrum Rufum Thessalonicensium Metropolitanum subscribere affirmo. Nam cum propter aegritudinem huc venire non posset, mihi ad sanctam & magnam hanc Synodum proficiscenti haec mandata dedit. Quin omnes quoque Illyrici Episcopos in meam sententiam concedere, nihilque de jam actis haesitare, certo persuasum habeo. Ex quibus colligere est, & alios Metropolitas, quos imprimis Theodosius invitaverat, praejudicatam totius Provinciae sententiam ad Synodum adtulisse.

Tertio, circa ea, quae superius adlata sunt S. Cyrilli verba, observandum est; hanc totius Occidentis, Africae, Illyrici, & Aegypti cum Romano Pontifice in Nestorii damnatione, aliis totius Orbis Episcopis nequaquam reclamantibus, consensionem, tanti Cyrillum fecisse, ut nequaquam tutum existimaverit, ab eorum discedere sententia, & excidere communione; ac propterea inquit: *Nos enim sequemur, quae illi judicaverunt. Veremur namque, ne a tantorum communione excidamus.* Quo proinde testimonio fulciri potest, quae hodie in Gallicana Ecclesia viget opinio, quod nimirum manifestis disertisque verbis testatus quorumdam Episcoporum; aliorum vero, quorum ut plurimum major est numerus, tacitus consensus, vim certam & ineluctabilem conferat Apostolicae definitioni [a]. Juxta quam opinionem omnino dicendum est, Caelestini de Nestorio sententiam irreformabilem adeptam esse, etiam ante Synodum Oecumenicam, auctoritatem. Ad eam enim, ut jam vidimus, *expresso*, ut vocant, consensu totius Occidentis, Africae, Aegypti, & Illyrici Episcopi, etiam ante Synodum, accesserunt; alii vero per universum terrarum Orbem Episcopi, ne ipsis quidem exceptis Orientalibus, *tacito*. Nondum enim, ut mox dicemus, Johannes Antiochenus & Orientales in apertam dissensionem proruperant: quinimo Apostolicae sententiae aequitatem quodammodo agnoscebant, & Nestorio auctores erant, ut Ecclesiae, & Pontifici satisfaceret. Nam & ipsi, perinde ac Cyrillus, initio verebantur, ne a tantorum communione exciderent: quem ipsorum timorem verba illa praeseferunt Johannis Antiocheni, ex aliorum Orientalium consensu, ad Nestorium scribentis (b): *Nam & Occidens, & Aegyptus, & ipsa fortasse Macedonia, ab ea unione sese abrumpere decreverunt, quam singularis Dei beneficentia ..... communi Ecclesiae utilitati impertivit.*

Tertia, uti superius animadvertimus, Apostolici adversus Nestorium decreti pars in eo versabatur; quod Nestorio ad nefaria dogmata ejuranda, haud amplius quam decem dierum inducias indulgebat. Hanc vero partem haud alia ratione seorsim considerandam proposui, quam ut monerem [id quod etiam, mox referendis verbis, Johannes Antiochenus Nestorium monuit] nequaquam id temporis ejuscemodi quaestionem fuisse disceptatam, de qua non liquido inter Fideles constaret, & quae propterea plurimum otii ac laboris ad deliberandum requireret. *Enimvero*, (inquit laudatus Episcopus Antio-

(a) Vid. Tournely de Eccles. Quaest. III. art. II.

(b) I. P. Conc. Ephes. cap. XXV.

tiochenus Nestorio scribens) *licet Dominus meus Caelestinus, Deo devotissimus Episcopus, decem tantum dierum intervallum, terminum usque responsioni praefinitum valde angustum, literis suis interposuerit; tamen res ea ejusmodi est, ut, non dico decem diebus, sed uno, imo vero paucis horis confici posse videatur*. Nimirum non de iis agebatur Christianorum dogmatum consectariis, quae non nisi magno studio eruuntur, & *in quibus*, antequam fuerint eliquata, & Ecclesiae auctoritate definita, *salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur*, inquit Sanctus Augustinus (*a*), *quid verum sit & sententia definitiva suspenditur; aut aliter quam est, humana & infirma suspicione conjicitur*. Sed quod in controversiam a Nestorio vocabatur, *ad ipsa*, ut ejusdem S. Augustini adversus Pelagianos verbis utar (*b*), *fidei pertinet fundamenta*; & inter ea dogmata recensendum est, in quibus *proprie*, ut idem scribit Augustinus (*c*), *fides Christiana consistit*. Hinc Basilius Archimandrita aliique Constantinopolitani Monachi in Libello supplici adversus Nestorium ad Theodosium, *Desideramus*, inquiunt [*d*], *Christianae fidei fundamentum inconcussum immotumque persistere*. Et Sanctus Caelestinus in Epistola ad ipsum Nestorium (*e*): *Quis ferat, doceri Episcopum, qualiter esse debeat Christianus?* Ex quibus constat, controversiam, quam in Ecclesiam Nestorius invexit, ejusdem generis ac rationis fuisse cum illa, quam ante aliquot annos Pelagiani excitaverant: ac proinde quemadmodum horum caussa absque Synodi congregatione, & solis Apostolicae Sedis Rescriptis finita est; cur non & Caelestini in Nestorii caussa decretum peremtorium fuisse dicamus; quum huic perinde atque illis Episcoporum, ut ostendimus, pars longe maxima adhaeserit?

CAPUT X.

„ Dicta a Caelestino Papa de fide, to-
„ ta Apostolicae Sedis auctoritate
„ sententia, Concilii universalis
„ mentione & convocatione suspen-
„ ditur. Id Canonice & ordine fa-
„ ctum, omnes Episcopi, & Papa
„ ipse confitetur.

PRaeter haec duo, quae satis apertae in Epigraphe enunciantur; quod nimirum Caelestini de fide sententia Concilii generalis mentione & convocatione suspensa fuerit; idque Pontificem ipsum, & Episcopos canonice & ordine factum agnovisse; aliud etiam sub ipsius Capitis initium demonstrare aggreditur Illustrissimus Auctor, quod videlicet Synodi Oecumenicae orbisque adunati consensione opus fuerit, ad conciliandam Caelestini Judicio immobilem & irretractabilem auctoritatem. Quae quidem quaestio etsi ex principiis superiori Capite positis omnino pendet; attamen antequam ad alia duo propositae disputationis capita suis momentis expendenda accedamus, ad-

(*a*) Lib. de peccat. Orig. cap. XXIII.
(*b*) Lib. I. cont. Julian. cap. VI.
(*c*) Ubi sup. cap. XXIV.
(*d*) 1. Part. Conc. Ephes. cap. XXX.
(*e*) Ibid. cap. XVIII.

Digitized by Google

huc est paullo adcuratius examinanda, & argumentis, quibus Bossuetius nititur, occurrendum est.

ARTICULUS I.

Moralis omnium Episcoporum cum Caelestino unanimitas Orientalium dissensione abrupta non est: Summa proinde fuit ejus decreti, etiam ante Synodum Oecumenicam, & irreformabilis auctoritas; ac nullius momenti sunt rationes, quibus, ad Apostolicum Judicium firmandum, Bossuetius Generali Concilio opus fuisse contendit.

„ SAepe diximus, *inquit Illustrissimus Auctor*, saepe dicemus, „ ita esse Ecclesiam constitutam, ut „ ad Oecumenicam Synodum necessario, nonnisi extraordinariis casibus ac dissensionibus recurratur. Ceterum, consueto ordine ita finiri „ subortas etiam gravissimas de fide „ quaestiones, si Romano Pontifici decernenti Ecclesiae consensus accesserit.

Sit, ut libet, Ecclesiae consensus necessarius, ut Apostolicum Judicium inconcussam habeat & immobilem firmitatem: quid inde conficis, ut Caelestini decretum adhuc nutasse demonstres, quoad Oecumenicae Synodi auctoritate firmatum est? An non luculenter ostendimus, Caelestini sententiae Ecclesiae consensum neutiquam defuisse? Tunc enim Ecclesiae consensus adest, quum Romano Pontifici solemniter definienti Episcoporum pars maxima, paucis admodum ex adverso reclamantibus, adhaeret; quorum alii per litteras quod gestum sit sese adprobare significent; alii vero tacito saltem consensu idipsum ratum habere censeatur. Id autem Caelestino Nestorii caussam solemniter dirimenti, etiam ante Concilii generalis celebrationem neutiquam defuisse, monstravimus. Videamus ergo quid contra adferat Gallicanae Declarationis Illustrissimus Propugnator.

„ Plane, *inquit*, confitemur, sententiam, ita ut Cyrillus speraverat, valituram fuisse ad novam haeresim comprimendam, nisi graves „ suborti motus, resque ea visa esset, „ quae ad universalem Synodum deferretur.

Suborti motus ejusmodi fuerint oportet, ut iis *moralis* Episcoporum in Nestorii damnatione *unanimitas* disjecta sit. Nam *ad robur & firmitatem dogmaticae definitionis*, quo nimirum valeat ad quamlibet haeresim comprimendam, *sufficit moralis Episcoporum unanimitas*, *quam non impedit paucorum resistentia* [a]. Videamus ergo, cujusmodi fuerint in caussa Nestorii suborti motus. Hos sequentibus verbis Bossuetius describit.

„ Verum Nestorius Regiae „ Civitatis Episcopus ea autoritate „ pollebat, ea specie pietatis hominum animis illuserat, eos sibi conciliaverat Episcopos, ea denique „ gratia apud Theodosium Juniorem „ Imperatorem & Proceres erat, ut „ facile omnia commoveret; itaque „ opus erat Oecumenica Synodo, quod „ de re maxima, ac de Persona in„ ma-

(a) Vid. Tournely de Eccles. Quaest. III. art. V.

Digitized by Google

„ maximam dignitatem evecta agere-
„ tur . Quod multi Episcopi , in his
„ Orientales fere omnes , hoc est ,
„ Antiocheni tractus , atque ipse Pa-
„ triarcha Johannes a Cyrillo abhor-
„ rebant , & Nestorio favere videban-
„ tur : quod scissa hominum studia ,
„ totum Orientis Imperium , Cyril-
„ lum inter atque Nestorium fluctuare
„ videbantur . Haec universalem Sy-
„ nodum postulabant .

Haec quidem hac verborum & eloquentiae vi exagerata consensum facile extorquere posse videntur . Verum si paullo attentius , & dearticulatim expendantur , nullius omnino momenti sunt . *Nestorius* , inquit , *Regiae Civitatis Episcopus ea autoritate pollebat* . Equidem , ubi primum ad Episcopatum pervenit , magna fuit Nestorii apud omnes existimatio . Verum statim atque in Christum , & Beatam Virginem nefariam linguam acuere coepit , primum populo & Monachis , deinde Clericis , tandem Episcopis fere omnibus ludibrio fuit , nec nisi quorumdam Aulicorum ope favorem Principis & gratiam retinuit . Hinc illae turbae , ac totius populi & Monachorum fremitus , ubi primum in Ecclesia Constantinopolitana plaudente Nestorio auditum est : ***Mariam nemo Deiparam vocet*** ; Et : ***Si quis Mariam Deiparam dixerit , anathema sit*** . Hinc ille ejusdem populi clamor , ***Imperatorem habemus , Episcopum non habemus*** ; quod nimirum eis jam non Pastor , sed efferatus ac rabidus Lupus esset . Hinc illae ***ad evidentem Haeretici Nestorii confusionem*** publice propositae Obtestationes , quibus palam tamquam Pauli Samosateni discipulus traducebatur . Hinc denique quod nemo , praeter Aulam , conquestus est , ubi depositionis ejus ab Ephesina Synodo litterae Constantinopolim delatae sunt ; sed Cereis accensis , & Hymnorum cantu ejus est dejectio & exauctoratio ab Archimandritis & Populo celebrata : quod argumento est , eum jamdudum publico odio & invidia flagrasse : proindeque si populi Clerique vota spectentur , facile potuisse Nestorium e Constantinopolitana Sede absque Synodo Oecumenica , & solius jussu Romani Pontificis re ipsa deturbari .

Multi Episcopi , subjungit Bossuetius , ***in his Orientales fere omnes ..... a Cyrillo abhorrebant , & Nestorio favere videbantur*** . Nestorii Personae addictos fuisse Johannem Antiochenum & Orientales , hoc est , Antiocheni tractus Episcopos , creditumque illis eum haud alienos a Catholica doctrina sensus in imo pectore habuisse , haud equidem inficias iverim : perinde tamen compertum habeo , ipsos cum illius agendi rationem improbasse , tum ejus doctrinam clare ac diserte damnasse , nec de Caelestini judicio ullatenus conquestos esse , sed ut ei pareret , seseque subjiceret , Nestorio auctores fuisse . Haec constant ex Johannis Antiocheni ad Nestorium Epistola , quam *non solus* , inquit , ***dictavi , sed praesentibus multis Episcopis , videlicet Domino meo Archelao Episcopo piissimo , Apringio , Theodoreto , Heliade , Meletio , & Macario , qui per Dei gratiam Ecclesiae Laodicenae nuperrime praefectus est*** . In his porro litteris etsi Nestorium in intimis sensibus Catholicam doctrinam , & repudiata hac voce , *Deipara* , ejus adhuc notionem retinere , pro certo se habere videri velint ; attamen subortos motus ac tem-

Digitized by Google

pestates in ejus imprudentiam rejiciunt, qua vocem, veterum Patrum, & omnium Fidelium usu consecratam temere repudiabat; ejusque usum ac notionem nequaquam rejici potuisse demonstrant, quin Incarnationis Mysterium, quo juxta Scripturas Deum ex Virgine natum, subindeque & ipsam Virginem *Deiparam* nominamus, funditus evertatur. Proinde ipsum monent, rogant, obtestanturque, *ne nomen, quod a multis saepe Patribus usurpatum, scriptum, ac pronunciatum est, adjungere gravetur; neque vocabulum, quodpiam rectamque notionem animi exprimit, refutare pergat*. Haec illius Epistolae summaria capita sunt, ex quibus colligere est, Nestorium ipsos verbis haereticum, mente Catholicum judicasse; subindeque Caelestini de ipso judicium adprobasse, qui de Nestorii doctrina ex ejus verbis ac sermonibus pronunciaverat.

Denique *scissa hominum studia*, inquit Cl. Defensor, *totum Orientis Imperium Cyrillum inter atque Nestorium fluctuare videbantur. Haec universalem Synodum postulabant*. Orientalium in Cyrillum odia nequaquam ante patuerunt, quam ille suam ad Nestorium cum duodecim Anathematismis Epistolam in apertam lucem emitteret; haec vero non ante publici juris facta est, quam de Oecumenica Synodo mentionem Theodosius injecisset. Quare scissa hominum Cyrillum inter atque Nestorium studia convocandae Synodi necessitatem inferre neutiquam potuerunt. Verum esto, ejusmodi studiorum & opinionum divortia ante Oecumenicae Synodi convocationem eruperint; quis tamen ferat, iis rem verbis narrari; quibus significetur, totum Orientis Imperium ita Cyrillum inter atque Nestorium fluctuasse, ut paribus utrimque momentis quodammodo libraretur? nam & quum adversus Cyrillum ipsique adhaerentes Episcopos Johannis Antiocheni & Orientalium in eorum Pseudo-Synodo maxime odia flagrabant, eorum tamen aperta dissensione *moralis illa Unanimitas* neutiquam lacerata est, qua fit, ut quod ejusmodi Unanimitas probat, universa per orbem terrarum Ecclesia adprobare censeatur. Hinc quamvis Ephesinis decretis Johannes Antiochenus, ac triginta & amplius Episcopi palam obluctarentur; fidenter tamen Ephesini Patres pronunciabant, cum ipsis esse ac sentire Orbem terrarum, & universam Ecclesiam. Ita in Relatione ad Imperatorem per Eutychen Diaconum missa: *Pietati vestrae certo constat, judicium, quod paulo ante a nobis exiit, esse unam communemque totius terrarum orbis sententiam*. Ita etiam in alia ad eumdem Imperatorem de Orientalibus Relatione: *Perabsurdum est, ducentorum & decem Sanctorum Episcoporum Synodum, quibus & universa Occidentalium Sanctorum Episcoporum multitudo & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero se se opponere*. Ita denique in alia Relatione per Palladium Magistrianum transmissa: *Synodus omnes totius orbis Sanctissimos Episcopos unum idemque sentientes habet*. Et infra: *Sane, qui in consessu Canonicam depositionis sententiam contra Nestorium haereticum tulimus, ducenti & eo amplius numeramur, ex toto terrarum orbe collecti; totumque Occidentem nobis consentientem habentes*. Patet itaque, quod Orientalium etiam

uper-

Digitized by Google

aperta dissensione *moralis unanimitas* nequaquam sublata est; haec autem, ex ipsorum quoque Gallorum sententia, invictum auctoritatis robur Apostolicis decretis conciliat. Quum autem haec ipsa *moralis* in Nestorii damnatione *unanimitas* Synodi ut ostendimus convocationem praecesserit, inde aperte colligitur, Synodo Oecumenica opus non fuisse, ut Caelestini decretum summam & irretractabilem auctoritatem obtineret.

ARTICULUS II.

An lati adversus Nestorium Apostolici Decreti executionem Theodosius Oecumenicae Synodi indictione suspenderit: idque canonice, & ordine factum esse, cum omnes Episcopi, tum ipse Caelestinus agnoverint?

PRiorem hujusce controversiae partem eodem Capite Illustrissimus Gallicanae declarationis Defensor sequentibus verbis propugnat: ,, Accedebant Piorum atque Orthodoxorum preces: ecce enim religiosissimi Monachi pro fide orthodoxa, ac Deiparae voce a Nestorio multa perpessi Imperatori supplicabant: *ut Sacra & Oecumenica Synodus coeat; qua praesente Sanctissimam Ecclesiam uniat, populum in unum reducat, ac Sacerdotes sincerae fidei praedicatores, priusquam impia illa doctrina* (Nestorii) *latius serpat, loco suo restituat*. Et iterum: *Nos enim vos de Oecumenica Synodo cogenda rogavimus, quae aptissime posset constabilire, & erigere titubantia, sive etiam confracta*. En post Romani Pontificis judicium expetita a Piis per universalem Synodum rerum titubantium invicta & ultima firmitudo.

,, His aliisque motus Imperator, haec ad Cyrillum scripsit: *Pietatis doctrinam in Sacra Synodo discuti & examinari volumus, & ratum esse, quod rectae fidei consonum videbitur: sive illi, qui victi discedent, veniam impetraturi sint a Patribus, sive non*.

,, Hic tria videmus: primum illud, post S. Caelestini judicium, aliud adhuc requiri, Synodale scilicet. Alterum, haec duo in Patrum potestate futura, ut de doctrina, deque Personis judicent. Tertium, ratum id futurum, neque amplius retractandum, quod Synodus judicavit.

Synodum Oecumenicam ad restituendam Ecclesiae pacem Basilium Archimandritam, aliosque Orthodoxos & Religiosissimos Monachos petiisse, non inficiamur: sed, quod eorum pro Generali Concilio supplicatio exhibita fuerit post delatam Constantinopolim adversus Nestorium Caelestini sententiam, id vero est, quod rotundis verbis negamus: ac praeter illud generale argumentum, quod *Sacra* ipsa Imperatoris pro Concilii convocatione, Caelestini sententiae Constantinopoli factam promulgationem, uti deinceps ostendemus, praecessit; aliud magis speciale & intrinsecum nobis suppetunt ejusdem supplicationis verba, quibus ejus auctores demonstrant, Nestorianam haeresim Patrum jampridem traditione confossam ac praedamnatam: aliis enim antiquioribus Patribus, quos nominatim appellant, *Cyrillum* quoque *Alexandriae Episcopum* addunt, *qui*, ut ajunt, *etiamnum superstes, nostrae* pie-

Digitized by Google

pietatis legem observat : qui profecto Caeleſtinum neutiquam omiſiſſent , ſi ſolennem ejus adverſus Neſtorium ſententiam accepiſſent ; imo ipſum eo libentius laudaſſent , quanto Romani Pontificis , quam Alexandrini Epiſcopi erat gravior auctoritas . Ex eorum itaque ſupplicatione confici nullo modo poteſt , quod *poſt Romani Pontificis judicium expetita* fuerit *a Piis per univerſalem Synodum rerum titubantium invicta & ultima firmitudo* .

Simili obſervatione , qua res quaeque ſuis temporibus reſtituantur , ea etiam evertuntur , quae ex Imperatoris verbis colligit Boſſuetius ; quod nimirum poſt Caeleſtini judicium aliud fuerit indictum , Synodale ſcilicet , ad retractandam Pontificis de doctrina ac de Perſonis ſententiam , quae tum demum rata haberi debuerit , quum ad eam acceſſiſſet Oecumenicae Synodi eam confirmantis auctoritas : Haec, inquam , nullius omnino momenti eſſe monſtranrur , ſi Sacra Imperatoris , unde haec colligit Boſſuetius , ante data fuerit , quam Caeleſtini de Neſtorio ſententia Conſtantinopoli promulgaretur . Porro ita ſe ſe rem habuiſſe , mox demonſtrabimus .

Reſcripſerat Imperator , *ut ante Sanctiſſimam coactam Synodum communemque ſententiam nihil quidquam a quoquam , in ulla prorſus re , privatim innovetur* . Paruit Cyrillus , & nihil ultra egit , Pontificii licet decreti executor a Caeleſtino dictus . Inde conficit Boſſuetius , Apoſtolici Decreti executionem fuiſſe Principis auctoritate ſuſpenſam . „ Recte , *inquit* , & ordi„ ne : id enim univerſalis Synodi ma„ jeſtas poſtulabat . Quare & Cyrillus „ paruit , & Epiſcopi quievere : Fi„ xumque id , dicta licet ac promul„ gata Romani Pontificis ſententia de „ fide , ac Perſonis violatae fidei cau„ ſa judicatis , omnia in ſuſpenſo eſſe, „ poſtquam univerſalis Synodi exſpe„ ctatur auctoritas . Id ab Impera„ tore actum &c. Eademque Petri de Marca ſententia fuit lib. IV. de Concord. Sac. & Imp. cap. IV. & Baluzii tum in not. ad hunc locum Petri de Marca , tum in Nova Concilior. Collect. ad Concil. Rom. an. 431. *Itaque executio ſententiae* , inquit Petrus de Marca , *a Synodis Romana & Alexandrina adverſus Neſtorium decretae ſuſpenſa fuit a Principe , ne praejudicium aliquod fieret cognitioni futurae Synodi Oecumenicae.* Et Baluzius ad Concilium Romanum Caeleſtini , in quo adverſus Neſtorium dicta ſententia eſt : *Hujus* , inquit , *ſententiae executionem ſuſpendit auctoritate ſua Theodoſius Imperator , jubens per literas ad omnes Metropolitanos ſcriptas XIII. Kal. Decemb. ut & ipſi ad Epheſinam Urbem convenirent , &c.*

Hanc Illuſtriſſimi de Marca opinionem , quod ad factum pertinet , ad examen revocat vir eruditiſſimus Johannes Garnerius 2. Par. Operum Marii Mercatoris *in Appendice ad Notas* in Epiſtolam Neſtorii ad Caeleſtinum , ſeu *Diſſertatiuncula de Illuſtriſſimi Marcae ſententia , qua putat , ſuſpenſam a Theodoſio Sedis Apoſtolicae in Neſtorium ſententiam &c.* „ Opinatur , *in„ quit Garnerius* , eruditiſſimus Prae„ ſul , Neſtorio prius ſignificatam fuiſ„ ſe utriuſque Synodi (*Romanae & „ Alexandrinae*) ſententiam , quam „ vel quereretur apud Imperatorem , „ vel Concilium ipſius rogatu indice„ retur , niſi enim in ea mente ſit , „ non

„ non video, quomodo ex isto facto id
„ concluderet, propter quod maxi-
„ me laborat: *Principes nempe ali-*
„ *quando, Synodo indicta ad contro-*
„ *versias dirimendas, prioris senten-*
„ *tiae in judicio Ecclesiastico latae exe-*
„ *cutionem suspendisse, &c.*

„ Verum, *subjungit laudatus Gar-*
„ *nerius*, opinioni, qua Vir doctissi-
„ mus ratiocinium suum niti voluit,
„ repugnat partim ipsamet Sacra Im-
„ peratoris Theodosii, partim Mer-
„ catoris auctoritas, partim ipse Ne-
„ storius. Sacra enim consignatur XIII.
„ Kal. Decemb. & Mercator scribit,
„ Synodorum literas Nestorio redditas
„ VII. Idus Decembris: Nestorius
„ autem cum Summo Pontifici scribe-
„ ret post indictionem Concilii, scri-
„ psit tamen perinde ac si nihil de
„ sententia Sedis Apostolicae resci-
„ visset. Igitur neque Nestorius ap-
„ pellavit Imperatorem postquam le-
„ gitime novit a Synodis se damnatum
„ neque denuntiatam Sedis Apostoli-
„ cae sententiam Theodosius edicto
„ suspendit. Nemo enim, credo,
„ vel a sententia Judicis, nondum le-
„ gitime denuntiata jure appellat, nec
„ appellationem tueri potest, nisi post-
„ quam exhibita est sententia, cujus
„ querelam movet.

„ Nestorius fateor, cogi Synodum
„ postulavit privatis precibus ab aman-
„ te Theodosio; non postulavit, ex
„ praescripto juris, ab Imperatore
„ judicium exercente: quare senten-
„ tia Sedis Apostolicae, cum denun-
„ tiata non fuerit nisi post indictam Sy-
„ nodum, praeventa potius videri de-
„ bet, quam edicto suspensa, si mo-
„ do proprie loqui oporteat.

Hanc Garnerii disputationem confu-tare adgressus est Baluzius ad Caput quartum libri quarti de Concordia Sacerd. & Imp. ubi contendit, *verissimam* esse Illustrissimi Archiepiscopi de suspensione sententiae a Synodis Romana & Alexandrina latae adversus Nestorium observationem, frustraque eam cum ab Antonio Charlas, & a Christiano Lupo, tum a Garnerio impetitam. Verum, etsi multis verbis rem agit, quo tamen pacto Marcae Observationem propugnet, & ab objectis Vri Cl. vindicet, ostendatque, *nihil ea officere opinioni Illustrissimi Archiepiscopi*, aut quae sit sequentium verborum vis, ego equidem non intelligo: „ Tametsi, *inquit*, facile con-
„ cedam, id quod verum est, Sacram
„ Theodosii pro convocatione Concilii
„ Ephesini datam esse XIII. Kal. De-
„ cembris; quamvis concederem, id
„ quod falsum est, Synodorum Ro-
„ manae & Alexandrinae litteras Ne-
„ storio redditas fuisse VII. Idus De-
„ cembris: rursum concederem, id
„ quod verum est, Nestorium Caele-
„ stino scribentem perinde scripsisse,
„ ac si nihil de sententia Sedis Aposto-
„ licae adversum se lata rescivisset;
„ ista tamen omnia non impediunt,
„ quin verum sit id, quod Marca scrip-
„ sit de suspensione sententiae ab Im-
„ peratore decreta. Id certe mirum
videri debet. Quo enim pacto decernere potuit Imperator suspensionem sententiae, quae nondum fuerat promulgata? Quod mox subjungit Baluzius, sententiam Garnerii potius confirmat, & Illustrissimi Archiepiscopi opinionem magis labefactat. Observat enim „ Sacram Theodosii datam
„ esse, ut pax Ecclesiarum, quae tur-
„ bata erat, revocaretur, nullamque
„ in

Digitized by Google

„ in eadem Sacra factam esse mentio-„ nem Nestorii, neque etiam in Epi-„ stola ejusdem Imperatoris ad Cyril-„ lum, quamvis illum graviter incre-„ pet propter turbas, quas ipsum ait „ excitasse. At si nulla in Imperatoris literis mentio Nestorii facta est, inde luculentius ac splendidius elucet, non instituisse iis literis Theodosium, sententiam adversus Nestorium in Romana & Alexandrina Synodis latam suspendere: ejus enim utique meminisset ac sententiae in ipsum productae, si jam illam acceperat, ejusque executionem inhibere instituerat.

Ejusdem commatis est, quod deinde Baluzius observat, ut aliud Garnerii argumentum evertat, petitum ex die, quo Nestorius accepit literas Synodorum, quae apud Romam & Alexandriam habitae fuerant. Summa vero difficultatis huc recidit, quod Garnerius literas Nestorio traditas fuisse judicat VII. Idus Decembris; ipse autem traditas credit, pridie Kal. Decemb. At quum Sacram Imperatoris datam fuisse XIII. Kal. Decemb. negare ullatenus valeat, hoc aliquot dierum discrimen vim Garneriani argumenti labefactare non potest, quae in eo posita est, quod Sacram Imperator dederit, antequam Nestorio Synodorum literae redderentur; quod perinde verum est, sive illas Nestorius VII. Idus Decemb., ut vult Garnerius, sive pridie Kal. Decemb. ut vult Baluzius, acceperit: convenit enim ipsi cum Garnerio, quod XIII. Kal. Decemb. Sacram Imperator emiserit. Itaque, quod factum attinet, constat, Apostolici Decreti executionem Theodosium Edicto, de quo nunc agimus, suspendere neutiquam potuisse.

Porro quum factum negemus, non est ut de jure admodum disceptemus, aut solliciti simus. Si enim Apostolicae sententiae executio, quae nondum fuerat legitime promulgata, non potuit Theodosii sacra, vel edicto suspendi; frustra omnino est Bossuetius, quum probare contendit, id canonice & ordine & jure factum, tum Caelestinum & Cyrillum, tum Ephesinam Synodum agnovisse. Qui tamen factum recipiunt, de jure disceptant, & in varias opiniones abeunt. Antonius Charlas lib. V. de Libertatibus Eccl.Gallic. cap. VI. docet, quod *quam habuit vim dilatio executionis sententiae a Conciliis Romano & Alexandrino contra Nestorium prolatae, ea non Imperatoris edicto, sed Summi Pontificis indulgentiae adscribenda est*. Et infra: *Quomodo potuit Catholicus Auctor in animum inducere, excommunicationis & depositionis vim & effectum Edicto Imperiali suspendi? Haec propositio, si de jure ac de conscientia intelligatur, haeresis labe non carebit. Quamobrem de facto interpretari eam malumus; ut scilicet Principes pro ea qua pollebant potentia, impedirent, aut remorarentur nonunquam Judiciorum Ecclesiasticorum executionem: quod ab eis legitime tunc tantum fiebat, quum praeeuntem ac rogantem Ecclesiam sequebantur*.

Christianus Lupus Dissert. de Conc. Ephes. cap. 3. fatetur, Nestorio, *appellanti datum fuisse effectum suspensivum, nequaquam per Canones, sed ob violentos affectus circumscripti Theodosii Augusti*: ac subinde monet, quod *sacras jussiones Canonibus adversas, semper sprevit, atque exsufflavit Ecclesia, attamen cum moderamine, ex quo S. Gregorius Magnus scribit ad Anatolium*

Digitized by Google

lium Diaconum Ecclesiae Constantinopolitanae lib. 9. Epist. 41. „ Quod piissimus Imperator fecerit, si Canonicum est, sequimur; si vero Canonicum non est, inquantum sine peccato nostro valemus, portamus.

Petrus de Marca, quod profecto valde notandum est, in Resp. ad Not. Holstenii inter Prolegomena, agnoscit primo loco ac fatetur; *factum Theodosii vix sustineri posse*. Subjungit tamen; *suspensionem illam tribuendam, non Regiae auctoritati, sed juri ipsi, quo decernitur, appellatione vel restitutione in integrum pendente, nihil innovandum. Nestorium conquestum, quod inauditus damnaretur, Synodum generalem petivisse, quae concessa fuit a Theodosio. Nolui autem ad locum illum communem confugere, de vi Principum, & Ecclesiae servitute. Excipiunt enim, Rescriptum illud Principis a Synodo Ephesina probatum, & actis insertum. Quare non levem operam mihi navasse videor in detegenda, ex ipsis Caelestini verbis, Concilii a Nestorio facta petitione, quae omnes Scriptores hucusque fugerat. Unde retusus est mucro argumenti, quod adversus jurisdictionem Pontificiam ex suspensione a Theodosio indicata parabatur*. Verum si ad Pontificiam jurisdictionem tuendam, eo veniendum est, ut suspensio executionis Apostolici decreti, non Regiae auctoritati, sed juri ipsi tribuatur; an non id melius obtinebimus, si negemus, de Apostolica sententia Principem cogitasse, aut latum esse Decretum ad illius impediendam executionem? Tunc enim longe evidentius patebit, quod si Apostolica sententia ad effectum perducta re ipsa non est, id non Regiae auctoritati tribuendum esse; sed vel juri ipsi, vel aliis caussis seu rationibus adscribendum.

Baluzius, uti superius animadvertimus, in nova Conciliorum Collectione rotundis verbis adfirmat, Apostolicae sententiae executionem Theodosium Imperatorem *auctoritate sua* suspendisse.

Bossuetius Capite sequenti Marcae opinionem amplectitur, iisdemque momentis nititur. Qua de re jam nobis cum ipso disceptandum est.

CAPUT XI.

„ Acta Synodi Ephesinae recensentur. „ Ejus Act. I. Probat Synodus, „ omnia, quae a Caelestino decreta essent, in suspenso manere usque ad Synodi sententiam: Quae „ de fide gesta sunt, referuntur, „ ostenditurque, prolatum a Papa „ judicium ad examen legitimum „ fuisse revocatum.

DE primo hujusce Capitis argumento doctissimus Praesul verbis sequentibus disserit: „ Primum lectae „ Imperatoris litterae, quas memoravimus, nempe ut Oecumenica Synodus haberetur, utque omnia interim in suspenso essent: lectae, inquam, hae litterae, atque in gesta relatae, probatumque a Patribus, „ omnia circa Nestorium a Caelestino „ decreta, suspensa fuisse, donec sacra Synodus ferret sententiam.

„ Quaeres, an Synodus tantum Imperatori licere voluerit, ut Sedis Apostolicae sententiam ad effectum deduci interim prohiberet. „ Non ita ex gestis: sed potius interposita Synodi generalis auctoritate, „ cujus quidem convocatio pro eorum

„ temporum disciplina, Imperatori „ permitteretur; ipsa Synodus intel- „ lexit, omnia ipso jure in suspenso „ esse, atque a Synodi pendere sen- „ tentia. Quare Pontificio decreto pro- „ mulgato ac denunciato, decemque „ illis diebus jamdiu evolutis, Nesto- „ rius ab ipsa Synodo pro Episcopo est „ habitus, & religiosissimi Episcopi „ nomine appellatus, & eo quoque „ nomine ter vocatus & citatus ut in „ Sacra Synodo cum aliis Episcopis „ consederet.

Haec eadem sunt locis superius citatis, Petri de Marca pro hac opinione argumenta, quibus ut occurramus, & implexam quaestionem aliqua luce donemus, sequentem controversiam excitamus,

ARTICULUS PRIMUS.

Quo jure, quave ratione Caelestini adversus Nestorium sententia, ante Synodum Ephesinam, ad effectum perducta re ipsa non fuerit.

NUllo id jure factum esse, sed partim Principis potentia & arbitrio, partim Ecclesiae & Caelestini indulgentia, Antonius Charlas, ut superius dictum est, & Christianus Lupus contendunt: quam eorum opinionem ego verissimam esse judico, & solidis conjecturis confirmari posse non dubito.

Quum Episcopi ex Alexandrina Synodo a Cyrillo ad Nestorium missi, ut ei Sedis Apostolicae sententiam intimarent, Constantinopolim pervenerunt; jam Sacra Imperatoris emissa fuerat de Generali Synodo habenda, atque *ut ante sanctissimam coactam Synodum, communemque sententiam, nihil quidquam a quoquam, in ulla prorsus re, privatim innovaretur*; illi tamen quod in mandatis habebant, re ipsa perfecerunt; & Dominica die cum Synaxis ageretur, spectante Clero, & Nobilibus Civitatis adstantibus, Synodicas Nestorio Caelestini & Cyrilli litteras obtulerunt. Haec constant ex Actione prima Concilii Ephesini, unde huc transcribere quae ad hanc rem pertinent, operae pretium erit: *Petrus Presbyter Alexandriae, & Primicerius Notariorum, dixit*: „ Non ea „ solum, quae Caelestinus sanctissimus „ sacratissimusque Romanae Eccle- „ siae Episcopus ad Rmum Nestorium „ scripserat, missa & reddita sunt ei- „ dem; verum ea etiam quae sanctis- „ simus piissimusque Alexandrinae „ Ecclesiae Episcopus Cyrillus, & u- „ niversa Aegypti Synodus per Theo- „ pemptum, & Danielem, & Pota- „ monem & Comarium religiosissi- „ mos Episcopos ad eumdem destina- „ verant. Quapropter rogo, ut Theo- „ pemptus & Daniël religiosissimi Epis- „ copi hic praesentes ea de re interro- „ gentur. *Flavianus Philippensium Episcopus dixit*: „ Theopemptus & „ Daniël religiosissimi Comministri „ nostri, qui praesentes adsunt, ex- „ ponant, an ejusmodi Epistolas red- „ diderint. *Theopemptus Cabasorum Episcopus dixit*: „ Die Dominico, „ cum Synaxis ageretur, ad Episco- „ pale Palatium ascendimus, ibidem- „ que toto praesente Clero, cunctis- „ que fere Illustribus adstantibus, lit- „ teras, de quibus hic sermo est, Ne- „ storio tradidimus. *Similiter & Daniel Darnensium Episcopus eadem confirmavit. Flavianus Philippensium*

Digitized by Google

Episcopus dixit: „ Fuit ne ergo litteris ab eo satisfactum? *Daniel Darnensium Episcopus dixit*: „ Tunc nobis respondit, ut postero die veniremus, & privatim illum conveniremus. Porro nobis redeuntibus aditum interclusit, & responsum nobis dare non est dignatus. *Theopemptus Cabasorum Episcopus dixit*: „ Litteris, de quibus proxime dictum est, acceptis, constituit nobis, ut sequenti die sermonem cum eo haberemus. Abivimus ergo: at postero die reversos non admisit, neque etiam satisfecit litteris; sed publice pro concione eadem, quae ante, & his quoque deteriora dogmata proposuit. Neque vero solum ante redditas litteras haec docebat, sed multo pejora, postquam accepit, docuit, & usque hodie docere non desinit.

Si quatuor Episcopi Alexandria Constantinopolim missi, si Clerus Constantinopolitanus & Illustres Civitatis, si Nestorius ipse, si Theodosius Imperator, denique si Patres Ephesini sciebant, indicta Synodo *omnia ipso jure in suspenso esse*, ipsumque Pontificium Decretum *a Synodi pendere sententia*; cur Episcopi Synodi Alexandrinae Legati litteras tradiderunt, quibus Apostolicae Sedis adversus Nestorium excommunicationis & depositionis sententia continebatur? Cur nemo Clericorum & Illustrium conquestus est, quod Imperatoris Edictum violabatur, ne quidquam a quoquam ante sanctissimam coactam Synodum, communemque sententiam innovaretur? Cur ipse Nestorius non sese hoc jure tuitus est, neque Apostolico decreto indictae Synodi auctoritatem objecit? Cur Theodosius Imperator in Episcopos legatos tamquam in refractarios, & publicae quietis perturbatores nequaquam animadvertit? Denique cur Patres Ephesini crimini Nestorio verterunt, quod Caelestini litteris minime satisfecerit; quum semel indicta Synodo si omnia ipso jure in suspenso esse debebant, & a Synodi sententia pendere, huic tantum doctrinae suae rationem eodem jure Nestorius reddere tenebatur?

S. Cyrillus, ut ex Caelestini ad ipsum Epistola habemus (a), hanc eidem S. Caelestino quaestionem post indictam Ephesinam Synodum proposuerat: *Quaeris, utrum Sancta Synodus recipere debeat hominem a se praedicata damnantem: an, quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret*. Quaerebat ergo Cyrillus, an celebranda Synodus Nestorium tamquam Episcopum in suum recipere confessum deberet? Futilis quaestio, si semel indicta Synodo, omnia ipso jure esse in suspenso debebant, & a Synodi pendere sententia. An adeo hebes erat Cyrillus, ut non intelligeret, fuisse Nestorium ab ipsa Synodo exauctorandum, si reus repertus fuisset; proindeque ante judicium fuisse tamquam Episcopum suscipiendum? Verum quaestione ipsa longe futilior quaerendi ratio: *quoniam*, inquit, *induciarum tempus emensum est*. Si semel indicta Synodo, omnia ipso jure suspensa erant, erantque ad judicium Synodi referenda; frustra quaerit Cyrillus, an esset Nestorius tamquam Episcopus habendus, propterea quod decem dierum in-

(a) Act. II. Conc. Ephes.

intervallum, quod Neſtorio ad ejuranda nefaria dogmata Caeleſtinus indulſerat, jam effluxiſſet. Quis enim non intelligat, quis non videat, ſententiam dudum latam, juxta hanc hypotheſim, non ante vim ſuam exerere potuiſſe, quam a Synodo retractaretur, & retractata probaretur?

Sed videamus quid Caeleſtinus reſponderit. An illud forſitan, quod primum tamen reſpondere debuiſſet, ſi vera eſſet Adverſariorum hypotheſis, omnia nimirum in ſuſpenſo eſſe, & ex Synodi voluntate pendere? non ſic Caeleſtinus propoſitae quaeſtioni ſatiſfecit, ſed ita reſpondit, perinde ac res in ejus adhuc poteſtate unice poſita eſſet, & ex ſolo ejus nutu ac voluntate penderet: *ſuper hac utique conſultatione communi communem Dominum conſulamus: nonne nobis reſpondet illico per Prophetam, mortem ſe nolle morientis: & per Apoſtolum Paulum, omnem hominem velle ſalvum fieri, & venire ad ſcientiam veritatis? nunquam diſplicet Deo accelerata in quocumque correctio.* Et infra: *Studeo quieti Catholicae, ſtudeo pereuntis ſaluti; ſi tamen voluerit aegritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti ſe corrigere forſitan deeſſe videamur. Nam etſi & nobis ſuſtinentibus uvam ſpinas ſibi addiderit; impleatur, manentibus ſtatutis prioribus, ſui fructu judicii; colligat, quod ſulco diabolico ſeminavit, non noſtro conſilio, ſed ſe periturus auctore. Probet, vos veloces pedes ad effundendum ſanguinem non habere, quando ſibi etiam remedium cognoſcat oblatum.* Non poterat Caeleſtinus apertius ſignificare, in ſuo tantum arbitrio ac voluntate poſitum eſſe, ut Neſtorius vel tamquam jampridem exauctoratus, vel adhuc tamquam Epiſcopus haberetur; neque juri, ſed Apoſtolicae indulgentiae ac longanimitati debere Neſtorium, quod adhuc in Epiſcopali throno permittebatur. Suſtinebat illum Caeleſtinus, non ideo quod auctoritate ac poteſtate carebat ad illum e ſede ſua dejiciendum, ſed ne veloces pedes ad effundendum ſanguinem habere videretur; atque ut Reus, antequam ut omnino deſperatus prorſus abjiceretur, oblata ad ſe corrigendum indictae jam Synodi opportunitate uti ſineretur.

Confirmari haec poſſunt ex iis, quae Apoſtolicae Sedis Legati in ſuis adverſus Neſtorium depoſitionis ſententiis, ſeu decretis animadvertunt. Nam & Sedis Apoſtolicae patientiam, & benignitatem commendant, qua Neſtorium ſuſtinuerat, ut indicta Synodo tamquam ſpirituali remedio, uteretur; & ipſi Neſtorio crimini dant, quod Caeleſtini pietatem & longanimitatem contemſerat, & conſtitutum ſibi ab Eccleſia Romana terminum, quemadmodum, & alia plura temporum intervalla, fluere ſine ſui correctione permiſerat. Ita Philippus Presbyter, & Apoſtolicae Sedis Legatus: (*a*) *Neſtorius itaque novae perverſitatis auctor, atque malorum caput..... judicio ſe ſiſtere contemſit; quum tamen, ut ſpiritali remedio ſanitatem reciperet, tanto ſancto coetui ultro ſeſe offerre debuiſſet..... neque terminum tantum ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum, ſed alia praeterea temporum intervalla fluere permiſit.* Ita & Arcadius Epiſcopus Legatorum alius: *Neſtorius..... non at-*

(*a*) Act. II, Synod. Epheſ.

Digitized by Google

attendens oblatam sibi correctionis occasionem, Apostolicae Sedis praeceptum contemsit, & omnium Sanctorum Sacerdotum admonitionem & adhortationem, qua sanitatem recuperare poterat, respuit. Ita demum & Projectus Episcopus & Legatus: *Constat, Nestorium tamquam ingratum (posteaquam tantam Sancti Papae Caelestini, Sanctae & Apostolicae Sedis Urbis Romae Episcopi, nec non praesentium Reverendissimorum Patrum & Fratrum Domini Episcoporum, tolerantiam & clementiam erga se expertus est,) apostasiam & blasphemiam ad suum interitum consectatum*. Quae consona sunt iis, quae ad Cyrilli interrogationem S. Caelestinus respondit, quaeque superius descripsimus, & ex quibus evidenter elucet, non aliquo jure, sed mera Sedis Apostolicae indulgentia factum esse, ne interim sententia in Nestorium lata ad effectum perduceretur, ipseque adhuc tamquam Episcopus haberetur. Verum & id longe luculentius patebit ex iis, quae ad Caput XIII. observaturi sumus.

Quum igitur Caelestinus Nestorium pro Episcopo adhuc haberi permitteret; proindeque ut sententia in Romana Synodo in eum prolata suspenderetur; utque, juxta Theodosii placitum, nihil interim innovaretur, consentiret; nil mirum, si adhuc, decreto Pontificio promulgato ac denunciato, decemque illis diebus jam diu evolutis, Nestorius ab ipsa Synodo pro Episcopo est habitus & religiosissimi Episcopi nomine appellatus, & eo quoque nomine ter vocatus & citatus, ut in Sacra Synodo cum aliis Episcopis consederet. Nil etiam mirum, si Sacra Imperatoris, qua hoc ipsum decernebatur, probata, & in Acta relata est. Id enim fieri potuit absque Sedis Apostolicae iniuria, quum jam constaret, Caelestinum huic decreto neutiquam repugnare.

ARTICULUS II.

Esse aliquam rerum a Summo Pontifice definitarum discussionem, quae cum ineluctabili ipsius in fidei dogmatibus definiendis auctoritate conciliari optime potest: ejusmodi autem esse, quam Ephesini Patres adhibuerunt.

Irretractabilem & irreformabilem non esse Romani Pontificis in fidei controversiis dirimendis auctoritatem, inde se jure colligere Bossuetius existimat, quod in Ephesino Concilio „ Epistola Cyrilli primo deducta est ad „ Synodi judicium: Illa, inquam, „ de fide ad Nestorium Epistola, a „ Papa Caelestino tam expresse proba- „ ta, de qua id edixerat ad Cyril- „ lum; *Omnia quaecumque sentimus* „ *ac tenemus, te itidem sentire ac te-* „ *nere perspicimus*; quam decreto in „ Nestorium per omnes Ecclesias pro- „ mulgato comprobaverat, atque ad- „ versus Nestorium *Canonicae monitio-* „ *nis* instar haberi voluerit; de illa, „ inquam, Epistola quaesitum, Cy- „ rillo auctore ac praeeunte in haec „ verba: *Persuasum habeo nihil me* „ *ab Orthodoxa fide, aut Symbolo* „ *Nicaeno discessisse: quare vestram* „ *Sanctitatem rogo, ut coram expo-* „ *nat; recte ne & inculpate, San-* „ *ctoque illi Concilio convenienter haec* „ *scripserim, an secus*.

„ Et erunt, qui dicant, quaestio- „ nes de fide semel a Romano Pontifi- „ ce autoritate Apostolica judicatas, „ in Synodis generalibus examinari, „ ad

„ ad dictorum intelligentiam, non ad „ rei, quasi adhuc in quaestione positae definitionem. Audiant Cyrillum Synodi Principem: quid Synodo quaerendum proponat, attendant; & quidem nullius errati sibi conscius; nè tamen sibi crederet, Synodi sententiam rogabat in haec verba: *Recte & inculpate, an secus scripserit*, Haec Cyrillus Synodi princeps proponit in medium.

Non omnem de fidei rebus inquisitionem, & collationem ex animo adhuc fluctuante, nec ad unam partem penitus adhaerente proficisci, adeo perspicuum est, ut satis mirari non possim, quod Illustrissimus & eruditissimus Praesul rem omnibus exploratam, quam ignorare non potuit, dissimulare voluerit. Instituitur aliquando de rebus fidei collatio & inquisitio, non ut aliquid, quod adhuc lateat, certum fixumque eruamus, sed ut illud majori luce donetur; utque firmis etiam rationibus teneamus, quod sola auctoritate tenemus; vel etiam non ut ipsi nos in veritate firmemus, sed ut aliis consulamus, & qui ad amplectendam de aliquo fidei dogmate Apostolicam definitionem, Pontificiae auctoritatis pondere non satis inclinantur, eo saltem illos perspicuis ex sacrarum litterarum, aut Patrum, aut Conciliorum oraculis ductis argumentis compellamus. Hujusce rei, ut etiam superius ostendimus, illustre habemus documentum in celebri illo Apostolorum Hierosolymitano Concilio, quod aliorum, atque imprimis Ephesini, ut ad Caput XIV. observabimus, forma exstitit & exemplar. Quum enim Petrus certam de re, quae in quaestionem vocabatur, sententiam pronunciasset, eam deinde Jacobus ad Scripturarum amussim, & Prophetarum oracula exegit; non equidem quod Petri definitionem haud satis suo pondere firmam & immobilem judicaret; sed ut quos Petri auctoritas non moveret, in eamdem sententiam veterum Scripturarum auctoritate pertraheret. Ita & Paulus in eodem Concilio tum privatim cum Apostolis, tum in publico omnium coetu suum contulit Evangelium, quod ut ipse ait in Epistola ad Galatas cap. I. *non ab homine* acceperat, neque didicerat, *sed per revelationem Jesu Christi*; contulit, inquam, cum illis in eadem Hierosolymitana Synodo Evangelium, de quo ipse profecto neutiquam dubitabat, sed ut omnem aliis scrupulum & anxietatem evelleret. Sed ipsum Apostolum hac de re disserentem audiamus: *Deinde*, inquit cit. loc. cap. II. *post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam*. Loqui Apostolum de Hierosolymitana ad Concilium de Legalibus profectione, communis Interpretum opinio est: *Ascendi autem secundum revelationem*. „ Apostolus [inquit in „ hunc locum Cl. Estius] ut factis suis „ auctoritatem conciliet, specialem „ urget revelationem, qua jussus fuerat ob controversiam tunc excitatam „ petere Jerosolymam. *Et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse*. „ Sensus est, „ ait idem Estius, contuli cum Fratribus, qui erant Hierosolymis Evangelium meum, idque palam & publice; seorsim autem ac privatim „ illud contuli cum primariis Apostolis. *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem*. „ Sensus est, ut idem exponit doctissimus interpres, E-

„ vange-

Digitized by Google

„ vangelium meum cum illis contuli, „ non ut discerem quod prius nesciebam „ aut quasi caussae meae parum fide- „ rem : se ne sine fructu praedicarem „ Evangelium , aut hactenus praedi- „ cassem , dum scilicet a falsis Fratri- „ bus passim traducor apud eos, qui- „ bus hactenus praedicavi , & quibus „ adhuc praedico , tamquam diver- „ sam & dissonantem a ceteris Aposto- „ lis doctrinam evulgans . Haec doctissimus Paulinarum Epistolarum interpres Guillelmus Estius .

Porro his gemina sunt, quae gravissimus Theologorum Canus observat (a): „ Quum in Concilio Hierosolymitano „ Petrus sententiam dixisset nullo Sa- „ crarum literarum testimonio fulcitam „ Jacobus probavit eam quidem , ad- „ ditis testimoniis Prophetarum . *Et* „ *infra* : Quamobrem Beda libro Re- „ tract. in Actus Apostolorum pruden- „ ter sane monuit , Paulum contulisse „ cum Apostolis aliis Evangelium , „ quod praedicabat in Gentibus, soler- „ ter in Concilio disquirens, an recte „ de Legalium cessatione doceret . „ Non quod ipse de hac re, inquit, „ aliquid dubitaret, sed ut mentes du- „ bitantium Apostolica Synodi aucto- „ ritate firmarentur .

Ergo quemadmodum Petrus certam de legalium cessatione sententiam tulit, & Pauli Evangelium a Legis onere liberum adprobavit, quorumdam autem de Haeresi Phariseorum contrarium errorem reprobavit : ita idem Petrus Caelestini ore Cyrilli Epistolam commendavit; contrariam autem Nestorii impiam & sacrilegam declaravit. Rursus, quemadmodum Jacobus Petri sententiam , subindeque & probatum Petro Pauli Evangelium ad veterum scripturarum , quas illi refractarii admittebant, oracula exegit : ita Ephesini Patres probatam Petro Caelestini ore Cyrilli Epistolam , & ab eo improbatam Nestorii , ad Nicaenum Symbolum , quod Nestorii Simmystae neutiquam repudiabant , exegerunt . Quidni ergo & quemadmodum Jacobus nihil de Petri sententia , & Pauli Evangelio dubitans , ea Scripturarum oracula protulit ; ita Ephesini Patres etsi prolatam Caelestini ore sententiam , & Cyrilli ac Nestorii litteras ad Nicaenum Symbolum expenderint , nihil tamen de Sedis Apostolicae oraculo dubitarint ? Praeterea quemadmodum Cyrillus ab Ephesinis Patribus quaerit , *ut coram exponant* , *rectene & inculpate* , *Sanctoque illi Concilio convenienter scripserit* , *an secus* : Ita & Paulus , ut modo ex Beda & Cano probavimus, *erat solerter in Concilio disquirens* , *recte ne de Legalium cessatione doceret* , an secus . Quidni ergo quemadmodum Paulus Evangelium cum Apostolis contulit, *non quod ipse* , ut ait Beda, *de hac re aliquid dubitaret* , *sed ut mentes dubitantium Apostolica Synodi auctoritate firmarentur*, vel ut Estius observat, *non quasi caussae suae parum fideret* , sed ut falsorum Fratrum audaciam & criminationes compesceret : ita & Cyrillus suas & Nestorii literas ad Synodi judicium detulerit , non quasi caussae suae parum fideret , & veritatem , de qua adhuc haereret , adsequeretur : sed ut objectam sibi a Nestorio ejusque Simmystis Arii & Apollinaris haereseos notam dilueret , & mentes de ipsius ortho-

(a) Lib. V. de loc. cap. ult.

orthodoxia dubitantium Oecumenicae Synodi auctoritate firmarentur?

Itaque in Ephesino Concilio ita rem transigi potuisse, Hierosolymitanae Apostolorum Synodi exemplo apertissime, ni fallor, demonstratur. Porro an negotium ita reapse processerit, ex Actis colligendum est. Juvenale Hierosolymorum Episcopo auctore primo loco Nicaenum recitari Symbolum decretum est, *ut sententiis ad fidei doctrinam spectantibus cum ea Expositione collatis, consentientes quidem*, inquit laudatus Juvenalis *confirmentur, dissentientes autem rejiciantur*. Recitato Symbolo, Cyrilli ad Nestorium Epistola lecta est, olim Romam ad Caelestinum per Possidonium Diaconum missa: & quaerente Cyrillo, num Symbolo Nicaeno consona Patribus videretur, omnium suffragio tamquam cum eo Symbolo ad amussim consentiens comprobata est. Ventum deinde est ad Nestorii litterarum lectionem, quarum initium est, *Admirabilium litterarum tuarum contumelias*; iisque recitatis, rursus quaerente Cyrillo. *Quid videtur Sanctae huic & magnae Synodo de Epistola modo recitata? Numquid haec ipsa quoque fidei a Sancta Nicaenorum Patrum Synodo expositae consentanea esse videtur, an vero secus?* tamquam Nicaenae fidei manifeste repugnans, omnium conspiratione damnata est: & postquam singuli suam in illam sententiam protulerunt; *omnes Episcopi simul exclamaverunt: Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit. Hunc recta fides anathematizat: hunc Sancta Synodus anathematizat. Quicumque Nestorio communicat, anathema sit. Omnes Nestorii Epistolam & dogmata anathematizamus, &c.* E vestigio Caelestini Epistola lecta est, qua prolata in Romana Synodo adversus Nestorium sententia continebatur, quemadmodum & illa, quam ex Aegyptiaca Synodo Cyrillus eidem Nestorio direxerat. Quaerenti Flaviano Philippensium Episcopo, num tam Caelestini, quam Cyrilli litterae redditae Nestorio fuissent, illisque ab eo satisfactum: Theopemptus & Daniel Synodi Alexandrinae Legati, redditas quidem litteras, sed iis nullatenus a Nestorio satisfactum fuisse dixerunt: Quin & pejora postmodum ex eo in publicis concionibus audivisse; quod & de quibusdam privatis colloquiis cum illo Ephesi habitis Theodotus Ancyranus, & Acacius Melitinensis testati sunt. Recitatisque subinde tum aliquot Patrum locis, quae sibi Cyrillus collegerat; tum plurimis ex Nestorii Sermonibus blasphemiarum ejus Excerptis; tum denique Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodum Epistola; iisque omnibus in Acta relatis; tandem adversus Nestorium depositionis sententia pronunciata est, de qua in sequenti Capite disseremus.

Interim, quod ad rem nostram pertinet, observandum est, ad Cyrilli & Nestorii litterarum lectionem neminem ex Patribus haesitasse, nulli aliquam dubitationem, aut ullum scrupulum fuisse subortum, sed post simplicem minimeque interruptam, aut alicujus interpellatione interturbatam earum lectionem, Cyrilli quidem litteras tamquam Nicaenae fidei consentaneas Synodus adprobavit: Nestorii autem Epistolam tamquam ab ejusdem fidei Symbolo dissonantem rejecit. Quod argumento est, institutam fuisse Epistolas inter & Nicaenum Symbolum collationem, non

ut Patres discerent quod prius nesciebant, aut Cyrilli caussae, Caelestini judicio probatae, parum fiderent, vel de hac re aliquid dubitarent; sed ut falsis Fratribus, Nestorii patronis & Cyrilli adversariis, ora obstruerent, & dubitantium mentes Apostolica Synodi auctoritate firmarentur.

Verum, annon ipse Cyrillus hac de re dubitabat, quum Synodi sententiam rogabat in haec verba; *Recte & inculpate, an secus scripserit?* „ Quis, *in-* „ *quit Illustrissimus Bossuetius*, vel fan- „ do audiat, post ultimum & irrefor- „ mabile Ecclesiae de fide judicium, „ ita unquam quaesitum interrogatum- „ que esse? Numquam factum: id „ enim esset de ipsa fide declarata & „ explorata dubitare: At id post Pa- „ pae Caelestini judicium factum est: „ neque Cyrillus, aut quisquam aliud „ cogitabant: non ergo illud erat ul- „ timum, atque irreformabile judi- „ cium.

Sed, numquid de Evangelio, quod hactenus in Gentibus praedicaverat, Paulus dubitabat, quum in Synodo Hierosolymitana solerter disquirebat, *rectene de Legalium cessatione doceret, an secus?* Numquid de Nicaena fide Magnus Theodosius dubitabat, quum, ut est apud Socratem lib. V. Histor. Eccl. cap. X. *Episcopo Nectario accersito, sermonem cum eo contulit, qua tandem ratione Christiana Religio posset liberari discordiis, & Ecclesia ad concordiam reduci: dixitque, controversiam, quae Ecclesiam diremerat* [haec autem in fide consubstantialis Trinitatis unice versabatur] DEBERE ACCURATE EXCUTI, *uti dissensione penitus sublata concordia in Ecclesiis constitueretur?* Numquid de fide Chalcedonensis Concilii Leo Augustus dubitabat, quum Anatolio Episcopo Constantinopolitano, ac simili forma aliis ubique Metropolitanis scribebat: *Tua Reverentia* (a) *omnes orthodoxos Episcopos, qui in praesenti in hac Urbe Regia commorantur, nec non & Reverendissimos Clericos ad se repente faciat convenire, & diligenter omnia pertractantes, atque* DISCUTIENTES . . . . *de Chalcedonensi Concilio quid in commune sapitis, sine quolibet humano terrore, & absque gratia cujuscumque vel odio, solummodo Omnipotentis Dei timorem vestris oculis proponentes, [quoniam], sicut nostris, de tali caussa intemeratae divinitati rationem eritis sine dubio reddituri] cum omni celeritate meam facite cognoscere pietatem*. Si hoc de aliqua Romanorum Pontificum dogmatica Epistola piissimus Imperator jussisset, statim inde conficerent, irretractabiles non esse Sedis Apostolicae de fide sanctiones, ut quae novis tractatibus ac discussionibus, jubente orthodoxo ac Religiosissimo Principe, subjiciebantur. Id vero de Calchedonensis Concilii fidei decreto dicere non audebunt. Discant igitur, esse aliquam de fidei rebus inquisitionem, aliquem retractatum, qui sine fidei injuria possit institui; quum nempe de fidei dogmatibus disseritur, non quod de iis aliquid dubitetur, sed ut dubitantium mentes in Catholico dogmate confirmentur: ac proinde etiam discant, non inde jure confici, retractationi obnoxias esse Romanorum Pontificum de fide definitiones, quod in Synodis generalibus le-

(a) 3. Par. Conc. Chalced. cap. XXI.

ctae fuerint, nec nisi praemisso qualicumque examine comprobatae.

Denique ad Cyrillum quod adtinet, quis animum inducat ut credat, èx Synodo petiisse, *recte ne & inculpate* ad Nestorium *scripserit*, *an secus*, perinde ac de ea re dubitaret, aut quod ambigeret, Concilii Patres suam probaturos ne, an improbaturos esse doctrinam? Quis, inquam, id sibi persuadeat, postquam ea Cyrillianae ex Alexandrina Synodo ad Nestorium Epistolae verba legerit: *Epistolis autem ab Alexandria tuae Religioni directis Ecclesia consensum praebuit, tam ea quae apud Urbem Romam convenit sancta Synodus, quam etiam nos omnes velut recte irreprehensibiliterque conscriptis. Subdidimus autem his nostris literis quae te sentire oportet & docere, & a quibus abstinere conveniat. Haec est enim fides Catholicae & Apostolicae Ecclesiae, cui cuncti consentiunt orthodoxi per Orientem Occidentemque Pontifices*. Itaque non ignorabat Cyrillus, quisnam esset de doctrina suis litteris comprehensa Ecclesiarum & Episcoporum sensus; nec quod ea de re aliquid dubitaret, Synodi sententiam in ea verba rogabat; sed ut dubitantium mentes Apostolica Synodi auctoritate firmarentur.

CAPUT XII.

„ Continuatio Actionis primae Concilii Ephesini: quae circa Nestorii Personam a Caelestino Papa decreta essent, ad Synodale examen & ipsa revocantur, nec nisi quaestione habita comprobantur.

Lectis monumentis, quae damnando Nestorio idonea videbantur, haec in eum sententia promulgata est: *Cum impiissimus Nestorius neque actioni nostrae parere, neque Episcopos a nobis destinatos admittere voluerit; necessario venimus ad examinationem eorum, quae impie docuisset. Deprehendentes itaque partim ex literis ipsius, partim e sermonibus, illum impie sentire & praedicare: Coacti per sacros Canones, & literas Sanctissimi Patris nostri Comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi ad hanc sententiam venimus: Dominus noster Jesus Christus, per hanc sanctissimam Synodum, Nestorium dignitate privatum esse definit*. Hoc decretum postquam Illustrissimus Bossuetius in medium protulit, haec statim adjungit: Vides Canones conjunctos „ cum Caelestini literis; magnifice „ sane, & ad commendandam Sedis „ Apostolicae majestatem. Vides Synodum executam, quae Caelestinus decrevisset, atque his coactam „ ad tristem sententiam devenisse; „ sed nova, & sua definitione edita in „ Christi nomine; sed postquam legitima cognitione constitit, omnia recte & ordine gesta esse. *Et infra*: „ Ita congruunt omnia, ac nostra sententia stabilitur: dum enim Sedis „ Apostolicae de fide, deque Persona judicium Sancta Synodus comprobat, & exequitur, ejusdem sane „ Sedis legitimam potestatem & Primatum agnoscit. Dum autem illius „ judicium non probat, nisi post legitimam cognitionem & iteratum examen; Romanum Pontificem omnibus quidem Episcopis superiorem; „ uno tamen Concilio generali, etiam „ in caussa fidei, inferiorem esse docet. Quod erat demonstrandum.

Quae his aliisque, quae omitto, hu-

hujusce Capitis verbis de iterato Synodi exemine & judicio Bossuetius observat, ex superioribus maximeque ex dictis in praecedenti Capite pendent. Quare in iis iterum expendendis adhuc immorandum non est: sed illud unice inquirendum; an ex sententia & forma judicii, quam in Nestorii damnatione Synodus Ephesina servavit, jure confici possit, *Romanum Pontificem omnibus quidem Episcopis superiorem; uno tamen Concilio generali, etiam in caussa fidei, inferiorem esse.* Ego enim, contra atque Cl. Bossuetio videtur, inde potius colligi posse judico, majorem esse Romani Pontificis, quam Concilii Oecumenici potestatem.

ARTICULUS UNICUS.

Ex forma judicii, ac tenore sententiae, quam in Nestorium Ephesina Synodus protulit demonstratur, majorem esse Romani Pontificis, quam Concilii Oecumenici auctoritatem.

Episcopos in Conciliis sedere ut Judices, & non ut simplices Romani Pontificis Consiliarios, ii etiam, ut superius ad Caput sextum animadvertimus, Theologi docent, qui supremam & indeclinabilem ad fidei controversias dirimendas in eodem Romano Pontifice auctoritatem agnoscunt. Et quidem loco citato art. III. quaedam in hanc sententiam ex Cano verba produxi, quibus alia hic adtexere libet quae ad eamdem suadendam veritatem idem elegantissimus Theologus ex Conciliis generalibus profert argumenta (*a*).

Concinit autem gravissimo & celeberrimo Theologo & Episcopo Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, Pontificiae, ut ajunt, *infallibilitatis* & ipse acerrimus vindex, qui tamen & hanc data opera statuit Conclusionem „ Nos ergo dicimus, Consessum Episcoporum in Conciliis legitimis esse „ verum Judicum consessum, & eorum decreta & leges necessario sequendas. Hanc porro thesim & ipse tum ex Conciliis tum variis rationibus confirmare satagit (*b*).

Itaque difficultas in eo posita non est, an Episcopi in Conciliis velut Judices sedeant; sed in eo tota controversia versatur, an ipsorum judicium ex Pontificis Romani judicio pendeat, ipsumque

(*a*) „ Quod igitur assumptum est, Patres Concilii non modo Consiliarios esse, verum etiam Judices, id inficias ire nec possumus, nec debemus. Nam Patres Nicaenae Synodi a Silvestro contendunt, ut quidquid constituerunt, confirmet. Et Leo quae a Concilio Chalcedonensi de fide statuta sunt, ea dicit se probare. Et Concilium ipsum ad Leonem, *Decretis*, inquit, *tuis nostrum honora judicium*. Et sexta Synodus Actione XVIII. *Anathematizamus*, inquit, *Theodorum, Sergium, Cyrum &c.* Et paullo post: *His omnibus*, ait, *a Sancto hoc Concilio constitutis, & per subscriptionem nostrae fortitudinis confirmatis, sancimus, ut nullus aliud quidquam de fide satagat &c.* Num verba haec consulentis sunt, an potius judicantis? Atque in ceteris Patres, non ut Consiliarii, sed ut Judices loquuntur. Caput enim tertium Nicaenae Synodi sic habet: Interdixit per omnia magna Synodus &c. lib. V. de Loc. Cap. V.

(*b*) „ Probatur ex ipsis Conciliis; nam Concilia omnia dicunt anathema non obtemperantibus; vocant sua decreta Canones, sive leges Ecclesiasticas; cum subscribunt, Episcopi dicunt, *Ego N. definiens subscripsi*. Praeterea in Concilio Chalcedonensi Act. IV. cum

que tamquam normam & regulam ſequi in judicando teneantur. Id porro eſt, quod ex ſententia adverſus Neſtorium in Epheſino Concilio prolata demonſtrare contendimus.

Canones Spiritu Dei conditi, a Romanis Pontificibus confirmati, & totius mundi reverentia conſecrati, non modo ſingulis Epiſcopis, verum etiam eorumdem in Conciliis Oecumenicis congregatorum judiciis dominabantur, aut dominari debebant. Hinc Romani Pontifices ſi quid in Conciliis generalibus adverſus eoſdem Canones geſtum, aut ſtatutum fuiſſet, nullius eſſe roboris decernebant, nullumque habere momentum, & irrita eſſe prorſus & inania contrariis definitionibus ſtatuebant. Id conſtat ex S. Leone, qui geſta in ſecunda Epheſina Synodo, & Concilii Chalcedonenſis Canonem XVIII. reſcidit, nullamque vim habere voluit, propterea quod Sacris Canonibus adverſabantur. Quin & Theologi Galli & Juriſconſulti hanc olim ipſorum etiam Imperatorum fuiſſe poteſtatem volunt *ut ea*, (*a*) *quae Canonice, & ſervato judiciorum ordine peracta non erant, aut reſcinderent, aut ſuſpenderent, quemadmodum Epheſinam primam Synodum* Theodoſius Junior *reſcidit*; ut inter alios Petrus de Marca obſervat; qui etiam monet, S. Leonem de iniquitate Judicii Epheſini ſententiam tuliſſe; a Theodoſio vero ſuſpenſionem poſtulaſſe, *quia per vim, & judiciorum ordine non ſervato, Canones violati erant*. Iis ergo Canonibus ipſa etiam Generalia Concilia ſubjiciebantur. Porro Concilii Epheſini Patres in ſententia adverſus Neſtorium lata haud minorem vim in Caeleſtini Epiſtola, quam in Sacris Canonibus agnoſcunt: Ajunt enim ſeſe & *per Sacros Canones, & Epiſtolam Caeleſtini ad eam lugubrem ſententiam neceſſario* veniſſe. Itaque non negamus, Epiſcopos, qui in Epheſina Synodo conſederunt, veros fuiſſe Judices, & verum, proindeque cum cauſſae cognitione & examine, judicium exercuiſſe. Verum quin hoc ipſorum judicium quemadmodum a Sacris Canonibus, ita ab Epiſtola Caeleſtini in eaque contenta adverſus Neſtorium ſententia tamquam ab immobili regula *neceſſario* pependerit, dubitari non poteſt; quum Synodi Patres cum in Sacris Canonibus, tum in Epiſtola Caeleſtini vim agnoſcant ineluctabilem, qua ſe coactos eſſe teſtantur. Igitur major erat Caeleſtini, quam Epheſinae Synodi auctoritas. Quis enim vel fando audiit, ſuperiorem Judicem ad ferendam in aliquem ſententiam, inferioris Judicis auctoritate ſeſe coactum fuiſſe pronunciet? Profecto, ſi ejuſmodi fuiſſent Epiſcopi, qui in Epheſina Synodo ſederunt, cujuſmodi fuerunt, qui in Cleri Gallicani Comitiis celeberrimam *Declarationem* ediderunt, nunquam, puto, hanc formu-

cum decem Epiſcopi Aegyptii nollant acquieſcere judicio majoris partis, pro haereticis habebantur. Quae omnia ſunt apertiſſima argumenta, quod Concilia ſint vera judicia *Praeterea*, ſi non eſſet in Conciliis agendum ſuffragiis, ſed diſputationibus tantum, perperam fieret, ut ſoli Epiſcopi ſententiam ferrent, cum munus diſputandi ſit hominum eruditorum, ſive ſint Epiſcopi, ſive non. Cujus contrarium jam ſupra oſtendimus. Fruſtra etiam vocarentur Epiſcopi aliqui rudes & ſimplices, quales aliquos fuiſſe in Concilio Nicaeno, ſcribit Rufinus lib. X. Hiſtor. cap. III. *lib. II. de Conc. cap. XVIII.*

(*a*) Lib. VII. de Conc. Sac. & Imp. cap. V. num. III.

Digitized by Google

mulam usurpassent: *Coacti per Sacros Canones, & Romani Pontificis Epistolam*, seu Constitutionem, aut Bullam, *ad hanc sententiam necessario venimus*. Quum enim majorem esse definiant Concilii generalis, quam Romani Pontificis potestatem, hujus profecto auctoritas *cogere* non potest generale Concilium, & in suam sententiam *necessario* pertrahere.

Quae fuerit illa Caelestini litterarum vis, qua se Ephesini Patres coactos esse profitentur, luculentius declarat Firmus Caesareae in Cappadocia Episcopus *Act.* 2. his verbis: *Apostolica & Sancta Sedes Caelestini Sanctissimi Episcopi per literas, quas ad religiosissimos Episcopos .... & ad Sanctas .... Ecclesias misit, etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit: quam nos quoque secuti, (quum terminus Nestorio ad emendationem datus dudum jam praeteriisset .... quoniam Nestorius a nobis citatus non paruit) formam illam executioni mandavimus, Canonicum Apostolicumque judicium in illum proferentes*. Judicarunt itaque Nestorium Ephesini Patres; verum eorum judicio formam Caelestinus regulamque praescripsit. At certe major est ejus, qui formam regulamque praefinit, quam sequi oporteat illum, qui judicat; quam ejus qui juxta regulam formamque sibi constitutam judicium profert.

Verum ut mox adlata Episcopi Firmi, ut & superius descripta totius Concilii verba melius intelligantur; observandum est, Nestorium non modo damnatum fuisse, & Episcopali sede dejectum uti contumacem, verum & tamquam haereticum & blasphemum: *Cum piissimus Nestorius nostrae citationi parere .... noluerit .... deprehendentes ..... illum impie sentire, & praedicare ..... ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus*. Itaque propter inobedientiam & contumaciam, qua ter vocatus Synodo parere noluit, gradu suo, juxta Sacrorum Canonum sanctiones moveri debuit: id quod etiam mox citandus Basnagius agnoscit. Verum tamquam Haereticus & blasphemus damnatus est propter Epistolam Caelestini, qua Sanctissimus Pontifex constituerat, ut nisi intra decem dies impiam doctrinam Nestorius ejuraret sese Fidelium communione privatum, & Episcopali Sede dejectum esse intelligeret. Quum autem praefinitus terminus praeteriisset, Nestorius nihilominus loco suo mansit, propterea quod Caelestinus sententiae executionem usque ad futuram Oecumenicam Synodum prorogasset: Quum igitur etiam hoc alterum intervallum a Caelestino concessum Patres jam fluxisse animadverterent, sententiae jamdudum latae executionem ulterius differre, in eorum potestate non erat; ideoque se se coactos intellexerunt ad Nestorium veluti haereticum & blasphemum damnandum, locoque & gradu suo deturbandum juxta formam & regulam a Caelestino praescriptam.

Hac observatione mucro retunditur argumenti, quo Heterodoxus Historicus Ephesinam Synodum impetit. Nam relata Concilii sententia, observat [a] „ vespertino tempore a lacrymosa „ Synodo id judicii latum esse. Ita, in-

(a) Tom. III. Annal. ad an. 431. num. XVI.

Digitized by Google

„ *inquit*, uno ſolo die & bis citatur „ Neſtorius, & doctrina ejus ad examen revocata damnatur, quae in re „ tanti momenti nimia ſane feſtinatio „ fuit. Damnationi forſan aequi ſpe- „ cies aliqua obtendi poſſet, ſi ob ſo- „ lam contumaciam Neſtorius gradu „ ſuo motus eſſet. Illud vero intole- „ randum, quod Haereticus & blaſ- „ phemus prius pronuncietur, quam „ audiretur a Synodo, cujus judicium „ non abnuebat, dummodo Johannes „ Antiochenus cum ſuis Comprovin- „ cialibus adeſſet. Ad Orientalium „ adventum uſque cognitio doctrinae, „ quae omnes Orbis tangebat Eccle- „ ſias, differri debuit.

Haec utique cum aliqua juris & aequi ſpecie objicerentur, niſi Synodi judicio ſententia jamdudum a Caeleſtino in Neſtorium prolata tamquam forma & regula praeluxiſſet, juxta quam Neſtorius damnandus tamquam haereticus & blaſphemus, locoque ſuo movendus erat, niſi primum intra decem dies, poſtmodum vero ubi primum fuiſſet Synodus congregata, ſceleſta dogmata ejuraret. Quum igitur ſponte Neſtorius ad Synodum non accederet, ter juxta Canones citatus eſt, & parere recuſans, tamquam contumax & rebellis, ex eorumdem Sacrorum Canonum praeſcripto, damnatus eſt. At quemadmodum de Sacris ipſis Canonibus, ita & de Caeleſtini ſententia judicium inſtituere, Synodus ſui non eſſe juris judicavit, ſed potius quemadmodum juxta ſacros Canones, ita juxta Caeleſtini ſententiam de Neſtorio judicium tulit, eumque tamquam blaſphemum & haereticum, etſi non auditum, exauctoravit: eaque ratio eſt, cur in forma ſententiae, Sacris Canonibus Caeleſtini Epiſtola conjuncta eſt. Canones enim ad Neſtorium veluti contumacem, Epiſtola vero ad eumdem velut haereticum damnandum, auctoritatem Synodo tribuerunt. Hinc illud jure Thomaſſino animadverſum (a), quod *Caeleſtini majeſtate, & judicio antegreſſo gloriabatur, ſeſeque adverſus hoſtium latratus Synodus tuebatur*.

Quae hactenus dicta ſunt illuſtrari poſſunt præclaro S. Nicolai I. teſtimonio Epiſtola IX. ad Michaëlem Imperatorem, ubi quæ fuerit in damnatione Neſtorii Sedis Apoſtolicae auctoritas, ſequentibus verbis eleganter luculenterque deſcribit: *In Synodis priſco tempore collectis, Apoſtolicae Sedis ſcripta, non ſub occultationis modio tegebantur: ſed ut omnibus qui in Domo Dei erant, lucerent, in propatulo ponebantur; & ut ſi qua turpitudo, vel macula in fidei pulcritudine a quolibet a quolibet tentaretur induci, facile pateſceret, ac ſi ſpecula in omnibus habebantur; & quaſi quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri poſſent, poſita colebantur. Quod ut manifeſtius pateat, ex his huic Epiſtolae pauca duximus inſerenda. Primo etenim loco Sancta Synodus apud Epheſum congregata ſanctae memoriae Caeleſtini Papae prius Epiſtolam legit, & ita demum ad alia exequenda vacavit .... in tantum, ut ex ejus propemodum ſpecialis judicii tenore ſit perfidus Neſtorius expulſus, dum eadem Synodus in ſententia contra eum prolata tali modo proſequitur*: neceſſario, *inquiens*, coacti tam

(a) Diſſert. XII. in Conc. Chalced. num. XIII.

tam ex Canonibus quam ex Epistola ..... Caelestini &c. *Et ad eumdem Papam postea scribens, praefatum Nestorium per Epistolam ab ipso Sanctissimo Praesule scriptam, rationabiliter asseverat fuisse damnatum*. Potuit ne clarius & apertius significare, Apostolicam Caelestini Epistolam propositam fuisse in Ephesino Concilio Patribus de Nestorio judicaturis tamquam formam & regulam, cui esset necessario inhaerendum, & sicut legi parendum, & tamquam immobili fundamento totum judicium superstruendum? Proindeque ex forma & tenore sententiae, quam adversus Nestorium Ephesina Synodus pronunciavit, aperte colligitur, majorem esse Romani Pontificis, quam Oecumenicae Synodi auctoritatem. Quod erat demonstrandum.

CAPUT XIII.

„ Gesta Actionis II. quibus praecedentia comprobantur. Quid sit confirmare decreta stylo Ecclesiastico, ex gestis demonstratur. In Synodi examine, atque judicio quaestionis finem non modo Sacra Synodus, sed etiam Legati Apostolici, atque ipse etiam Papa Caelestinus agnoscunt.

PRaeclarissima & luculentissima testimonia, quae pro suprema, nullique, jure suo, obnoxia retractatui Romani Pontificis in definiendis fidei quaestionibus auctoritate, suppetunt gesta Actionis Secundae, inanibus nulliusque plane momenti observationibus elevare ac labefactare contendit in hoc capite Illustrissimus Auctor. Efficiam ergo, ut rebus omnibus accuratius expensis, sua ejusmodi argumentis firmitas constet, iisque invictissime demonstretur, firmum esse habitum ab Ephesina Synodo ac penitus irreformabile Sedis Apostolicae de fidei controversiis judicium.

ARTICULUS PRIMUS.

Noluisse Caelestinum suum de Nestorio judicium veluti non satis firmum aut aliqua ex parte reformabile in Ephesina Synodo retractari.

ID imprimis perspicue demonstratur ex Commonitorio, quod Legatis Ephesum proficiscentibus Sanctus ipse Caelestinus dedit, & cujus hîc Bossuetius meminit in haec verba:

„ Lupus Lovaniensis inter alia antiquitatis monumenta, Caelestini ad Legatos Commonitorium, Instructionesque, ut ipse Caelestinus vocat, protulit (*a*). His praecipiebatur, *ut Sedis Apostolicae tuerentur dignitatem, ne se Episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippe Judices*, cum Synodo utique, *esse deberent*. Cum Cyrillo, utpote fido, agenda conferrent.

Protulit hoc idem antiquitatis illustre monumentum etiam Baluzius in nova Conciliorum collectione, refertque illud ad Concilium Romanum habitum sub Caelestino, quum jam Synodi Ephesinae celebratio immineret. Haec autem sunt, inter cetera, ad suos Legatos laudati Pontificis monita: *Et auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri de-*

(*a*) Tom. VII. Edit. Venet. cap. CCXXVI.

debere mandamus. *Siquidem & Instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse Conventui debeatis: ad disputationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen*. Nimirum ostendit Legatis, quo pacto Sedis Apostolicae dignitatem tueri debeant. Qua vero ratione id erant consequuturi? Numquid argumentis suadere debebant Apostolici judicii sapientiam, & aequitatem? Numquid adversus contentiosos, aut si qui fuissent, refractarios Episcopos in arenam descendere, eorumque objecta refellere, & Romanae Cathedrae decreta ab eorum adsultibus vindicare? Nequaquam id esset, judice Caelestino, Sedis Apostolicae dignitatem tueri, sed prodere. Sed ut ea sarta tectaque maneret, rem semel Romae judicatam nolebat in disceptationem venire, aut novo subjici examini. Sinerent proinde, quibus id libitum esset, invicem digladiari; sed ipsi id tantum negotii agerent, ut decretorum Sedis Apostolicae non examen, aut retractationem, sed executionem urgerent. Id jure colligi ex laudatis Caelestini verbis, loco paullo superius citato ipse etiam Stephanus Baluzius agnoscit: *Illustrissimus Cardinalis Baronius ex Epistola Caelestini ad Synodum Ephesinam collegit, sic ab eo Romanaque Synodo missos esse Legatos in Orientem, non ut redditis irritis, quae anno superiore adversus Nestorium ab eodem Pontifice decreta essent, causa ejusdem novo subjaceret examini, sed potius ut sententiae in Nestorium latae iidem Legati essent executores. Quod sane confidentius asseruisset Baronius, si Commonitorium Caelestini vidisset, quod nos daturi mox sumus*.

Idem probatur ex Epistola Caelestini ad Synodum Ephesinam: ait enim; *direximus pro nostra sollicitudine Sanctos Fratres & Consacerdotes nostros, unanimes nobis & probatissimos viros, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis quae aguntur, intersint, & quae a nobis antea statuta sunt, exequantur. Quibus praestandum a vestra Sanctitate non dubitamus assensum*. Quid ex his verbis Baronius colligat, jam ex Baluzio audivimus, qui consectarium Eminentissimi Cardinalis adprobat; & ex ejusdem Caelestini Commonitorio confirmat. Iis tamen, quae jam ex Baronio cum Baluzio descripta sunt, haec etiam libet adjungere ejusdem Annalium Parentis verba (a): *Ut plane appareat, nihil praeterea ab ipso Pontifice tributum Synodo, nisi ut cognitis his, quae anno superiori ibidem Romae in Nestorium decreta fuissent, eadem executioni mandari curarent; nec quicquam praeter sententiam Caelestini sibi arrogasse Oecumenicum tantum Concilium, constat*.

Rem adeo manifestam nec ipse Illustrissimus Bossuetius dissimulare ausus est. Quare adlatis, quae jam descripsimus, Caelestini verbis „ his, *inquit*, „ constat, Synodi Ephesinae actionem „ in Apostolici judicii executione versari. *Adjungit tamen* „ Cujusmodi autem sit illa executio, an mera, ut ajunt, obedientia, an vero „ ipsius Synodi cognitione legitima, „ certoque jam & indeclinabili judicio, „ se-

(a) Ad annum CCCCXXXI. num. IX.

„ sequentia demonstrabunt „. Episcopos in Ephesina Synodo sedisse judices, subindeque & cum caussae Nestorianae legitima cognitione verum exercuisse judicium, & nos superius professi sumus, & hic Baronius agnoscit: *Ut cognitis*, inquit, *his*, *quae anno superiori Romae in Nestorium decreta fuissent*, *eadem executioni mandari curarent*. Hac itaque in re posita controversia non est. Verum, quemadmodum Bossuetius quaerit, cujusmodi fuerit illa executio; ita & nos quaerimus, cujusmodi fuerit illud judicium. Id vero *sequentia* plane *demonstrabunt*.

„ Lectis, *inquit Bossuetius*, Cae-
„ lestini literis, Legati consequenter
„ ad Episcopos; *ut quae* Caelestinus
„ *antea definire*, *& nunc in memoriam*
„ *revocare dignatus est*, *juxta commu-*
„ *nis fidei regulam*, *ad finem numeris*
„ *omnibus absolutum deduci jubeatis* εἰς
„ τέρας πληρέστατον *ad finem plenis-*
„ *simum*. Qui Concilii fructus est, post
„ cujus sententiam, nulla nova dis-
„ cussio, novumque judicium, sed
„ mera executio. Atque id Legati
„ postulant juberi a Synodo, in qua
„ summam illam autoritatem recogno-
„ scunt.

An Legati summam illam, idest, majorem, quam in Romano Pontifice, in Synodo auctoritatem agnoverint, postea videbimus. Interim observo, neutiquam Legatos a Patribus postulasse, ut quae jam a Caelestino fuerant definita, ad examen revocari juberent; quo videlicet, velut hujusce rei adhuc ignari vel dubii, expenderent, an quae Caelestinus decreverat, communis fidei regulae consentanea essent, an secus. Quin potius Legati pro certo habebant, exploratam habuisse Patres Romani judicii aequitatem: *Literarum Sancti Venerandique Papae Caelestini Episcopi formam Vestra Sanctitas consideret*; *qui Sanctitatem Vestram hortatus est*, *non quasi ignorantem docens*, *sed tamquam gnaram commonefaciens &c.* Id ergo unum desiderabant, ut jamdudum a Pontifice definita Synodi sententia ad finem absolutissimum perducerentur, id est, executioni mandarentur.

Legatorum petitioni Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus Synodi nomine ita respondit: *Apostolica & Sancta Sedes Caelestini Sanctissimi Episcopi..... etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit*: *quam nos quoque secuti..... formam illa executioni mandavimus*, *Canonicum Apostolicumque judicium in illum proferentes*: „ actione prima sci-
„ licet, inquit Bossuetius, qua, fa-
„ cto examine & quaestione habita,
„ Caelestini decretum firmatum vidi-
„ mus. Sic exequitur Synodus gene-
„ ralis primae Sedis sententiam, le-
„ gitima cognitione & inquisitione;
„ nec simplicis Mandatarii vice, sed
„ *Canonico & Apostolico dato judicio*.
„ Papale sane decretum, pro tantae
„ Sedis autoritate, sit forma, sit re-
„ gula; sed quae Synodo convocata,
„ non nisi ex communi judicio plenam
„ autoritatem obtineat „. Cujusmodi fuerit ea quaestio, illa inquisitio, illud examen, jam superius expendimus; ejusmodi sane quod Pontificis menti nequaquam adversaretur, qui Legatis Ephesum proficiscentibus, juxta Baronium & Baluzium, in mandatis dederat, ne *caussa* Nestorii *novo subjaceret examini*, quo nimirum ea de re tamquam adhuc incerta, & in medio posi-

posita disceptaretur. Pariter cujusmodi fuerit habitum a Synodo de Nestorio judicium, etiam superius ostendimus, & hîc Firmus nos edocet; ejusmodi sane, quod Apostolicae Sedis majestatem auctoritatemque mirum in modum commendet, cum ex Caelestini sententia, tamquam forma regulaque pependerit. Denique an Synodi judicium Caelestini sententiae, an potius Caelestini sententia Synodi judicio auctoritatem dederit, etiam ex superioribus patet. Patres enim, ut jam vidimus, suum de Nestorio judicium Sacrorum Canonum, & Epistolae Caelestini auctoritate tuentur, & hac, perinde atque illis *coactos* sese fuisse significant, ad lugubrem illam in Nestorium exauctorationis sententiam pronunciandam: id tamen articulo sequenti in longe meliori lumine collocabitur.

ARTICULUS II.

Ephesinae Synodi Acta Pontificis Legati confirmarunt. Quantum in hac re Apostolicae Sedis auctoritas emicuerit.

„ LEgatos, *inquit Bossuetius*, ad „ Synodum mandato speciali „ missos, quae adversus Nestorium „ gesta essent, an satis ex Canonum „ praescripto, & Sedis Apostolicae „ reverentia, intelligere oportebat. „ Quare merito petunt, acta communicari; *ut nos quoque*, inquiunt, *con*„*firmemus*. Illud *confirmare* quid sit, „ ipsa gesta eloquentur.

Legatos ad Oecumenicam Synodum destinatos Caelestinus commonitorio illis dato monuerat; *quod si transactam Synodum, & redisse omnes Episcopos vidissent, requirendum illis erat, qualiter fuerant res finitae. Si pro antiqua fide Catholica res gestae sunt &c. Quod si aliter actum est, & in dissensione res sunt, ex ipsis rebus conjicere poteritis, quid . . . . . agere debeatis.* Quibus verbis Pontifex illos Oecumenicae Synodi judices Apostolica auctoritate constituit. Quod sane munus iisdem Legatis eodem loco etiam conceptis verbis adscribit; quum eos videlicet monet, ut *Sedis Apostolicae auctoritatem* tueantur: & *ad disceptationem*, inquit, *si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debetis, non subire certamen.*

His ergo monitis & auctoritate muniti Legati ad Synodum accesserunt; lectisque Caelestini litteris, concordibus vocibus ab universo Concilio acclamatum est: *Hoc justum judicium. Novo Paulo Caelestino, novo Paulo Cyrillo, Caelestino custodi fidei, Caelestino cum Synodo concordi, Caelestino universa Synodus gratias agit. Unus Caelestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi, una fides orbis terrarum.*

Has Synodi voces Philippus Presbyter unus Legatorum sequentibus verbis excepit: *Gratias agimus sanctae venerandaeque Synodo, quod literis Sancti beatique Papae nostri vobis recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus sancto Capiti, sanctis etiam vestris acclamationibus, vos adjunxeritis: Non enim ignorat vestra Beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum caput esse Beatum Apostolum Petrum.* Ex his verbis ita colligit Bossuetius num. IX. „ Haec ergo summa autoritas, summa vis, quod membra inter se, & „ Romano Pontifici ut Capiti conjun„gantur. Quod ex consensione invi„ctum Ecclesiastici judicii robur.

Ha-

Digitized by Google

Haud equidem negamus, invictum esse Ecclesiastici judicii robur, ubi Romano Pontifici Episcopi, ubi capiti membra concordent. Verum & illud jure meritoque contendimus, judicii auctoritatem non ex membris ad caput, sed ex capite ad membra derivari. In his autem Legati verbis cum universa Synodo veluti caput cum reliquo corpore Romanus Pontifex comparatur. Quin & *totius fidei Caput* cum Apostolorum Principe nuncupatur, ut nimirum intelligamus, totius Ecclesiae fidem ex ejus auctoritate pendere. Id vero, praeter quam quod ipsa capitis & membrorum analogia suadet, sequentia quoque ejusdem Legati, ac Theodoti Ancyrani verba confirmant. Petit enim Philippus, sibi priora Synodi acta communicari; *quo*, inquit, *juxta Beati Papae nostri, praesentisque hujus sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus, conformiter eorum depositioni*. Pontificem universo coetui veluti caput corpori, & illius sententiam hujus judicio praeponit. Sed in hac rem longe luculentius est, quod statim Philippi verba subsequitur, Theodoti Ancyrani Episcopi testimonium: *Justam esse Sanctae Synodi sententiam demonstravit universorum Deus per literas Caelestini religiosissimi Episcopi huc allatas, & per vestrae pietatis adventum. Nam Caelestini Episcopi sanctissimi & beatissimi zelum, & in piam fidem studium demonstrastis*. Non ergo ex eo quod Synodo consentiebat, demonstratum est, justam esse Caelestini sententiam; sed ex eo quod cum Caelestini literis Synodus concordabat, demonstravit Deus, justum esse Concilii generalis judicium; perinde atque Romani Pontificis sententia veluti Lydius lapis fuerit, quo numus adulterinus a genuino, idest profana & adultera fides a vera germanaque secerneretur.

Quamquam autem Legati non ignorarent, summum esse & invictum Ecclesiastici judicii robur, ubi membra inter se, & Romano Pontifici ut Capiti conjunguntur; attamen Philippus aliique Legati petierunt sibi acta communicari, quo juxta Caelestini mandatum, antequam ea confirmarent, accurate ac diligenter expenderent, an Canonice omnia gesta essent, & ad amussim cum Caelestini literis consentirent. Justam porro fuisse Legatorum petitionem, laudatus Theodotus Ancyranus his verbis professus est: *Quoniam vero justa ratione permota Vestra Beatitudo, ex ipsis actorum commentariis intelligere quaesivit de Nestorii depositione; justam sententiam, sanctaeque Synodi zelum & consensum in fide, quam sanctissimus & piissimus Episcopus Caelestinus magna voce depraedicat, vestra Reverentia plane certoque cognoscet*. Profecto Legati neutiquam dubitabant, Synodi judicium recte & ordine processisse, summamque fuisse in damnando Nestorio Concilii cum Pontifice consensionem: Id enim, ut jam superius ostendimus, ex eorum acclamationibus exploratum habebant. Attamen actorum commentaria suis perlustrare oculis volunt, & Patrum cum Caelestino consensum ex eorum quoque lectione perspectum habere. Unde colligere est, non omnem rerum gestarum aut antea definitarum discussionem, ancipitis & adhuc haerentis aut fluctuantis animi argumentum esse.

Igitur postquam Legatis petentibus data sunt, quae in Nestorium acta essent,

ſent, de iis actione tertia ſic referunt: *Intelleximus, omnia canonice, & ex Eccleſiaſtica diſciplina judicata eſſe*. „ Ergo, inquit Boſſuetius num. V. „ Canonice, & ex Eccleſiaſtica di- „ ſciplina Sedis Apoſtolicae judicia in „ Synodo generali, quaeſtione habita „ retractantur, ac de iis judicatur. At „ non eſt opus noſtris divinationibus, quum ab ipſo Philippo Presbytero, cujus haec ſunt verba, quid iis ſignificare voluerit, apertiſſime ſit expoſitum: *Neſtorius itaque novae perverſitatis auctor, atque malorum caput, ſicuti e Synodalibus actis accepimus, vocatus, ac admonitus ſecundum Patrum decreta, videlicet ſecundum Canonum diſciplinam, judicio ſe ſiſtere contemſit*. En igitur qua in re ex mente Philippi poſitum erat, Neſtorium fuiſſe *Canonice & ex Eccleſiaſtica diſciplina* judicatum; nimirum, fuiſſe illum, antequam damnaretur, ex Patrum decretis, & Canonum diſciplina, ter vocatum & admonitum, ut ſeſe Synodo praeſentem exhiberet.

Boſſuetius num. VI. „ Cum Legati probaſſent acta in Neſtorium ſibi „ communicata, jam relegi petunt in „ publico conſeſſu cetera, quaecum- „ que Epheſi ab initio geſta lectaque „ eſſent, nempe, inquiunt, *ut obtemperantes formulae Sanctiſſimi* „ *Papae Caeleſtini, qui hanc curam* „ *nobis commiſit, veſtrae etiam Sanctitatis judicia confirmare poſſimus*. „ Poſteaquam ergo relecta ſunt „ omnia, ac Legati aſſenſere, pro- „ ponit Cyrillus Sacrae Synodo, *ut* „ *Legati obſignatione, ut moris eſt*, „ *planam ac manifeſtam faciant Canonicam cum Synodo aſſenſionem ſuam*; „ ad eam Cyrilli interrogationem Sy- „ nodus ſic reſpondet, decernitque, „ *ut Legati ſubſcribendo acta confirment*: Quo loco perſpicue ipſum „ *confirmare* a Synodo dictum nihil „ aliud eſt, quam *planam & manifeſtam ſuam aſſenſionem facere*, ut a „ Cyrillo erat propoſitum. Nempe mens Illuſtriſſimi Auctoris eſt: ut alibi ſe clarius explicat (a), Conciliorum confirmationem *nihil omnino ad Pontificiam infallibilitatem aut ſuperioritatem pertinere*.

„ Hunc verum genuinumque con- „ firmationis ſenſum ſaepe *inquit* pro- „ tulimus, ſaepe proferemus, & „ nunc a Sancta Epheſina Synodo tam „ clare proponi nobis gratulamur. De hac re ſuo loco cum Illuſtriſſimo Auctore data opera diſſeremus. Quod vero ad Epheſinam Synodum pertinet, res eſt hoc loco accuratius enucleanda.

ARTICULUS III.

De eodem argumento diſſeritur; oſtenditurque, finem controverſiae fuiſſe impoſitum Sedis Apoſtolicae auctoritate.

ITaque habemus ex dictis, fuiſſe Legatos a Caeleſtino ad Oecumenicam Synodum deſtinatos velut Judices, qui *de Epiſcoporum ſententiis judicarent*; quae in Neſtorium a Synodo acta eſſent, recenſerent, diſcuterent, retractarent, nec ante adſenſum illis praeberent, quam intelligerent, omnia ad Pontificis mentem & judicium quadrare, prolatamque fuiſſe a Patribus in Neſtorium ſententiam, tum juxta Canonum diſciplinam, tum jux-

(a) Lib. XIII. cap. I.

juxta regulam formamque illis ab Apostolica Sede praescriptam. Id enim unum est, in quod Legati intendere ac diligenter inquirere debebant; propterea quod totius fidei robur & auctoritas a Pontifice ad Synodum veluti a capite ad membra derivetur.

Postquam ergo Legatis de Synodi cum Pontifice consensione ex Actorum lectione constitit, ad jam prolatam in Nestorium depositionis sententiam confirmandam accedunt. Id vero praestant, non, ut Bossuetius docet, veluti simplices testes, qui Apostolicae Sedis, ac totius Occidentis, in iis quae gesta erant, cum Synodo consensionem *planam & manifestam facerent*, sed tamquam judices a Pontifice deputati, & ipsius Pontificis nomine, ac Sedis Apostolicae auctoritate adscita. Quo enim alio pertinet magnificum hoc prooemium quod suae Philippus Presbyter sententiae praemisit *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus Beatissimusque Petrus, Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemtore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem Successor & locum tenens, Sanctus Beatissimusque Papa noster Caelestinus Episcopus, nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc Sanctam Synodum misit*. Hac ergo auctoritate fultus *firmum* esse pronunciat *omnium Ecclesiarum decretum* (*nam*, inquit, *Orientalis & Occidentalis Ecclesiae Sacerdotes vel per se, vel certe per suos Legatos, Sacerdotali huic consessui intersunt*) *quod in ipsum pronunciatum est*, *&c.* Et infra eadem B. Petri Apostolorum Principis, & Caelestini ejus Successoris auctoritate munitus: *Quamobrem*, inquit, *intelligat Nestorius, se a communione Sacerdotii Ecclesiae Catholicae alienum esse*.

Igitur etsi Legati, quod est etiam Illustrissimo Defensori animadversum, ad Synodum Ephesinam speciali mandato missi, non modo Apostolicae Sedis, sed etiam totius Occidentis ferebant sententiam, subindeque totius Occidentalis Synodi legatione quodammodo fungerentur; totius tamen orbis sententiam solius Apostolicae Sedis Legationis auctoritate confirmant. Hinc Projectus Episcopus, *& ego quoque*, inquit, *auctoritate Legationis Apostolicae Sedis, una cum Fratribus sententiae executor exsistens, definio memoratum Nestorium, veritatis inimicum, fideique corruptorem, tamquam iis, de quibus accusatus est, obnoxium, a gradu Episcopalis honoris, & ab omnium praeterea Sacerdotum orthodoxorum communione remotum esse*: ac deinde in subscriptionibus haud alio se se quam Legati Sedis Apostolicae titulo exornant: *Philippus Presbyter, & Apostolicae Sedis Legatus, Commentariis subscripsi, &c.*

Ex his autem quae hactenus dicta sunt, facile colligere est, Conciliorum confirmationem, secus atque Bossuetio videtur, *ad Pontificiam infallibilitatem & superioritatem pertinere*. Hæc enim, ut ex superius descriptis Philippi verbis apparet, in eam tandem auctoritatem resolvitur, quam a Christo Petrus tamquam Apostolorum Princeps accepit. Haec enim Philippi summa

ora-

orationis est: Nos Synodi acta confirmamus tamquam supplentes ac tenentes locum Sanctissimi Pontificis Caelestini: Caelestinus autem Successor est Petri, ejusque locum & sedem obtinet: Porro Petrus *ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet*: ad hoc autem judicium exercendum, pro se suisque Successoribus claves Regni & ligandi atque solvendi potestatem idem Petrus accepit: denique ne quis de rectitudine judiciorum ejus ambigat, ipse *Apostolorum Princeps & Caput fideique columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum* a Christo Domino constitutus est. Scimus quidem huic nomini, *confirmatio*, varias subjectas esse notiones: at nos de illa loquimur, quam Caelestinus per suos Legatos; Petrus autem *Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiae Catholicae fundamentum*, per Caelestinum, in quo adhuc vivebat, & judicium exercebat, Ephesinae Synodi actis adhibuit. Hanc autem quis neget, ad Pontificiam infallibilitatem & superioritatem pertinere? sed de hac re alibi data opera.

Bossuetius: „ Postremo Caelestinus „ ipse, re tota peracta, ad Sanctam „ Ephesinam Synodum mittit Epistolam, quam sic auspicatur, (*a*) *tandem malorum fine gaudendum est*, „ ubi *finem agnoscat*, Lector eruditus „ intelligit: post damnatum scilicet „ Oecumenici Concilii, hoc est, totius Ecclesiae Catholicae indeclinabili auctoritate Nestorium.

Nestorii damnationem, ut in superioribus Capitibus, & praesenti etiam Capite demonstravimus, primus Caelestinus decrevit; decreti executio ut usque ad Oecumenicam Synodum differretur, ipse probavit: Synodus ante Legatorum adventum, juxta formam & regulam a Caelestino praescriptam, sententiam in eumdem Nestorium damnationis tulit; quam Legati postmodum advenientes examinarunt, & Caelestini, ac S. Petri, qui adhuc *in suis Successoribus vivit & judicium exercet*, auctoritate Apostolica confirmarunt. Itaque Caelestinus quemadmodum negotium inchoavit, ita & perfecit. Ipse Nestorium exauctoravit, ipse & Maximianum ad Regiae Civitatis thronum evexit. Adfuit enim, ut ipse saepius testatur, (*b*) & Spiritu, & Apostolica sollicitudine, & per Legatos suos iis omnibus, quae pro caussa fidei, & Christianae Reipublicae tranquillitate, & in Synodo & post Synodum gesta sunt. Quapropter quum *malorum fine gaudendum* esse pronunciat, ubi *finem* agnoscat, Lector eruditus intelligit; nempe in damnatione Nestorii per Oecumenicam Synodum pronunciata, & Apostolica auctoritate firmata: ex hac enim Synodalium judiciorum firmitas pendet, ut inferius data opera demonstrabimus.

Interim autem ex hac ipsa, quam Bossuetius laudat, Caelestini Epistola id, de quo agimus, suaderi facile potest. Quamquam enim, quod pertinet ad Nestorii damnationem, & alterius in ejus locum Episcopi subrogatio-

(*a*) 3. Par. Conc. Ephes. cap. XX.

(*b*) Epist. ad Cyrillum. Act. II. Conc. Ephes. & Epist. ad Synodum 3. Par. ejusd. Concil. cap. mox. cit.

Digitized by Google

tionem, terminata res esset; quaedam tamen adhuc supererant, de quibus etsi decreta Synodi exstarent, non satis tamen Pontifici composita videbantur, deque iis, quod ipsi ad Ecclesiae pacem instaurandam, & res Orientalium adhuc in tumultu positas componendas, optimum videtur, Apostolica auctoritate decernit. Ephesini Concilii decreto, quod extat Actione septima, & ad universi orbis Ecclesias transmissum est, ex Orientalibus Episcopis quidam communione Ecclesiastica extorres effecti sunt, quidam vero etiam depositi (a). Hanc sententiam ejusdem Concilii Legati [ad quos haec Caelestini Epistola data est, etsi in epigraphe habeat, *Sanctae Synodo apud Ephesum constitutae*] Constantinopoli confirmarunt in ea Synodo, qua Maximianus in locum Nestorii Regiae Urbis Episcopus subrogatus est, cujusque Tractoriae his litteris Caelestinus respondet. Quamquam autem Maximiani Electionem adprobet & confirmet; non probat tamen omnino decretum, quod in Orientales sancitum fuerat, deque iis certas regulas statuit ad Ecclesiae pacem instaurandam accommodatas: *de his autem, qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, atque se socios ejus sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus caussis, quae Apostolica Sedes semper adspexit &c.* De quibus videri potest Christianus Lupus in Scholiis ad Epistolam Synodici quinquagesimam, unde colligere est, ad Sedem Apostolicam pertinere, ut Conciliorum generalium decretis supremam manum imponat. Quod etiam haud obscure significat Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem Imperatorem, quae Actione quarta octavae Synodi lecta est: *Ad ejus etenim, sicut ipsi scitis, integritatem observationis, multoties conventus factus fuerit Sanctorum Patrum, a quibus & deliberatum ac observatum exstitit, qualiter absque Romanae Sedis, Romanique Pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur.* Qua de re videri etiam potest ejusdem Epistola nona ad eumdem Imperatorem.

CAPUT XIV.

„ Ephesinae Synodi praxis qua do-
„ ctrina nitatur: Episcoporum au-
„ toritas in Episcopis instituta: iis
„ omnibus fidei depositum in com-
„ mune traditum, & communi
„ cura custodiendum: Apostolici
„ in Hierosolymis Concilii auto-
„ ritas in secutis Conciliis: Haec
„ est Caelestini Epistola Ephesi le-
„ cta: Confutantur ii, qui docen-
„ di autoritatem a Papa in Episco-
„ pos manare contendunt.

EX Epistola Caelestini, cujus initium est: *Spiritus Sancti testatur praesentiam congregatio Sacerdotum*, quae Actione secunda Ephesinae Synodi lecta est, haec colligit Illustrissimus Bossuetius.

1. Episcopos in Apostolis Doctores constitutos ab ipso Christo, non utique a Petro, aut Petri successoribus.

2. Do-

(a) Vid. Pag. ad an. 431. num. 41. & seqq. & Christ. Lupus in Schol. ad Epist. 38. Synodici. Tom. 7. Edit. Ven.

2. Docendi autoritatem, tam in ipsum Caelestinum, quam in ceteros Episcopos a Christo esse transfusam.

3. Omnibus traditum sacrae doctrinae depositum, cujus custodia penes omnes sit, communique adeo cura & consensione custodiendam fidem, neque defuturum Ecclesiarum Magistris Christi veri Magistri praesidium.

4. Haec omnia firmari Apostolorum exemplo in Concilio de Legalium observatione Hierosolymis celebrato.

5. His omnibus effici, non in Petri solius, aut Successorum Petri sententia, sed in omnium consensione vim & quaestionis finem esse repositum.

ARTICULUS UNICUS.

Ad singulas hujus Capitis propositiones, breves quaedam observationes.

NOlo in praesentia in harumce propositionum sensum & veritatem inquirere, de quibus suo loco data opera disputabitur.

Interim circa primam propositionem observo, ita Episcopos (quocumque id sensu intelligatur) a Christo constitutos esse Doctores, ut tamen de illorum doctrinis atque sententiis judicandi, (quocumque numero fuerint Episcopi congregati) penes Romanum Pontificem sit facultas. Ita enim Caelestinus ipse in suo ad Legatos Commonitorio: ***Ad disceptationem si fuerit ventum, vos de illorum sententiis judicare debetis***: contra vero Pontificis Romani doctrina sit forma sit regula, nullius obnoxia judicio, ***vos de illorum sententiis judicare debetis, non subire certamen***; sed juxta quam judicare ac docere Episcopi debeant. Hinc Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus Act. II. ***Apostolica & Sancta Sedes Caelestini .... sententiam regulamque praescripsit***, *quam nos quoque secuti* . . . . ***formam illam executioni mandavimus, Canonicum Apostolicumque judicium in illum proferentes***.

Circa secundam propositionem pariter observo, quod quocumque modo Episcopi a Christo Domino docendi acceperint facultatem; unus tamen Romanus Pontifex, quemadmodum in eadem Actione II. Philippus Legatus ait, ***totius fidei Caput*** constitutus est; ac propterea Patribus gratulatur, quod huic ***Sancto Capiti*** se ipsi suis vocibus veluti ***sancta membra*** conjunxerint. Porro naturalis ordo requirit, non ut a membris caput, sed a capite membra dirigantur, eorumque actus probentur. Hinc Theodotus Ancyranus Episcopus in eadem Actione: ***Justam esse Sanctae Synodi sententiam manifestavit universorum Deus per literas Caelestini***. Nempe id argumento est, sancte justeque esse aliquid in Synodis constitutum, si a totius fidei Capite Ecclesiae membra non discrepent.

Quod pertinet ad tertiam propositionem; fatemur quidem, omnium Episcoporum esse, ut quemadmodum Timotheum Apostolus monet, fidei depositum custodiant. Attamen Episcopos etiam in Synodo congregatos muneri suo posse deesse, & traditum sibi depositum prodere ac violare, Caelestinus aperte significat, quum Legatos ad Oecumenicam Synodum destinatos monet; ***quod si transactam Synodum, & redisse omnes*** *Episcopos* ***viderint; requirant***, *qualiter fuerint* ***res finitae. Si pro antiqua fide Catholica res gestae sunt...Si aliter actum est &c.***

Con-

Contra *Petrus Apostolorum Princeps & Caput*, *qui semper in suis Successoribus vivit*, ita depositum custodit, ut illud prodere nequeat, quum sit ipse, qnemadmodum Philippus Legatus ait, *fidei columna*, *& Ecclesiae Catholicae fundamentum*.

De quarta propositione ad sextum hujusce libri caput latissime disputatum est. Quare id in praesentia tantum observo, atque iterum ingero, quod *Petrus Apostolorum Princeps & caput*, *fideique columna*, *& Ecclesiae Catholicae fundamentum*, qui de Legalium observatione in Hierosolymitana Synodo judicavit, *ad hoc usque tempus*, *& semper in suis successoribus vivit*, *& judicium exercet*. Porro Petro in Hierosolymitana Synodo de Legalibus judicante, *tacuit omnis multitudo*, nec ejus judicio quisquam refragari ausus est: Paulus autem, & Barnabas, & Jacobus judicium Petri neutiquam retractarunt, sed illud tum rerum gestarum narratione, tum Scripturarum oraculis confirmarunt. Hanc itaque formam, hoc exemplum sequi Episcopos volumus, quum idem Petrus in suis successoribus adhuc vivens judicium de fidei rebus exercet.

De quinta propositione quod saepius dictum est, iterum breviter dico: potuisse Petrum, quemadmodum & quinta Synodus docet, sola sua auctoritate quaestionem de Legalibus terminare: quidni ergo in suis successoribus adhuc vivens, & judicium exercens, cuilibet controversiae, quae de fide exoriatur, finem imponere valeat, & silentium refractariis indicere? ac proinde, quemadmodum Hierosolymitanae Synodi celebratio argumento non est, quod quaestionem de Legalibus solus Petrus terminare nequiverit: ita nec Synodorum generalium convocatio argumento esse debet, quod aliae de fide quaestiones nequeant solius Petri per suos successores judicio terminari.

CAPUT XV.

„ Chalcedonensis Concilii Quarti Ge-
„ neralis acta proponuntur: refe-
„ runtur ea, quae antecesserint:
„ ex his demonstratur, etiam in
„ fidei causis, post Romani Pon-
„ tificis judicium, a tota Ecclesia,
„ ipsoque Romano Pontifice, ple-
„ nius, ac majus, jamque irrefra-
„ gabile judicium exspectari.

EX his, quae Chalcedonensem Synodum praecesserunt, tria colligit Illustrissimus Gallicanae Declarationis propugnator.

„ Primum quidem, in fidei quae„ stionibus non semper necesse esse „ Synodum Oecumenicam convocari.

„ Tum illud, post rem a se judi„ catam non refugi a Leone, tanto „ Pontifice, judicium, si causa ido„ nea sit.

„ Denique si Synodus habeatur, „ *pleniore judicio* errorem aboleri, & „ quaestionem a Sede Apostolica, *com*„ *muni* cum Episcopis *sententia* finiri „ oportere. Quo quidem plenum il„ lud a nobis saepe memoratum con„ sensionis robur agnoscit.

Haec itaque tria totidem sequentibus Articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Nec Synodum Ephesinam secundam, neque Chalcedonensem absolute fuisse ad profligandam Eutychetis haeresim necessarias.

QUod pertinet ad Synodum Ephesinam, quae Dioscori tyrannide praedatoria & latrocinalis effecta est, nullam fuisse ejus convocandae necessitatem, manifeste testantur S. Flaviani Episcopi Constantinopolitani & Leonis Magni Romani Pontificis litterae. Nota sunt enim, quae hac de re tum S. Flavianus ad laudatum Leonem, tum Leo ipse ad Theodosium Imperatorem scripserunt. Damnato in Constantinopolitana Synodo Eutyche, S. Leonem Flavianus hortatur, [a] ut *propriam faciens communem caussam, & Sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam & per propria scripta dignetur; confortare autem & piissimi, & Christo deditissimi Imperatoris fidem. Caussa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim haeresis, quae surrexit, & turbae, quae propter eum factae sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimae turbentur Ecclesiae.* Potuitne Sanctus Episcopus disertius significare, potuisse suscitatam ab Eutyche controversiam solis Romani Pontificis litteris terminari, turbasque omnes sola ipsius auctoritate compesci; nec opus fuisse universali Concilio, ut ea quae turbata erant ad tranquillitatem & pacem revocarentur?

Acceptis Flaviani litteris rescripsit Leo celeberrimam illam totoque orbe notissimam Epistolam, quam postmodum Chalcedonensis Synodus & universa Ecclesia ut immobilem & irreformabilem Catholicae fidei regulam amplexa est. Hac autem tam plane tam lucide Incarnationis Mysterium sese exposuisse intellexit, ut quamquam primum de Synodo intra Italiam cogenda ad Imperatorem scripsisset [b] ab ea tamen deinceps abstinendum fuisse, ut mox videbimus, judicarit.

„ Et his quidem, *ut ipse Bossuetius* „ *fatetur*, quaestio finiri potuit, nisi „ ea incidissent, quae ad Synodum „ Epehesi convocandam, Imperato- „ rem Theodosium impulerunt; eum, „ qui Ephesi jam primam illam sub „ Caelestino & Cyrillo indixerat.

Imo & reapse, Flaviani judicio, finita erat, qui, ut jam vidimus, ad eam finiendam nullo generali Concilio, sed solius Romani Pontificis Apostolicis litteris opus esse judicabat; nec Theodosii levitas, qua se facile ab Eutyche, Dioscoro, & duobus Eunuchis suaderi permisit ad Synodum indicendam, efficere potuit, ut dubia, & retractabilis statim evaderet fidei definitio, quae vi sua immobilis erat, & ineluctabilis firmitatis.

Quamquam, etsi Ecclesiae consensum ad conciliandam Pontificis Romani decretis irretractabilem auctoritatem,

(a) 1, Par, Conc, Chalced, Epist, V.

(b) Epist, IX. ad Theodos. T. IV. Concil.

tem, cum Gallis Theologis requiramus; hîc tamen aut jam habebatur, aut facile haberi poterat, antequam secunda Ephesina Synodus indiceretur. Et quidem de Occidentalium consensu ambigendum non erat, quoniam, ut in Capite superiori ex S. Cyrillo [a] demonstravimus, *nunquam* illi, quemadmodum & Episcopi Macedoniae, ab Ecclesiae Romanae *sententia decedere solebant*. Id quod etiam persuasum habens S. Flavianus, Eutychis damnationem statim post Constantinopolitanum Concilium Leoni significabat, rogabatque ut per eum Episcopis Occidentalibus innotesceret, quo ipsi etiam ab haeretici hominis communione abstinerent [b]: *Sanctitas Vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub Beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam conjunctionem loquantur*. Eademque fiducia fretus Sanctus ipse Leo, quod videlicet nemo ex Occidentalibus ab ejus sententia dissensurus esset, etiam antequam Gallorum Episcoporum litteras, quibus Epistolam ejus ad Flavianum *ut Symbolum fidei* se recepisse testati sunt, accepisset, ad Orientales scripserat, unam esse omnium Occidentalium fidei confessionem [c]: *Quod ergo sicut caussa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxistis, multa exsultatione gaudemus. Et merito nos cognoscimus, Fratribus & Coepiscopis nostris Orientalibus intimasse, quod secundum Evangelicam & Apostolicam traditionem de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, una esset omnium nostrum & indiscreta confessio*. De Orientalibus quoque Antiocheni tractus Episcopis an in damnationem Eutychianae haeresis consentirent, non est cur dubitemus. Nam Domnus Antiochenus Episcopus, uti Facundo Hermianensi lib. XII. cap. ult. traditum est, *Eutychi Apollinaris Haeresiarchae impietatem renovare tentant, primus restitit ad Imperatorem Theodosium scribens*. Epistolae hujus ad Theodosium conscriptae fragmentum idem Facundus refert lib. VIII. cap. V. ubi eam Synodicam vocat, aitque, fuisse eamdem multorum Patrum testimonio munitam: *Nunc igitur Domni Antiocheni Synodicam memoremus Epistolam, qui ..... Imperatori Theodosio scribens &c.* Et infra: *Et ideo Domno Antiocheno cum multis Patribus attestante &c.* Ex quibus verbis aperte colligitur, Domnum Antiochenum in frequenti multorum Episcoporum Synodo Eutychem veluti haereticum, & impiae Apollinaris doctrinae instauratorem traduxisse. Sed inter Orientales Episcopos Theodoritus per haec tempora enituit, operamque suam ad exoriens monstrum cum variis Epistolis, tum Dialogorum libris praefocandum studiosissime contulit. Eutychetis damnationi in Synodo Constantinopolitana Flaviani triginta duo ex Thracia, Haemimonte, Scythia, & quamplurimis universae Asiae Provinciis Me-

M 2 tro-

(a) Epist. ad Johan. Antioch. 1. Par. Conc. Ephes. cap. 21.
(b) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. VI.
(c) Epist. LII. Tom. IV. Concil.

Digitized by Google

tropolitani & Episcopi subscripserunt: ejusdemque Synodi Acta in Orientem transmissa, a Domno Antiocheno aliisque Episcopis signata sunt. Nec dubium quin eadem Flavianus ad alias quoque totius Christiani orbis praecipuas Ecclesias transmiserit; nec, praeter Dioscorum aut aliquot fortassis Aegyptios, ante Ephesinum latrocinium reperire est, qui refragari ausus sit, aut qui Eutychis caussam aperte propugnandam susceperit. Quare juxta ipsos quoque Parisienses Theologos nihil deerat Pontificis adversus Eutychem decreto ut irretractabilem haberet auctoritatem. Merito proinde Magnus Leo in eamdem cum Flaviano sententiam conveniens rescripsit [a] *rem, de qua agitur, nequaqnam Synodali indigere tractatu*: Et ad Theodosium Imperatorem [b]: *Quum tam evidens fidei caussa sit, rationabilibus caussis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum*.

Attamen Imperatore Synodum expetente, sapientissimus Pontifex, ut Synodus celebraretur, indulsit, quae, ut omnibus notum, infelicem exitum nacta est, & in apertum latrocinium descivit. Quare ad sananda vulnera tum Fidei, tum Ecclesiasticae disciplinae in Ephesina Pseudo-synodo inflicta, aliam Synodum quodammodo necessariam, idem Pontifex judicavit. Extant ea de re plures cum ab ipso Leone ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad Flavianum, ad Clerum & Populum, & ad Monachos Constantinopolitanos, ac deinde ad Marcianum; tum ipsius Leonis rogatu, a Valentiniano, & Galla Placidia, & Eudoxia ad eumdem Theodosium conscriptae Epistolae (c), ex quibus emicat ardens studium, quo Leo tenebatur, ut generale Concilium ex universo orbe congregaretur, quo illata Religioni damna resarcirentur. Cujusmodi autem esse deberet Synodus, quae a Sanctissimo Pontifice expetebatur, & quamobrem illam aut necessariam, aut utilem judicaret, sequentibus articulis data opera disquiremus. Interim breviter observo, quod deinceps luculentissime demonstrabo, eam non fuisse Leone auctore inductam, ut edita ab ipso fidei definitio retractaretur, aut irreformabilem obtineret auctoritatem; quum, vel ipso Bossuetio fatente (d), Leonis Epistolam, etiam ante gestam Synodum totus Occidens, & Orientales plerique jam suscepissent, suaque subscriptione firmassent: atque ut ab ipso Leone proditum est (e), verae fidei *sacramento impie tunc a paucis imprudentibus obviabatur*. Quis autem dixerit, paucorum imprudentium repugnantia fieri, ut Romani Pontificis decretum totius Occidentis & plurium Orientalium consensione & subscriptione firmatum e summo auctoritatis vertice detrudatur? non ea profecto est, ut saepe jam diximus, Gallorum Theologorum & Episcoporum opinio. Sed de hac re est jam nobis data opera disserendum.

A R-

(a) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XVI.
(b) Ibidem Epist. XVII.
(c) Ibid. Epist. XVII. & seqq. & Tom. IV. Conc. Ep. XLII. & seqq.
(d) Infra cap. XVII.
(e) 1. Part. Concil. Chalced. Epist. XIX.

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

Noluisse Leonem, fidei caussam veluti dubiam & incertam in Chalcedonensi Synodo retractari,

Alterum, quod in praesenti Capite colligit Bossuetius, illud est, post rem a se judicatam non refugisse Leonem tantum Pontificem novum judicium, quo omne jam dubium tolleretur; nec modo judicium, verum & examen, & inquisitionem [a], quo res a Pontifice definita velut adhuc in medio posita retractaretur: quae quidem omnia perspicuis ac luculentis ipsius Magni Leonis testimoniis apertissime refragantur: Nihil enim ab ejus mente magis alienum, quam ut ad examinandam retractandamque fidem ab ipso jam definitam, Synodus cogeretur. Qua de re haec ad Marcianum Augustum a Sancto Pontifice scripta sunt (b). *Aucta igitur per Imperialem amicitiam spe caelestis auxilii, confidentius pietatem vestram pro sacramento salutis humanae incitare praesumo, ne cujusquam procaci impudentique versutia, quasi de incerto quid sequendum sit, sinatis inquiri. Et quum ab Evangelica Apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat diffidere, aut aliter de scripturis divinis sapere, quam Beati Apostoli & Patres nostri didicerunt, atque docuerunt, nunc demum indisciplinatae moveantur & impiae quaestiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus Sanctus exstinxit. Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur; tamquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, & utrum impie Dioscorus judicarit, qui in sanctae memoriae Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, ut in eamdem ruinam provolverentur, impegit, quorum multis jam (ut cognovimus) ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cujusmodi sit fides tenenda, tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Unde piissimae sollicitudini vestrae, quam de inducenda Synodo habere dignamini, per legationem, quae confestim ad Clementiam vestram, Deo annuente, perveniet, quidquid ad caussae utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur.* Ex quibus verbis luculenter apparet, 1. noluisse S. Leonem suum de fide judicium in Synodo retractari. 2. nec illud disceptari voluisse, an impie in Ephesino Latrocinio Dioscorus judicarit. 3. id tantum fuisse in Synodo disceptandum, quomodo Lapsis subveniendum esset, si ad Ecclesiae pacem advolassent. 4. hac etiam de re suam sese voluntatem Imperatori per Legatos demonstraturum, quam, ut deinceps videbimus, formam quoque & regulam esse voluit, juxta quam Oecumenica Synodus judicaret.

Longe etiam majori ardore ac sollicitudine examen de fidei dogmate & inquisitionem vetat Epistola sequente ad

(a) Ut sup. cap. XVII.
(b) Epist. XLII. Tom. IV. Concil.

ad eumdem Imperatorem ; *Unde*, inquit, *per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum qui, Regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro Clementiam vestram, ut in praesenti Synodo fidem, quam Beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam praedicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari; & quae olim sunt majorum auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari: Illudque potius jubeatis, ut antiquae Nicaenae Synodi constituta, remota Haereticorum interpretatione permaneant.*

Eadem pari studio rursus inculcat in aliis ad eumdem piissimum Augustum literis: (a) *Quamvis nimis arctus dies Synodo fuerit constitutus, spero tamen adfuturum Omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad praefinitum tempus occurrere, & unanimiter cum Sanctae Fraternitatis adsensu, quae universali Ecclesiae congruant, definire. Compressa enim vel remota inquietudine ac pravitate paucorum, facile firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam Evangelicis & Apostolicis praedicationibus declaratam, per antiquos, Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus disputatione cujusquam retractationis admissa, ne per vanam fallaciamque versutiam aut infirma videantur aut dubia, quae in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura; hoc nobis indesinenter orantibus, ut a Sacramento singularis fidei nemo inveniatur alienus, sed damnata impietate haereseos, nullum de perditione cujusquam Catholica Ecclesia sentiat detrimentum.*

Eadem scripsit Epist. LI. ad Pulcheriam Augustam, ubi & meminit litterarum, quas ad Calcedonensem Synodum per Legatos transmiserat; *quibus*, inquit, *Fraternitas advocata cognosceret, quam formam servare in hac dijudicatione deberet: ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut Canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret. Sicut enim a principio hujus caussae frequentissime scripsi, hanc inter discordes sensus, & carnales aemulationes moderationem volui custodiri, ut integritati quidem nihil evelli, nihil liceret apponi, ad unitatem vero pacemque redeuntibus remedium veniae praestaretur.* Et infra: *Et quamvis incommutabiliter inimicissimam Christianae Religioni haeresim detestemur; ipsos tamen* (haereticos) *si corrigantur, & digna se satisfactione purificent, ab ineffabili misericordia Dei non judicamus alienos.*

Eadem denique ipsi etiam Calcedonensi Concilio commendat ac praecipit: (b) *In his Fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestrae Fraternitas existimet praesidere, non abjuncta a vobis praesentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jamdudum in fidei Catholicae praedicatione non desum: ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi*

(a) Ubi sup. Epist. L.
(b) Epist. XL. 1. Par. Conc. Chalced.

sendi quod non licet credi ; quum secundum Evangelicas auctoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissime & lucidissime per literas, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.

Quae hactenus ex Leonis Epistolis descripta sunt, adeo perspicua esse videntur, ut neque verba occurrant, quibus disertius ac manifestius suam potuerit Sanctissimus ac disertissimus Pontifex mentem aperire, suumque hac de re sensum efferre. Quare satis mirari nequeo, quî potuerit eruditissimo Praesuli excidere, non renuisse Leonem, tantum Pontificem, post rem a se judicatam instaurari judicium, omniaque rursum ad examen & inquisitionem velut adhuc ambigua & in ancipiti posita revocari.

ARTICULUS III.

Quo sensu dixerit S. Leo, post rem a Sede Apostolica judicatam, pleniore judicio errorem in Synodo aboleri ; & quaestionem communi cum Episcopis sententia finiri oportere.

ORitur haec difficultas, quae tertium hujusce Capitis argumentum complectitur, ex iis, quae in duobus praecedentibus Articulis sancita sunt. Si enim ad profligandam Eutychianam haeresim, Synodo generali opus absolute non fuit ; nec res semel a Pontifice definita in Oecumenico Concilio retractanda erat ; quomodo Synodi judicium *plenius* ab ipso Pontifice dicitur ; & Synodum convocari oportere, ut quaestio *communi* cum Episcopis & *irretractabili sententia terminetur* ? Id vero Sanctus Leo non uno in loco disertissime docet [a].

Ut haec difficultas de medio tollatur, ac penitus evanescat, recolendum est, quod est jam nobis haud semel animadversum, duplicem institui posse de fidei rebus inquisitionem : Aliam nimirum ad eruendam veritatem, quae adhuc lateat : aliam vero, ut veritas, quae ex tenebris prodiit, novis splendoribus decoretur : seu, prior inquisitio instituitur, ut res ex dubia certa reddatur ; altera vero, ut ex omnino certa certior evadat : Prior necessaria est, ut veritatem adsequamur ; altera vero, utilis est, & quodammodo necessaria, ut eam vel pervicacibus, ac lumini rebellibus ingeramus. Illa jure requiritur, antequam certa de aliquo dogmate sententia proferatur ; haec autem ex quadam indulgentia quandoque permittitur, ut suavius infirmis & imperitis hominibus consulatur.

Itaque de priore inquisitione & examine loquitur Sanctus Leo, quum negat, Synodum esse necessariam, ut haeresis Eutychiana damnetur ; & & quum vetat, rem semel a se definitam in Synodo retractari. De altero vero inquisitionis genere loquitur in locis mox referendis & enucleandis, quibus hunc docet esse generalis Concilii fructum & effectum, ut *pleniore judicio* error aboleatur ; & quaestio de fide *communi* cum Episcopis ea-

(a) Epist. XXI. ad Pulch. 1. Par. Conc. Chalced. Epist. LXIII. ad Theodoret. & alibi.

eaque *irretractabili sententia* terminetur. Igitur demonstrandum est, in iis omnibus locis, quae nobis objiciuntur, aut objici possunt, haud eam esse permissam a Sanctissimo Pontifice inquisitionem, aut rei definitae retractationem, qua haec velut adhuc dubia firmaretur, aut in tenebris delitescens in apertam lucem produceretur; sed eam tantum, qua res omnino firma & immobilis amplius confirmaretur, ac *lucidissime & plenissime* exposita nova luce perfunderetur; idque haud jure fuisse debitum, sed Pontificis indulgentia & benignitate concessum. Inde autem elucescet, quo sensu Pontificis cum Synodo judicium *plenius* esse dicatur; & quaestio communi cum Episcopis sententia terminata, omnino irretractabilis judicetur.

Ad Julianum Episcopum Coënsem haec scribebat Leo, quum jam Secunda Ephesina Synodus esset indicta. (a) *Postquam gestorum ad nos Episcopalium* [loquitur de Gestis Concilii Constantinopolitani sub Flaviano] *documenta perlata sunt, omnia illa, quae fallacium quaerelarum velamine tegebantur, quam essent detestanda, patuerunt. Et quia Clementissimus Imperator pro benevolentia ac pietate animi sui, de statu hujus, qui ante honorabilis videbatur, diligentius voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit Episcopale Concilium, per Fratres nostros Julianum* (Julium) *Episcopum, & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Diaconem Hilarium, & quos ex latere meo vice mea misi, ad fratrem nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causae scripta direxi, quibus & vestra dilectio, & Ecclesia universa cognoscat, de antiqua & singulari fide, quam indoctus Impugnator incessit, quid divinitus traditum teneamus, & quid incommutabiliter praedicemus. Quia tamen non debemus partes miserationis omittere, congrua moderatione credimus sanciendum, ut si condemnatus Presbyter plena satisfactione corrigitur, sententia, qua obstrictus est, relaxetur. Si vero in eodem insipientiae suae luto jacere delegerit, statuta permaneant, & cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem*. Annuit Leo, Eutychis caussam diligentius judicari, non equidem quod Synodale examen insano homini deberetur; quum neque lateret quid de Christi Incarnatione certa esset fide tenendum, neque ambigeretur, eam fidem ab indocto Presbytero violari: sed quia pro benevolentia & pietate animi sui id expetebat Imperator; & quia sententiam in Eutychem latam relaxari cupiebat Pontifex; non ea tamen conditione si forte innocens reperiretur; verum, si forte illius pervicacia Synodi auctoritate perfringeretur; ac plena satisfactione corrigeretur.

Eadem clarius ac luculentius exponit in Epistolis ad Theodosium, ad Pulcheriam, & ad Ephesinum Concilium per suos Legatos transmissis. Ita enim scribit ad Theodosium. (b) *Unde licet Eutyches (quantum gestorum Episcopalium ordo patefacit) imperite atque imprudenter errare detectus sit, debueritque a sua merito reprobabili persuasione discedere: quoniam*

(a) Epist. XIX. Tom. IV. Concil.
(b) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. X.

Digitized by Google

niam tamen Pietas vestra ...... apud Ephesum constituit Synodale Concilium, ut imperito seni ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat; Fratres meos Julianum (Julium) *Episcopum &c. misi qui ad vicem praesentiae meae pro negotii qualitate sufficerent & qui eum secum deferrent justitiae & benignitatis affectum; ut quia dubitari non potest, quae sit Christianae confessionis integritas; & totius erroris pravitas damnaretur, & resipiscens qui deviaverat, si pro venia supplicaret, Sacerdotalis ei benevolentia subveniret; quum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret, quidquid nostra sententia de his, quae male senserat, improbasset. Quid autem Catholica Ecclesia universaliter de Sacramento Dominicae Incarnationis credat & doceat, ad Fratrem & Coepiscopum nostrum Flavianum plenius continent scripta, quae misi.* Itaque Concilium, Leone judice, non eo erat indictum, ut fidei veritas adhuc latens e tenebris erueretur; ut quid de Sacramento Incarnationis ac duabus in Christo naturis tenendum esset, inquireretur; ut in quaestionem adduceretur, an Eutyches erraret, & an recte Leo in sua ad Flavianum Epistola fidem exponeret: sed ut imperito seni veritas inotesceret, & errorem suum agnoscenti venia concederetur.

Nec minus luculenta sunt, quae per eosdem Legatos ad Ephesinum Concilium destinatos Sanctus Pontifex duabus Epistolis (a) ad Pulcheriam scribit Augustam, unde, ne in immensum opus excrescat, haec tantum pauca decerpo: *In his Fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum ceteris, qui adfuerint, aestimate; quibus secundum caussam, satis mihi & gestorum serie, & ipsius de quo agitur professione patefactam* EVIDENTER ET PLENE *quid sentiendum esset, ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostrae, quae* MINUS LUCIDE DECLARATA SIT, *quaeritur; sed hoc stolidissima insultatio audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia sua neminem sexus utriusque voluit ignorare..... Et ideo pro vestrae pietatis consuetudine elaborare dignemini, ut quod contra singulare Sacramentum salutis humanae blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur: ac, si ipse qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita ut per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem, communio ei sui ordinis non negatur. Quod etiam Sancto Flaviano Episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat; ut caritas non negligatur, si error aboletur.* Quocumque sensu Concilii generalis dixerit *plenius* judicium, inde profecto consequens nulla ratione est, quod ipse rem totam minus evidenter, & plene, ac dilucide judicaverit; quum id sese cumulatissime praestitisse disertis verbis adfirmet. Proinde Synodo opus non erat, ut fides plene evidenter ac lucide declararetur; nec deliberandum erat, an in errore Eutyches versaretur, verum id unice agendum, ut indoctus Senex instrueretur, & blasphemias revocaret, quas Leo credere potius volebat ex incauta stolidaque simplicitate, quam ex versutia & calliditate prolatas.

Nec minus diserte suam Sanctus Pon-

(a) Epist. XI. & XII. ubi sup.

Pontifex mentem aperit in Epistola ad Synodum Ephesinam [a]: *Nimis autem*, inquit, *a compage hujus aedificationis* [qua nimirum Ecclesia supra Petrum fundata & aedificata est] *alienus est, qui & Beati Petri confessionem non capit, & Christi Evangelio contradicit; ostendens, se nullum unquam studium cognoscendae veritatis habuisse, & superfluo honorabilem visum, qui nulla maturitate cordis ornavit canitiem senectutis. Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri; Fratres vestros Julianum Episcopum &c. misi, qui vice mea Sancto Conventui vestrae Fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quae Domino sint placitura, constituant: hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur; si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus haereticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque propria voce & subscriptione damnaverit: quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens, per omnia nostram secuturum se esse sententiam. Acceptis autem Fratris & Coepiscopi nostri Flaviani literis, plenius ad eum de his, quae ad nos videtur retulisse, rescripsimus, ut abolito hoc, quo inquinatus* [melius veteres libri, inquit Baluzius, *qui natus*] *videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum una sit fides, una eademque confessio*. Plura in his verbis notanda sunt, ex quibus aperte colligitur quam nullo jure hoc Sancti Pontificis loco Bossuetius utatur, quo Sedis Apostolicae de fide judicia Concilii universalis veluti pleniore judicio retractari ac reformari posse demonstret. Quum tamen si locus intime perpendatur, inde Romani Pontificis inerrantia, ejusque suprema & supra ipsum generale Concilium auctoritas apertissime demonstretur. Namque tam longe abest, ut auctoritatem suam, suumque de fide & de Eutychis persona judicium Magnus Leo Oecumenicae Synodi judicio & auctoritati subjiciat; ut suum potius de re utraque decretum formam & regulam esse velit, juxta quam sit a Patribus judicandum. Quare vult quidem, pleniore judicio errorem aboleri, & communi cum Episcopis sententia quae Deo sint placitura constitui; non tamen dubitari sinit, an haereticis sensibus, & pestifero errori Eutyches sit implicitus, formamque ipse praescribit, juxta quam sit ad Ecclesiae pacem redintegrandus. Neque enim statuit, ut *primitus* quaeratur, an aliquo Eutyches errore detineatur; sed ut *primitus* pestifer ac nefarius error damnetur: neque decernit quid facto opus sit, si sese Euthyches ab omni errore intactum ostenderit; sed omnino vult, ut ab ipso haeretici sensus propria voce & subscriptione damnentur. Quod autem ad fidem pertinet, eam nequaquam veluti dubiam, & ipsius Synodi auctoritate retractandam proponit, sed veluti Principis Apostolorum ore prolatam, ipsiusque prorsus ineluctabili auctoritate munitam. Quapropter sub ipsum

(a) Ubi sup. Epist. XIII.

ipsum Epistolae initium ait: *Religiosa clementissimi Principis fides ..... hanc reverentiam divinis detulit Institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum, auctoritatem Apostolicae Sedis adhiberet; tanquam ab ipso Petro cuperet declarari, quod in ejus confessione laudatum sit &c.* Et infra: *Nimis autem a compage hujus aedificationis alienus est, qui & Beati Petri confessionem non capit, & Christi Evangelio contradicit &c.* Jure proinde meritoque doctissimus Thomassinus hanc eamdem Epistolam versans, haec in rem nostram animadvertit (*a*): „ Minime necessariam fuisse Synodum in „ re tam lucida, idem (*Leo*) alibi „ scribit. Sed confitetur hìc tamen, „ pleniore judicio Ecclesiam rursus „ uti posse: non quasi ancipitem con„ silii, & fidei incertam suae; non „ quasi Flaviani, nedum Leonis sen„ tentiam fortassis recantatura sit; sed „ pleniore judicum numero, & pom„ pa majore eamdem suam fidem „ sententiamque invariabilem & ir„ retractabilem promulgatura.

Hic ergo legitimus sensus est, juxta quem Oecumenicae Synodi judicium *plenius* quodammodo dici potest; quod nimirum majore cum pompa & solemnitate profertur; non autem, quod ratum, firmum, plenum irreformabile, & suopte jure etiam irretractabile non sit Sedis Apostolicae judicium, nisi ad illud Ecclesiae aut Synodi universalis consensus accesserit. Utile quidem quandoque esse, & perfringendae haereticorum obstinationi satis accommodatum, ut ab Episcopis in unum ex universo orbe congregatis communis in aliquam haeresim sententia proferatur; & concinentibus omnium vocibus innotescat, quod per *totum mundum*, ut ait S. Leo superius laudatus, *una sit fides, una eademque confessio*, haud equidem inficiamur. Verum in ipsius Apostolicae Sedis potestate & arbitrio positum esse dicimus, an ejusmodi in haereticos indulgentia & benignitate utatur; an potius suum decretum valere jubeat suo dumtaxat judicio & auctoritate munitum. Qua de re eumdem Cl. Thomassinum eodem loco num. XV. consentientem habemus: „ Quibus„ dam (*haeresibus*) opprimendis Ec„ clesia in Synodos Oecumenicas coa„ luit, non ipsorum haereticorum ar„ bitrio, sed suo: nec quia necesse „ erat, sed quia sibi expedire vide„ batur: nec juris rigore constricta, „ sed dispensatione tunc uti volens: „ nec quasi in dubio doctrinae anfra„ ctu alternatura, aut iteratae dispu„ tationis solum periclitatura; sed „ praejudicatam firmatura fidem, & „ eam totius corporis sui, & singu„ lorum membrorum, quasi lingua„ rum totidem vocibus personatura; „ ut jam longe inexcusabiliores sint, „ qui antea miserabile quidem, sed „ qualecumque tamen sibi de igno„ rantia patrocinium accersebant.

De eadem re eleganter quoque, hoc est, more suo differit Canus (*b*): „ Nec si Summus Pontifex firmus in „ fidei caussa judex est, Concilia fru„ stra coguntur. Primum enim, ut „ Capite superiore admonebamus, „ Ro-

(*a*) Differt. XII. in Conc. Chalcedon. num. XIV.
(*b*) Lib. V. cap. ult. in Resp. ad XI. argum.

Digitized by Google

„ Romanus Pontifex non temere & „ stulte, sed considerate atque sapien- „ ter habet fidei controversias defini- „ re; advocando scilicet Consiliarios, „ vel plures, vel pauciores, juxta „ rei, de qua differitur, gravitatem. „ Juvant enim Patres Concilii Sum- „ mi Pontificis fidem atque doctrinam „ ..... Ita enim divina procuratio in „ Ecclesiam se fundit, ut membra „ praecipua, tametsi a capite ipsa „ pendeant, caput tamen tueantur „ & juvent. Facit quoque Concilium „ plausibiliorem populo fidem, prop- „ ter acceptissima multorum testimo- „ nia atque judicia. Nam & leges, „ quae communi Optimatum consensu „ & rogantur & feruntur, libentius „ populus accipit, quam si a Rege „ solum ederentur. Itaque ut tota vis membrorum in capite, tota Senatus auctoritas in Principe, & tota pote- stas exercitus in Duce continetur; sed in membris, in Senatu, & in exerci- tu, quum ad ipsos promanat, magis funditur & explicatur, & majore ut plurimum impetu hominum incitat ac permovet sensus: sic tota Ecclesia- sticorum judiciorum vis & auctoritas, ut deinceps luculentius ostendemus, in summo universae Ecclesiae Pastore & Capite quodammodo continetur; sed in universo corpore magis funditur, exeritur, & explicatur, & majores impetus habet ad infirmorum animos permovendos, & in unam eamdem- que sententiam pertrahendos, in ea- que firmandos & continendos. Id quod etiam sequentibus verbis luculenter explicat superius laudatus Thomassi- nus (a): „ Ne digladiemur, major „ Synodo Pontifex, vel Pontifice „ Synodus Oecumenica sit. Sed „ agnoscamus, succenturiatum Syno- „ do Pontificem, seipso majorem es- „ se: truncatam Pontifice Synodum, „ se ipsa esse minorem. Ita non exer- „ citus major est Duce, sed succinctus „ exercitu suo Dux, seipso major est; „ divulsus a Duce exercitus, se ipso „ minor, & nec exercitus est, sed „ palantium dissipatus grex, vel gras- „ santium cuneus. Ita Ecclesia velut „ castrorum acies ordinata in Syno- „ do, *exercitus sui facultate conspe- „ cta ipsam se plenius cognoscit*. Quae „ si se capiti suo abscindat & collidat, „ utique minor, & capite minuta de- „ crescit „. Quod factum in praeda- toria Synodo Ephesina; quae propte- rea praedonum cuneus, & latrocinium effecta est.

CAPUT XVI.

„ In Chalcedonensi Concilio duo ad „ rem faciunt: alterum, Dioscori „ Patriarchae Alexandrini (depo- „ sitio); alterum examen Episto- „ lae Leonis: hic de Dioscoro: „ Demonstratur, in causis, quae „ universalem Ecclesiam spectant, „ in ipsa consensione vim summam „ & indeclinabilem esse repositam.

„ NOtum est omnibus (inquit Cl. „ Declarationis Defensor) Chal- „ cedonem sexcentos atque amplius „ Episcopos convenisse. Paschasinus „ & Lucentius Episcopi Leonis vice „ Sanctae Synodo praesidebant: dati „ ab Imperatore Judices, qui actio- „ nem

(a) Ubi sup. num, XXIX.

„ nem regerent, turbas compesce-
„ rent, quaestionem de fide, & Ec-
„ clesiastica omnia in Synodi potesta-
„ te ac judicio relinquerent.

„ In ea vero Synodo, quae ad rem
„ nostram faciunt, duo sunt; primum
„ Dioscori depositio; alterum senten-
„ tia Synodi de Leonis Epistola com-
„ probanda.

Verum antequam de his duobus cum Illustrissimo Praesule differamus, libet paullulum immorari in iis enucleandis, quae ad instaurandas Ecclesiae res per impium Dioscorum in Ephesina Pseudo Synodo labefactatas, per Magnum Leonem auctoritate Apostolica gesta sunt; quum in iis summa Romani Pontificis potestas emineat a nullius Concilii generalis judicio & auctoritate dependens.

ARTICULUS PRIMUS.

In restituendis Ecclesiae rebus, quae fuerant per Dioscorum in Ephesina Pseudo-Synodo labefactatae, Magnum Leonem summam exercuisse, & a futurae Synodi judicio nullatenus dependentem auctoritatem.

Quum impius Dioscorus in Ephesino latrocinio per summum nefas & Apostolicae Sedis contemtum Eutychem absolvisset; Flavianum & Eusebium Dorylaeum damnasset, suisque Sedibus dejecisset; Epistolam Magni Leonis in Synodo legi vetasset, in ipsummet Leonem anathematis sententiam pronunciasset; denique plures Episcopos, ut suis sceleribus consensum praeberent, minis ac terroribus compulisset: Magnus Leo hisce statim occurrere nefariis ausibus, Apostolici esse muneris judicavit. Itaque, etsi sub quadam Synodi generalis imagine haec a Dioscoro perpetrata fuissent, eaque propterea nullo retractatui obnoxia Theodosius Imperator judicaret; attamen Leo nequaquam a profanae Synodi actis ad legitimam Synodum velut ad superiorem Judicem appellavit; quemadmodum ad ipsum Leonem Flavianus appellaverat: sed ipse suopte jure & auctoritate omnia rescidit; Eutychem, nisi prioribus erroribus damnatis, a nemine absolvi potuisse declarat; Flavianum & Eusebium Dorylaeum in sua communione indivulse retinet; neminem, qui in ejusdem Flaviani adhuc superstitis locum subrogatus fuisset, suae communionis participem futurum esse denunciat; Anatolium in ejus jam demortui locum suffectum non ante ad communionem admittit, quam suam ad Flavianum Epistolam propria subscriptione signaret; statuit vel ipsum Eutychem Ecclesiae pace donandum, si dato libello nefariam haeresim detestetur; Episcopos in exsilium ejectos, suisque Sedibus inique deturbatos, eisdem esse restituendos; qui autem vi metuque in Dioscori nefaria acta consenserant, si digna satisfactione culpam eluant, suis debere locis manere; denique qui praecipue cum Dioscoro auctores scandali fuerant, hos esse Sedis Apostolicae judicio reservandos. Ad haec, ut Synodus legitima celebretur, summa ope contendit; non quo ejusmodi decreta velut non satis firma, & absque Synodi auctoritate nutantia retractentur; sed ut iis universa Ecclesia obsequente, & in eadem publice ac solenniter consentiente, injuria reparetur, quae fuerat

Digitized by Google

rat Apostolicae Sedi in latrocinali Synodo illata.

Haec omnia variis ex Leonis Epistolis decerptis locis illustrari possunt. Dogmaticas Praesulum Romanorum Epistolas non eo ad Concilia generalia transmitti, ut a Patribus retractentur, verum ut juxta illas veluti fidei regulas de dogmatibus judicent, in suis ad Theodosium Imperatorem & Pulcheriam Augustam litteris Sanctus Leo luculenter aperteque significat; quum scilicet disertis verbis docet, ideo profanam Synodum omnia susdeque miscuisse, & ab avita fide immaniter aberrasse, quod hanc regulam nequaquam sequuta sit, imo ne ea Patribus proponeretur, Dioscorus prohibuisset. Jure autem meritoque Legatos Apostolicae Sedis fuisse in Synodo protestatos, se numquam iis consensuros, nec ullius unquam momenti ac roboris futura esse, quae praeter Leonis sententiam in ea Synodo gerebantur: (*a*) *Literis Clementiae vestrae, quas dudum ad Beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicae Fidei amore misistis, tantam fiduciam sumsimus defendendae per vos veritatis & pacis, ut in caussa tam simplici tamque munita, nihil putaremus posse exsistere quod noceret; praesertim quum ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum praecepistis, tam instructi sint missi ut si scripta, quae vel ad S. Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus, Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimae fidei, quam divinitus inspiratam & accepimus & tenemus, omnium concertationum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi aemulatio reperiret. Sed dum privatae caussae religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret .... Quod nostri ab Apostolica Sede directi adeo impium & Catholicae Fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli; constanterque in eadem Synodo, ut decuit, fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur, Sedem Apostolicam recepturam*. Et in Epistola ad Pulcheriam (*b*): *Et ii quidem, qui missi sunt .... reclamarunt in Synodo, sicut oportuit, unius hominis non tam judicio, quam furori protestantes, ea quae per vim metumque gererentur, Sacramentis Ecclesiae, & ipsi Symbolo ab Apostolis instituto praejudicare non posse; nec se ab ea fide ulla injuria separandos quam plenissime expositam atque digestam, a sede Beati Apostoli Petri ad Sanctam Synodum detulissent: Cujus cum recitatio poscentibus Episcopis non sit admissa .... generatio Jesu Christi secundum carnem, & verae mortis ac Resurrectionis ejus confessio, (quod horremus dicere) solveretur*. En quo praeceps agitur Synodus ex universo fere orbe collecta, fidei regulam, & judicii formam ab Apostolica Sede praescriptam temere abjicit, aut non sibi ob oculos ponit. Quod si Romanorum Pontificum solennia de fide judicia jure in generalibus Synodis retractantur, imo ut inibi retractentur, eo per Legatos Dogmaticae ipsorum Epistolae deferuntur; temere

---

(*a*) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XIX.
(*b*) Ibid. Epist. XXI.

Digitized by Google

mere prorſus Leonis Magni Legati proteſtati in Synodo ſunt , numquam ſe ab ea fide ulla injuria ſeparandos , quam pleniſſime expoſitam atque digeſtam , a Sede Beati Petri Apoſtoli ad Sanctam Synodum detuliſſent . Quum potius ad Synodi judicium reſpicere debuiſſent ; non autem illo praejudicatam de Leonis litteris opinionem adferre .

Verum , quam forti animo Dioſcori auſibus ſe ſe Legati oppoſuerint , & non modo Leonis de ipſa Catholica fide , verum & de Flaviani perſona ejuſque religionis integritate judicium tutati ſint , unus eorum Hilarus Diaconus , his ad Pulcheriam verbis declarat (*a*) : *Verumtamen confidens de auxilio Chriſti , quod attinet ad damnationem Reverendiſſimi & Sanctiſſimi Viri , innocentem me integrumque ſervavi , licet nulla flagella , nulla tormenta me poſſent facere ejus conſentire ſententiae : ſed omnibus derelictis exinde diſceſſi , per incognita & invia loca Romam veniens , ut Reverendiſſimo Papae omnium , quae in Epheſo geſta ſunt , idoneus nuntiator exſiſterem* . Deinde eidem Auguſtae ſignificat , omnia a Leone reſciſſa reprobataque fuiſſe , quae perperam , & praeter Sedis Apoſtolicae ſententiam auſus Dioſcorus fuerat : *Veſtra itaque veneranda clementia cognoſcat , a praefato Papa , cum omni Occidentali Concilio , reprobari omnia , quae in Epheſo contra Canones , per tumultus & odia ſaecularia , a Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt ; & nullla ratione haec in his partibus ſuſcipi poſſe , quae per potentiam praedicti , non ſine laeſione fidei , & praejudicio Sanctiſſimi Viri innoxiique commiſſa ſunt* .

Quod ad Flavianum pertinet Eccleſiae communione ſuaque ſede injuſte dejectum , haec in variis Epiſtolis de illo Sanctiſſimus Pontifex ſtatuit . 1. Eidem Auguſtae ſignificat (*b*) , *quoniam Flavianus Epiſcopus in noſtra* , inquit , *omnium communione perſiſtit : atque hoc quod factum eſt ſine conſideratione juſtitiae , & contra omnium Canonum diſciplinam ratum haberi , ratio nulla permittit* . 2. Clero populoque Conſtantinopolitano denunciat (*c*), quod *quisquis incolumi atque ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro , Sacerdotium ejus auſus fuerit invadere , nunquam* , inquit , *in communione noſtra habebitur , nec inter Epiſcopos poterit numerari* . 3. Mortuo Flaviano laudatae ſaepius Auguſtae gratias agit , *quod reliquias* , inquit (*d*) , *Sanctae Memoriae Flaviani innocentis & Catholici Sacerdotis ad Eccleſiam , cui bene praefuit , feciſtis cum honore debito revocari* . 4. Eidem ſimiliter in eadem Epiſtola gratias agit , *quod* , inquit , *Sacerdotes Catholicos , qui de Eccleſiis ſuis injuſta fuerunt dejecti ſententia , reduxiſtis* : quod quidem auctore Leone factum eſſe , certa & explorata res eſt . Denique eidem in eodem loco ſignificat , *Fratrem* , inquit , *Coepiſcopum noſtrum Euſebium nobiſcum degere , & noſtrae communionis eſſe conſortem* , *cujus*

(*a*) Ubi ſupra Epiſt. XXIV.
(*b*) Ubi ſupra Epiſt. XXI.
(*c*) Ibid. Epiſt. XXII.
(*d*) Epiſt. XXXIX. Tom. IV. Conciliorum .

Digitized by Google

cujus commendamus Ecclesiam, quam dicitur vastare, qui illi injuste asseritur subrogatus.

Mortui Flaviani locum & Sedem Anatolius obtinebat; ejus autem electionem antequam probet Leo, eumque in communionem recipiat, quid illi praestandum sit, propria absolutaque decernit auctoritate; ut nimirum Epistolam ad Flavianum solenni subscriptione recipiat, ut Ephesinae Synodi gesta repudiet, & qui ipsius ad Flavianum litteris refragantur, eos a sua communione repellat: Ita enim scribit S. Pontifex ad Theodosium Imperatorem (a): *Catholicorum sententiis toto corde consentiat; ita ut sinceram communis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni Clero, & universa Plebe declaret; Apostolicae Sedi, & universis Domini Sacerdotibus, atque Ecclesiis publicandam..... Quia vero & nos, & Beati Patres nostri, quorum doctrinam & veneramur & sequimur, in unius fidei concordia sumus, sicut Provinciarum omnium protestantur Antistites; agat Clementiae vestrae devotissima fides, ut quamprimum ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debent probati & Catholici Sacerdotis, scripta perveniant, aperte scilicet atque dilucide protestantia, quod si quis de Incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat aut asserat, quam Catholicorum omnium & mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat; ut ei fraternam in Christo caritatem merito possimus impendere.* Et in Epistola ad Pulcheriam Augustam (b): *Simplex est absolutumque quod posco, ut remoto longarum disputationum labore Sanctae memoriae Cyrilli Alexandrini Episcopi Epistolae, quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat.... & Epistolae meae, quae ad Sanctae recordationis Flavianum Episcopum est directa, consentiat. Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus Antistes repudiandum sibi, quod ausa est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat: quia & mea, & Sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia & una confessio est. Quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se a compage Catholicae unitatis abscindet: quum tamen nos ut in integrum omnia revocentur, optemus.* Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, quas Caelestinus Pontifex & Synodus Ephesina probaverat, & suas ad Flavianum litteras, quas nondum ulla Oecumenica Synodus susceperat, eodem in censu collocat; utrarumque aequo jure exigit suceptionem, & qui hasce perinde ac qui illas contemserit, veluti pari scelere implicitos ab Ecclesiae Catholicae communione atque unitate repellit. Porro Anatolius neutiquam caussatus est, Leonis Epistolam, perinde atque illam Cyrilli, nondum fuisse ab Oecumenica Synodo retractatam, caussam nondum fuisse orbis adunati consensione finitam, debere omnia in suspenso manere ad usque Concilii Oecumenici celebrationem: nihil, inquam, horum Anatolius obtendit: sed, quemadmodum ab Augusta Leoni per litteras

(a) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XXXII.
(b) Tom. IV. Conc. Epist. XXXV.

Digitized by Google

tas significatum est, statim laudatam Epistolam Anatolius suscepit, eamque propria subscriptione signavit (*a*): *Sanctissimus ..... Anatolius ..... tuarum literarum Apostolicam confessionem complectitur .... & Epistolae similiter Catholicae fidei, quam ad Sanctae memoriae Flavianum Episcopum tua Beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit*.

De lapsis quoque in Ephesino Latrocinio variae in variis Epistolis a Magno Leone regulae praescriptae sunt. 1. Autem id generatim statuit in quadam ad Pulcheriam Epistola (*b*), *ut correctis, & quae male sunt facta, propria subscriptione damnantibus..... pacis gratia tribuatur: quia devotionis utrumque est Christianae, ut & pertinaces severitas justa coerceat, & conversos caritas non repellat*. 2. Hujusce decreti vim luculentius exponens in Epistola ad Anatolium (*c*), eos tantum in praesentia Catholicae communionis & pacis participes esse decernit, *qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri: ita ut digno prius anathemate, quae contra fidem Catholicam sunt recepta, damnantur. Ita ut non dubiis professionibus* [quemadmodum in alia Epistola id magis explanans ait] *Eutychem cum suo Dogmate, cumque consortibus suis anathematis exsecratione condemnent* (*d*). Quod vero ad alios communionis quidem Catholicae cupidos, sed, ut videtur, ad satisfaciendum segniores, statuit; *ut suarum interim Ecclesiarum sint communione contenti*. 3. in eadem ad Anatolium Epistola aliud in haec verba decretum exstat: *De nominibus autem Dioscori, Juvenalis, & Eustathii ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint; quodque honorandae Sancti Flaviani memoriae non repugnet, & a gratia tua Christianae plebis animos non avertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum eos, qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, Sanctorum nominibus sine discretione misceri; quum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia*. 4. De his eisdem aliisque, qui in Ephesina Pseudo-Synodo aut scandali auctores fuerant, aut in hac caussa gravius peccaverant, statuit, (*e*) *ut si forte resipiscunt, & a facti sui defensione cessantes in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, maturioribus Apostolicae Sedis consiliis reservetur; ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat, aestimetur. Neque prius in Ecclesia, cui te Dominus voluit praesidere, cujusquam talium* [*ut ante jam scripsimus*] *nomen ad altare recitetur, quam quid de eis constitui debeat, rerum*

(*a*) 1. Par. Conc. Chalcedon. Epist. XXXV.
(*b*) Tom. IV. Conc. Epist. XXXIX.
(*c*) Ibid. Epist. XL.
(*d*) Ibid. Epist. ad Anatol. XLVI.
(*e*) Epist. cit. ad Anatol.

Digitized by Google

rum processus ostendat. Denique praeter paucos illos, quos *auctores saevissimorum turbinum* in alia ad Pulcheriam Epistola appellat; quos tamen interim permittit, suas obtinere Sedes, & Episcopatus sui honore potiri, de aliis pene omnibus scribit jam eos fuisse juxta formam ab Apostolica Sede praescriptam Ecclesiae Catholicae reconciliatos (*a*): *Siquidem pene omnes, qui in consensum Praesidentium* (Ephesino Latrocinio) *aut traducti fuerant aut coacti; rescindendo quod statutum fuerat ab illis, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpae abolitionem, & Apostolicae Sedis gratiam sint adepti*.

Hoc itaque loco res Ecclesiae erant, antequam Synodus Chalcedonensis celebraretur: Eutychis haeresim ejusque Sectatores, Dioscori impietatem, Ephesi latrocinium pene omnes damnabant: Leonis Epistolae pene ab omnibus subscribebatur: denique pene omnes fuerant Ecclesiae Catholicae communi auctoritate ac benignitate Sedis Apostolicae restituti. Quid ergo, rebus ita compositis, necesse fuit, Oecumenicam Synodum celebrari? Attamen voluit Leo, ut propter paucos, qui adhuc reluctabantur, Synodus cogeretur; non quia necesse erat vel ad firmandam fidem, perinde atque adhuc nutaret, vel ad sanciendam disciplinam; verum quia & paucos illos cupiebat ab exitio benignissimus Pontifex revocare: ut scilicet, quemadmodum ipse scribit ad Marcianum Augustum (*b*), *compressa, vel remota inquietitudine ac pravitate paucorum ..... a Sacramento singularis fidei nemo inveniatur alienus: sed damnata impietate haereseos, nullum de perditione cujusquam Catholica Ecclesia sentiat detrimentum*. Quibus etiam accedit, quod quemadmodum superius est nobis animadversum, volebat Leo, injuriam per impiam & praedatoriam Synodum Sedi Apostolicae illatam per legitimam Synodum resarciri; & Dioscorum, qui in plenaria totius Orientis Synodo fuerat debacchatus, in Oecumenico totius Christiani orbis Concilio aut praeteritorum scelerum veniam demisse & cum lacrymis deprecari, aut debitam suis facinoribus damnationis poenam subire; ut nimirum, quemadmodum ait Gelasius, quaecumque in Apostolicae Sedis contemtum male gesta Synodus ausa fuerat, per bene gestam Synodum solverentur. Quamquam haec ipsa, quae in totius religionis perniciem in Ephesino latrocinio Dioscorus gesserat, jam antea Sedes Apostolica suopte jure, suaque dumtaxat auctoritate resciderat (*c*): *Sanctae memoriae Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit absolvit; potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae Sedis Praesulem sua auctoritate damnavit; & impiam Synodum non consentiendo sola submovit; ac pro veritate ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit*: id est, quum illa omnia sua tantum auctoritate Sedes Apostolica peregisset, in ejus voluntate & arbitrio

(*a*) Epist. LI. ad Pulcher. Tom. IV. Concil.
(*b*) Epist. LI. ad Pulcher. Tom. IV. Concil.
(*c*) Epist. XIII. ad Episcop. Dardan.

Digitized by Google

trio positum erat, ut ad haec ipsa iterum decernenda Chalcedonensis Synodus cogeretur.

ARTICULUS II.

Summam emicare Sedis Apostolicae auctoritatem in Dioscori per Chalcedonensem Synodum damnatione.

SUmma Romani Pontificis & Sedis Apostolicae potestas & auctoritas emicat in iis omnibus, quae in damnatione Dioscori gesta sunt, quae nimis jejune, ut quae ipsius caussae parum faverent, levique brachio Illustrissimus Defensor attingit.

Primum autem considerandum occurrit, quod statim sub ipsius Synodi initium, Paschasinus aliique Sedis Apostolicae Legati, Dioscorum, juxta Leonis praeceptum, non suo loco inter Episcopos velut judicem, & secundae Sedis Antistitem, esse permiserunt, sed veluti reum & judicandum sedere in medio Synodi compulerunt: *Paschasinus Reverendissimus Episcopus, & Vicarius Sedis Apostolicae, cum in medio una cum his viris Reverendissimis Collegis suis stetisset, dixit:* „ Beatissimi atque Apostolici Viri Papae „ urbis Romae quae est Caput omnium „ Ecclesiarum, praecepta habemus „ prae manibus, quibus praecipere „ dignatus est ejus Apostolatus, ut „ Dioscorus non sedeat in Concilio, „ sed audiendus intromittatur. Hoc „ nos observare necesse est. Si ergo „ praecipit vestra magnificentia, aut „ ille egrediatur, aut nos eximus. *Quibus Graece interpretatis, per Beronicianum virum devotissimum, & Secretarium Sacri Consistorii, gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt:* Quid enim specialiter ingeri„ tur Dioscoro Reverendissimo Epi„ scopo? *Paschasinus ..... dixit:* „ Quum intromissus fuerit, necesse est „ ut illi objiciatur. *Gloriosissimi Ju„ dices &c. dixerunt:* „ Ut jam in„ terfati sumus, caussa quae objici„ tur specialiter manifestetur. *Lucentius Reverendissimus Episcopus, & Vicarius Sedis Apostolicae dixit.* „ Judi„ cii necesse est eum dare rationem, „ quia quum personam judicandi non „ haberet, & Synodum ausus est fa„ cere sine auctoritate Sedis Apostoli„ cae, quod nunquam licuit, nun„ quam factum est. *Paschasinus vero ..... dixit:* „ Nos contra prae„ cepta beatissimi atque Apostolici „ Papae gubernatoris Sedis Apostoli„ cae venire non possumus, nec con„ tra Ecclesiasticas regulas, vel con„ tra Patrum instituta. *Gloriosissimi Judices &c. dixerunt:* „ Con„ venit, vos specialiter quod errave„ rit exponere. *Lucentius ...... di„ xit:* Non patimur, tantam inju„ riam nec vobis fieri, nec nobis, ut „ iste sedeat, qui judicandus advenit. *Gloriosissimi judices &c. dixerunt:* „ Si „ Judicis obtines personam, non ut Accusator debes prosequi. *Et Dioscoro religiosissimo Episcopo Alexandriae, secundum jussionem gloriosissimorum Judicum & amplissimi Senatus, residente in medio &c.* In quo Synodi loco illud potissimum animadvertere est, quod Legati Sedis Apostolicae nequaquam cum Patribus, aut cum Concilio deliberant, debeat, nec ne Dioscorus inter Episcopos residere: sed omnino & absolute volunt Leonis jussionem servari, ut ille in Concilio non

sedeat, sed audiendus intromittatur; minanturque se se exituros, nisi ille egrediatur: neque de hac re Pontificis praeceptum Oecumenicae Synodi consultationi & judicio subjiciunt; sed palam apertisque verbis declarant, ac solenniter protestantur, quod contra praecepta beatissimi Papae venire non possunt, nec contra Ecclesiasticas regulas, nec contra Patrum instituta; in quibus verbis Papae praecepta Ecclesiasticis regulis, in quibus praecipuum locum obtinent generalium Conciliorum Canones, anteponunt: neque Pontificis Romani decretis minorem, quam Synodorum generalium Canonibus auctoritatem tribuunt; quum illis perinde atque istis refragari sese nullatenus posse profiteantur. Deinde & illud animadvertendum, id unum hoc loco Dioscoro a Legatis objici, quod Synodum absque Sedis Apostolicae auctoritate *praesumsit* & ausus est facere; quod, inquiunt, nunquam licuit, nunquam factum est. Unde illud consequens est, Synodum Oecumenicam, ut legitima sit, ex Apostolicae Sedis auctoritate pendere: subindeque Concilium Romano repugnante Pontifice celebrare, audacis esse temeritatis.

Actione tertia quatuor adversus Dioscorum Sanctae Synodo libelli porriguntur; primus Theodori Diaconi Alexandrini, secundus Ischyrionis itidem Diaconi Alexandrini, tertius Athanasii ejusdem Alexandrinae Ecclesiae Presbyteri, quartus Sophronii: qui omnes hanc praeferunt inscriptionem: *Sanctissimo, ac Dei amantissimo, & universali Archiepiscopo, & Patriarchae magnae Romae Leoni, & Sanctae & universali Chalcedonensi Synodo.* Ille autem Athanasii Presbyteri praeter eamdem epigraphen, hanc etiam habet subscriptionem: *Miserabilis Athanasius Presbyter nominatissimae Alexandrinae Civitatis hos libellos porrexi Sanctissimo universali Archiepiscopo & Patriarchae Leoni, & Sanctissimo & universali Concilio Sanctorum Patrum & Episcoporum.* Ubi non solum animadversione dignum est, quod Leo seorsim a Synodo nominatur, verum etiam eidem universali Concilio veluti caput reliquo corpori Sanctissimus & universalis Archiepiscopus & Patriarcha praefertur; ea prorsus ratione, qua suos pro Christiana Religione libellos primum ac sejunctim Imperatoribus, deinde universo Senatui S. Justinus inscripsit. Quod quidem, ne temere & gratis jactare videamur, facit ipsamet Sacra Synodus, quae Leonem adloquens, illum sibi *sicut membris caput* [a], ac veluti Patremfamilias filiis, praefuisse testatur: *Sicut nos* CAPITI *in bonis adjecimus consonantiam, sic &* SUMMITAS TUA FILIIS *quod decet, adimpleat.*

Attamen potissimum consideranda venit, & cum omni adcuratione ac diligentia expendenda forma sententiae, quam Legati Sedis Apostolicae, & per eos universa Synodus adversus Dioscorum protulerunt. Eam hic primum integram repraesentabo, deinde aliquot in illam meas observationes subjiciam.

Quum Dioscorus ter vocatus judicio sese non sisteret, Paschasinum Leonis Legatum, Patrum de illo sententiam saepius rogantem, inter alios Julianus Epis-

(a) 3. Par. Conc. Chalced. cap. II.

Episcopus Hypaepensis sic affatur:

„ 1. Nunc vestra Sanctitas primatum tenet Sanctissimi Leonis ..... Petimus igitur vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum Sanctissimi Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnes enim, & tota universalis Synodus concors efficitur vestrae sanctitatis sententiae. *Paschasinus Episcopus dixit*: Iterum dico: Quid placet Beatitudini vestrae? *Maximus Episcopus magnae Antiochenae Civitatis dixit*: Quod videtur Sanctitati vestrae, & nos concordes efficimur.

„ 2. *Paschasinus Episcopus Lilybaetanus &c. & cum ipso Lucentius ..... & Bonifacius ..... tenentes locum Sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi Apostolicae Sedis magnae & senioris Romae Leonis, pronunciaverunt*: Manifesta facta sunt, quae a Dioscoro quondam Alexandriae magnae Ecclesiae Episcopo commissa sunt adversus sanctarum regularum ordinem, & Ecclesiasticam disciplinam, tam ex iis, quae dudum examinata sunt in priori consessu, quam ex iis, quae hodie acta sunt. Hic enim, ut plurima intermittamus, Eutychem similia sibi sapientem, & regulariter a proprio damnatum Episcopo, [id est, a Sanctissimo Patre nostro, & Archiepiscopo quondam Flaviano] praesumens sibi primatum, irregulariter in communionem suscepit, priusquam consideret in Epheso cum Dei amantissimis Episcopis.

„ 3. Sed illis quidem Apostolica Sedes veniam praestitit de iis, quae ibi non voluntarie ab eis gesta sunt, qui & hactenus permanserunt obedientes Sanctissimo Archiepiscopo Leoni, & omni sancto & universali Concilio: hujus gratia & in sua communione eos sicut confideles suscepit. Hic autem & hactenus permansit glorians in eis, pro quibus eum oportebat gemere, & se terrae prosternere.

„ 4. Super haec vero neque Epistolam legi permisit Beatissimi Papae Leonis scriptam ad Sanctae memoriae Flavianum, & hoc frequenter rogatus a Portitoribus recitari eam, & cum juramento fieri lectionem promittens, qua non lecta, scandalum & laesionem Sanctae Dei Ecclesiae per totum orbem terrae pertulerunt.

„ 5. Sed tamen talibus ab eo audacter commissis, deliberabamus, ut de priore sua pessima actione aliqua ei praestaretur clementia, sicut & ceteris Reverendissimis Episcopis, & iis, qui neque similem ei auctoritatem judicandi habuerunt.

„ 6. Sed quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit; [praesumsit enim & excommunicationem dictare adversus Sanctissimum & beatissimum Archiepiscopum magnae Romae Leonem:] insuper etiam multi Libelli .... contra eum .... oblati sunt &c.

„ 7. Unde Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnae & senioris Romae Leo per nos, & per praesentem Sanctam Synodum, una cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicae

„ Eccle-

Digitized by Google

„ Ecclesiae, & rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni sacerdotali ministerio ostendit alienum.

Summae, & a generali Concilio nullatenus dependentis Romani Pontificis auctoritatis plura eaque illustria hic locus suppetit argumenta; quibus accuratius enucleandis, libet hic aliquot subjicere observationes.

1. *Vestra Sanctitas primatum tenet &c. Omnes enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestrae Sanctitatis sententiae.* Vim hujus loci ipsamet Sacra Synodus luculentius exponit in sua ad Leonem Relatione: *Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* Et infra: *Sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet, adimpleat.* Ergo jure primatus Romanus Pontifex Patribus in Oecumenica Synodo congregatis praeest, sicut caput membris, & sicut filiis pater: Episcopi autem in generali coacti Concilio Romani Pontificis sententiae concordes sunt, quemadmodum membra capiti consona esse debent, & filii patris amplecti sententiam. Porro jure naturae, seu naturali ordine Caput dirigere membra debet, & Pater filios, penes quem tota gubernandae familiae auctoritas est; quomodo & in capite vis tota residet ad regendum corpus. Et quidem filiorum cum patre, & membrorum cum capite consonantia efficit, ut pax familiae floreat, & sanum vividumque sit corpus; perperam tamen inde conficeretur, aut regendae familiae auctoritatem non residere totam in patre, sed in universa familia, aut vim membrorum directricem non in solo capite, sed in universo esse corpore constitutam. Quid ergo sibi vult Bossuetius, quum in hoc capite ait: „ Sic a Petro capite, atque „ unitatis fonte orta sententia in summam vim porro deducitur consensione communi „? Si enim vult, vim ipsam & auctoritatem capitis ex membrorum consensione pendere, perinde id esset, atque ex rivulo ejusque recta dispositione pendere, ut fons aquis abundet: Si autem vult, membrorum sibi consentientium ministerio vim suam & auctoritatem caput efficacius exerere; huic sensui neutiquam refragamur: nam & ex rivuli recta dispositione pendet, ut aqua ex fonte promanans neutiquam in suo cursu turbetur.

2. *Irregulariter in communionem suscepit, priusquam consideret in Epheso cum Dei amantissimis Episcopis.* Dioscori facinus ante Concilii sententiam recipientis Eutychem ad communionem amplius exaggeratur in Epistola Synodi ad Imperatores (a): *Eutychi aegrotanti impietate Manichaei & legitime abdicato, tam Sacerdotium, quam Monachorum principatum ante decretum Synodale irregulariter reddidit; & haec cum Sanctissimus & Beatissimus magnae Romae Archiepiscopus Leo per easdem literas* (ad Flavianum) *convenientia decrevisset, & scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam.* Porro horum verborum sensus non est, potuisse Eutychem a Leone damnatum, & Monachorum principatu dejectum, a Dioscoro Synodali sententia

(a) Act. III. Concil. Chalcedon.

tia ad communionem recipi, & in suum locum, ipso inconsulto Leone, restitui; quum, ut superius vidimus, id imprimis Dioscoro crimini datum sit, quod ausus fuerit, Synodum sine auctoritate Sedis Apostolicae celebrare. Verum Leo ipse in suis cum ad Imperatores, tum ad Synodum Ephesinam Epistolis indulserat, ut de ipsius etiam, qui imprudenter erraverat, restitutione retractaretur, eique sui ordinis communio neutiquam denegaretur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus haereticos plene aperteque propria voce & subscriptione damnaret. Quare id Dioscoro crimini datum, quod Eutychem praeter formam a Leone praescriptam in suum locum restituisset.

3. *Sed illis quidem Apostolica Sedes veniam praestitit, &c.* Notandum, eorum caussam, qui in Ephesino latrocinio ceciderant, neutiquam retractari; propterea quod eis veniam Apostolica Sedes praestiterat: retractari autem vel examinari caussam Dioscori, & aliorum, qui in eo latrocinio praecipua totius scandali caussa fuerant; propterea quod de illis nondum certum fixumque judicium Sedes Apostolica statuisset. Quare quod Sedes Apostolica decernit, jure suo irretractabile est. Quod etiam magis patebit, quum de Theodoriti susceptione inferius differemus.

4. *Super haec vero neque Epistolam legi permisit Beatissimi Papae Leonis ..... qua non lecta, scandalum & laesionem Sanctae Dei Ecclesiae per totum orbem terrae pertulerunt.* Consona haec sunt iis, quae supra articulo primo ex S. Leonis ad Theodosium & ad Pulcheriam Epistolis demonstravi; nempe id unum Ephesinam Synodum egisse praecipitem, quod ipsius Magni Leonis ad S. Flavianum Epistolam sequuta in suo judicio non est; & propterea a veritatis scopo turpiter aberrasse, quod hanc fidei regulam non sibi ob oculos posuit. Unde consequens est, Dogmaticas Romanorum Pontificum Epistolas, non eo per Legatos ad Synodos universales deferri, ut de illis judicetur; verum ut juxta illas tamquam certissimas fidei regulas & formas, de iis, quae veniunt in controversiam, Patres judicent.

5. *Sed tamen talibus ab eo audacter commissis, deliberabamus &c.* De Dioscoro, aliisque, qui in Ephesina Pseudo-Synodo in damnatione S. Flaviani, & Eusebii Dorylaetani principem locum obtinuerant, ideo in Chalcedonensi Synodo deliberatum, quoniam nihil adhuc certi de illis S. Leo statuerat; sed eorum caussam primum Apostolicae Sedi reservaverat, deinde ipsi Concilio permiserat. Qua de re ita scripserat S. Pontifex ad Pulcheriam Augustam. [a]. *Nullis unquam Epistolis definivi, etiam talibus, si resipiscerent, veniam denegandam .... Sed potius cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus, & sic utimur justitia commotionis, ut non amittamus remedia caritatis. Si ergo Clementia vestra propositum nostrum considerare dignetur, probabit me eo consilio cuncta gessisse, ut sine cujusquam animae detrimento, haereseos tantum obtineretur exstinctio; & ob hoc circa Auctores*

(a) Epist. LI. Tom. IV. Concil.

ctores saevissimorum turbinum quiddam consuetudinis minuisse, ut ad indulgentiam postulandam, compunctione aliqua possit eorum tarditas excitari. Qui etsi post illud judicium suum, tam impium quam injustum, non sunt Catholicae fraternitati ita honorabiles, ut fuerant; suas tamen adhuc retinent Sedes, & Episcopatus sui honore potiuntur: aut per veram & necessariam satisfactionem pacem Ecclesiae recepturi, aut si haeresim, quod absit, tuebuntur, professionis suae merito judicandi. Itaque juxta S. Leonis voluntatem, & hi saevissimorum turbinum Auctores, nempe Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Caesariensis, Eusebius Ancyranus, Basilius Seleuciensis, & Eustathius Berytensis ipsius S. Leonis Epistolae subscribentes, a Synodo recepti sunt.

6. *Sed quoniam ..... praesumsit excommunicationem dictare &c.* Celeberrimus hic locus est, & ad commendandam Romani Pontificis praesidentem omnibus dignitatem accommodatissimus, eoque titulo a Leonis Successoribus saepius in medium prolatus [a]. Est enim profecto adnotatione & admiratione dignum, quod Dioscorus, post S. Flaviani iniquissimam depositionem, & immanissimam caedem; post Eutychetis restitutionem & Eutychianae perfidiae adprobationem; post Synodi Ephesinae grassationem & tyrannidem; post constupratam, quantum in ipso fuit, Catholicam fidem; excommunicationis sententiam in S. Leonem intorquens, dicatur, *secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendisse*. Neque haec peculiaris Legatorum sententia fuit; verum in eumdem sensum haec ad Marcianum Imperatorem post Action. 3. Synodus universa conscripsit: *Quoniam super alias suas nequitias, & adversus ipsam Apostolicam Sedem latravit, & excommunicationis literas adversus Sanctissimum & beatissimum Papam Leonem facere conatus est*. Et in Relatione ad ipsum S Leonem eadem sacra Synodus ait: *Et post haec omnia, insuper & contra ipsum, cui Vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiae unire festinas*. Sed & illud magis mirandum, quod Actione quinta Anatolius Constantinopolitanus Episcopus ait: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni*; perinde ac cetera ipsius flagitia adeo immane scelus obliterasset. Itaque Synodi Chalcedonensis judicio, minoris sceleris fuit, in ipsam vineam, idest, universam Ecclesiam, fidem Catholicam subvertendo, grassari; quam in Vineae Custodem, nempe in eam, cui jure Divino vineae totius, seu Ecclesiae universae principatus traditus est; qui adeo pro Capitis officio, membra totius corporis sui lacera sibi recolligere laborabat, impie debacchari. Nam in laudata ad Leonem Relatione Patres praemiserant: *sicut singularis ferus in Vineam irruens, quam optimam reperit, plantationem evertit*: ac deinde adjunxerunt: *Insuper*

(a) Vid. Nic. I. Epist. VIII. ad Mich. Imperat. & Hadrian. II. Epist. ad Ignat. Act. III. VIII. Synodi, & Ibid. Act. VII. Suggest. Rom. Synod. ad eumdem.

Digitized by Google

per & contra ipsum, cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam &c. Si autem pro graviori scelere habitum est, in vineae Custodem insanire, quam in totam grassari vineam; illud profecto consequens est, in majori fuisse apud veteres veneratione solius Capitis, quam reliqui corporis auctoritatem.

7. *Unde Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus ..... Leo per nos, & per praesentem Sanctam Synodum &c.* Et hic locus maximi ad caussam nostram momenti est; ac videri possunt quae ad eum illustrandum ex Concilio Basileensi profert Cl. Thomassinus Differt. XII. de Synodo Chalcedonensi num. XXXI.

ARTICULUS III.

Quae superioribus Articulis dicta sunt, variis Imperatorum & Augustarum in suis Epistolis testimoniis confirmantur.

AD ea, quae in superioribus Articulis dicta sunt, confirmanda, nihil luculentius adferri potest, quam quae laudatae Valentiniani & Marciani Imperatorum, Eudoxiae, Gallae Placidiae, & Pulcheriae Augustarum Epistolae nobis suppeditant testimonia; ex quibus aperte colligitur, Romanum Pontificem summam exercuisse in Conciliis generalibus auctoritatem; eique subjectas fuisse generales Synodos tamquam supremo Judici, Principi, Capiti, Auctori, ac Moderatori rerum omnium, quae per eas decernebantur, aut agebantur. Quid enim sibi aliud volunt haec Valentiniani ad Theodosium verba (a)? *Debemus dignitatem propriae venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus Beatissimus Romanae Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare: Hujus enim rei gratia secundum solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quae orta est de fide. Huic itaque postulanti & conjuranti salutem nostram communem, annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut praedictus Sacerdos, congregatis ex omni orbe Sacerdotibus intra Italiam, omni praejudicio submoto, a principio omnem caussam, quae vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & ratio verae Divinitatis expostulat.* In his Valentiniani verbis haec potissimum adnotanda sunt. 1. Quod Romano Pontifici principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, id est, antiqua, & ab ipsa Christianae religionis origine derivata traditio. 2. Quod propterea locum habere debet ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicandi. 3. Quod ejusmodi in Romano Pontifice auctoritatem agnoscens, ad eum propter contentionem de fide ortam Flavianus juxta solennes Conciliorum Canones appellavit. 4. Quod ad cognoscendam Flaviani ad se appellantis caussam cupiebat Leo Oecumenicam Synodum celebrari. 5. Quod in ea Synodo debebat ipse Leo ferre sententiam, id est, de

(a) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XXV.

Digitized by Google

de fide, & Sacerdotibus judicare.

Consona his ad eumdem Theodosium a Galla Placidia conscripta sunt (a): *Non modicum detrimentum est ex his, quae gesta sunt, ut fides . . . . . perturbata sit ad arbitrium unius hominis, qui in Synodo Ephesinae Civtatis odium & contentiones potius exercuisse narratur; militum praesentia & metu impetens Constantinopolitanae Civitatis Episcopum Flavianum, eo quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, per eos qui directi fuerant ad Concilium a Reverendissimo Episcopo Romae, qui secundum definitiones Nicaeni Concilii consueti sunt interesse. Hac itaque gratia tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem fidei Catholicae religionis immaculatam servari praecipiat, ut secundum formam & definitionem Apostolicae Sedis, quam & nos tamquam praecellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotii illaeso manente per omnia Flaviano, ad Concilium Apostolicae Sedis judicium transmittatur, in qua primus ille, qui Caelestes claves dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinavit: quando scilicet decet, nos huic maximae Civitati, quae domina omnium est Civitatum, in omnibus reverentiam conservare.* Eadem ac Valentinianus inculcat; verum ille generatim ad Canones Conciliorum; haec autem ad Nicaenos, id est, Sardicenses Canones refert Flaviani ad Leonem appellationem: ille ad Romanum Pontificem; haec autem etiam ad Occidentales Episcopos appellasse significat: Ille totius Episcopatus in Romano Pontifice principatum ex vetere traditione; haec vero expressius ex Divino jure, & Christi ipsius institutione derivat: Quam ille Oecumenicam Synodum, haec vocat Synodum Apostolicae Sedis; quod nimirum in ea deberet Romanus Pontifex pro suo Episcopatus principatu sententiam ferre; ac propterea rogat, ut secundum formam & definitionem Apostolicae Sedis in statu Sacerdotii illaeso per omnia manente Flaviano, ad Concilium & judicium Sedis Apostolicae transmittatur.

Similia & ad Pulcheriam Augustam eadem Galla Placidia conscripsit (b). *Igitur tua clementia secundum Catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare dignetur, ut quidquid illo tumultuoso miserrimoque Concilio constitutum est, omni virtute removeatur; ut omnibus integris permanentibus, ad Apostolicae Sedis judicium, in qua primus Apostolorum Beatus Petrus, qui etiam claves regni caelestis suscipiens, sacerdotii principatum tenuit, Episcopatus caussa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali Urbi tribuere, quae totum mundum propriae virtutis dominatione replevit, & nostro Imperio orbem gubernandum servandumque commisit.* Valentinianus transmitti cupit Flaviani caussam ad Oecumenicam Synodum, in qua Romanus Pontifex sententiam ferat; Galla Placidia ad Theodosium scribens vult eam transmitti ad Concilium & ad Apostolicae Sedis judicium; In hac vero ad Pulcheriam Epistola solum Apostolicae Sedis judicium commemorat; ut scilicet intelligamus, idem ejusdemque momenti esse judicium,

(a) Ibid. Epist. XXVI. (b) Ubi sup. Epist. XXVIII.

cium, sive Sedes Apostolica sola, sive in Synodo, sive per Synodum, aut cum Synodo judicet. Deinde in hac Epistola clarius exponit, quod in superioribus ad Theodosium litteris obscurius insinuavit. Hic enim ait: *Debemus, primatum in omnibus immortali Urbi tribuere*: ibi autem scripsit: *Decet, nos huic maximae Civitati, quae Domina omnium est Civitatum, in omnibus reverentiam conservare*. Quae verba ita Ratramnus interpretatur (a): „ Utpote, quum sit Civitas „ haec Domina omnium; & illi Ci„ vitati quisquis praefuerit Episcopus, „ ex antiquitatis constitutione Prin„ ceps omnium habeatur Ecclesia„ rum „. Ejusdem sensus ac spiritus litterae ad Theodosium ab Eudoxia conscriptae sunt.

Nunc quaero, quibus clarioribus verbis significare Valentinianus & Augustae potuerint, Romani Pontificis auctoritatem & judicium nullatenus a Concilii generalis judicio & consensione pendere; sed potius ipsum Concilium Romano Pontifici veluti totius Episcopatus & Sacerdotii Principi & Capiti esse subjectum? Temperare mihi non possum, quin hanc subjiciam in adlata ex Imperatoris & Augustarum Epistolis testimonia Cl. Thomassini observationem (b): „ Vides, ut „ promiscue haec habebantur, dare „ libellos ad Sedem Apostolicam & ad „ omnes Occidentis Episcopos: item„ que istam rem totam a Pontifice „ maximo judicari de integro, & rei „ judicium ad Concilium Sedis Apo„ stolicae transmitti: denique quam„ quam in Concilio Sedis Apostolicae, „ seu in Synodo Episcoporum agitetur „ judicium: tamen Romanus Sacer„ dos omnem caussam cognoscet, sen„ tentiam feret, intemerata venera„ tio servabitur Apostolo Petro. Ete„ nim in redintegrando judicio Flavia„ ni, non Concilii authoritas Roma„ num Antistitem sustollet & illustra„ bit; sed Concilio ipsi ea authoritas „ defertur, quia *Petro Apostolo inte„ merata veneratio conservanda est*: „ quia Romano Praesuli *Principatum „ antiquitas contulit* sacerdotii super „ omnes: quia *ejus est de fide & Sa„ cerdotibus judicare*: quia *in Romana „ Sede primus ille, qui caelestes cla„ ves dignus fuit accipere, principatum „ Episcopatus ordinavit*. Cum ergo „ caussam Pontificis & Concilii indi„ vulse conglutinamus Concilio ma„ gis a Pontifice, quam vicissim au„ thoritatem aggeramus.

Non minus ad haec stabilienda & illustranda ponderis ac momenti habent, quae ad ipsum Sanctum Leonem Marcianus Imperator, & Pulcheria Augusta scripserunt: *Tuam Sanctitatem*, inquit Marcianus (c), *principatum in Episcopatu divinae fidei possidentem, sacris literis in principio justum credimus alloquendam ..... quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicae fiat, ab omni scelere pura & intemerata consistens*. Et in alia Epistola cum Leone agit (d), *ut ad*

(a) Lib. IV. cont. opposita Graecor. cap. VIII.
(b) Differt. XI. in Conc. Constantinop. &c. num. IX.
(c) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XXXIII.
(d) Ubi sup. Epist. XXXV.

Digitized by Google

quemdam definitum locum omnes Sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quae Christianorum religioni, atque Catholicae fidei prosint, sicut, inquit, *Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiverit, sua dispositione decernant*. Similiter Pulcheria Augusta (a): *Omnes etiam totius Orientis Episcopi &c. facto Concilio; & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore, decernant*. Quid est, amabo te, principatum divinae fidei possidere, nisi summum habere jus, summam jurisdictionem ad sancienda ea, quae sunt fidei? Pro jure istius principatus, quidquid in Conciliis generalibus de fide decernitur ac definitur, debet secundum regulas ab ipso praescriptas ac definitas, atque ipso auctore, decerni. Unde consequens est, quod si in Romanum Pontificem error cadere possit, errori quoque obnoxium sit universale Concilium; vel si Concilium universale errare non potest, multo magis erroris incapax sit Romanus Pontifex: Si enim Concilium errare non potest, potest autem errare Romanus Pontifex; temere prorsus statuitur, ut quidquid a Concilio definitur, secundum regulas, quas Pontifex ipse praescripserit, & ipso auctore, definiatur. Annon absurdum est, ut Judex, in quem error cadere non potest, eum velut regulam auctoremque sequatur, qui ab errore tutus non sit? Fac enim, errare in definiendo Pontificem; quid aget generale Concilium? sequetur regulam ab errante Pontifice constitutam? errabit ergo, quemadmodum & ipse Pontifex. Regulam a Pontifice propositam repudiabit? Non debet ergo quidquid Concilium universale decernit, ipso auctore, & regulam ac formam praescribente, decernere.

Quae produximus Valentiniani & Marciani Imperatorum, & Pulcheriae Augustae testimonia, adfert etiam, & in suum sensum detorquere conatur Illustrissimus Gallicanae Declarationis defensor. Ait enim „ inde liquido „ constare, consueto ordine & Papam „ autorem esse debere, & Episcopos „ assidentes cum ipso esse judices; & „ ipsum irrevocabilis decreti robur „ in consensione esse positum; quod „ ipsum, *inquit*, Pulcheria Augusta „ testatur (b) data epistola ad Strategum Consularem, qui omnem a „ Synodo vim prohibere jubetur: *Ut* „ *cum omni disciplina consedente Sancta Synodo, sine aliqua commotione atque contentione, quae a Domino Christo revelata fuerint, communiter ab omnibus confirmentur*. Interim sic Pontificem autorem esse „ liquet, ut decreti vis non sola Pontificis autoritate, quod tum nemo „ cogitabat, sed ipsa Concilii consensione & approbatione constet, Patresque ac Synodus condecernant, „ conjudicent, Synodique sententia „ Papae sententia sit; quae Ecclesiarum accedente consensu, jam irreformabilis irretractabilisque habeatur, quod unum postulamus.

Non ajunt Imperatores, consueto ordine, sed divino jure Romanum Pon-

(a) Ibidem Epist. XXXV.

(b) 1. Par. Conc. Chalced. Epist. XXXIX.

Digitized by Google

Pontificem auctorem esse debere; eo nempe jure, quo Beatus Petrus caelestis regni claves accepit, & principatum Sacerdotii, principatum Episcopatus, principatum divinae fidei in Apostolica Sede ordinavit. Porro neutiquam inficiamur, Episcopos cum Romano Pontifice assidentes judices esse, & cum ipso condecernere, conjudicare; & firmam, irreformabilem & irretractabilem esse sententiam, quae in Oecumenica Synodo, tota Ecclesia consentiente, profertur. Verum hoc interesse dicimus inter Romani Pontificis, & Synodi generalis judicium; quod illius Judicium ex seipso firmum est, hujus autem firmitas ex illius auctoritate descendit. Quum enim Synodus debeat Pontifice auctore decernere, & juxta ab eo constitutam regulam judicare; necesse est, ea judicia firma consistere, quae ab hac regula formaque minime deviant: regula autem ipsa inde habet, ut fixa firmaque sit, quod ab eo proponitur, qui in Apostolorum Principe Sacerdotii, & Episcopatus, & divinae fidei accepit principatum. Hinc videmus, totius Orientis Patriarchas in secunda Ephesina Synodo, (cui nihil defuit, ut Oecumenica esset, praeter consensum Apostolicae Sedis) turpiter aberrare, dum eam regulam non sibi ob oculos ponunt; ab errore autem revocari, dum ad eam regulam convertuntur: &, quidquid Clerus Gallicanus & Galli Theologi dicant de Romanorum Pontificum decretis in generalibus Synodis retractandis; habemus quidem plura generalium Conciliorum decreta Sedis Apostolicae auctoritate reformata; sed ipsi in medium adferre non possunt solennem Romani Pontificis de fide definitionem, quam Synodus Oecumenica reformaverit. Quae autem hactenus dicta sunt quum ex laudatis Imperatorum & Augustarum Epistolis derivamus & confirmamus, Ratramnum celebrem noni saeculi in Gallia Theologum imitamur: *Cernimus*, [a] inquit, *Romani Pontificis auctoritatem super cunctas Ecclesias Christi praeeminere, ut omnes Episcopi illum habeant caput, & ad illius judicium pendeat, quidquid in Ecclesiasticis negotiis disponitur; ut ex ejus arbitrio vel maneat constitutum, vel corrigatur erratum, vel sanciatur quodcumque fuerit innovandum*. Et infra: *Et revera omnes Orientales Ecclesiae, simul & Occidentales, Romanae Civitatis Praesulem semper quasi caput Episcoporum veneratae sunt, & ad ejus sententiam respexerunt, & de rebus dubiis quaecumque decrevit, ejus judicium sustinuerunt. Quaecumque Concilia ejus sententia roborata sunt, rata manserunt; quae vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt*. Laudat in harumce rerum confirmationem Magni Leonis de Ephesina Pseudo-Synodo ad Theodosium litteras, adfertque superius descripta ex Valentiniani, & Marciani, & Gallae Placidiae Epistolis testimonia; *quibus*, inquit, *ostenditur, quod Romanus Pontifex principatum obtineat Episcoporum, cujus auctoritate debeat colligi Synodus, & quae sunt tractanda, per ejus dispositionem debeant ordinari*.

CA-

(a) Lib. IV. cont. opposita Graecor. cap. VIII.

CAPUT XVII. ARTICULUS PRIMUS.

„ Alterum Caput in Synodo Chalcedonensi tractatum, de exposita fide: S. Leonis Epistola nonnisi facto examine comprobata: Gallorum & Italorum, ante Chalcedonense Concilium de recipienda Leonis Epistola, Litterae ejusdem spiritus referuntur: Decretum Apostolicae Sedis, nonnisi consensione Ecclesiarum, irretractabile fieri, Christiani omnes, & ipse Leo confitetur.

Itaque triplici argumento pobare in praesenti Capite Bossuetius adgreditur, retractationi obnoxias esse dogmaticas Romanorum Pontificum Epistolas. 1. ex eo quod celebrem S. Leonis ad Flavianum Epistolam, nonnisi facto examine, Synodus Chalcedonensis recepit. 2. Gallorum & Italorum Episcoporum ad eumdem Sanctum Leonem litteris, quibus laudatae Epistolae, nonnisi explorata veritate, ejusque cum veterum Patrum doctrina consonantia, consensum sese praebuisse testantur. 3. ipsius S. Leonis, & omnium Christianorum ea de re testimonio. Nos autem iisdem argumentis invictissime demonstrabimus, Romanorum Pontificum de fide definitiones ex se ac suapte vi firmissimas esse Catholicae fidei regulas, & immobilis atque indeclinabilis auctoritatis.

Concilium Chalcedonense, imo universa Ecclesia S. Leonis ad Flavianum Epistolam pro irretractabili fidei regula habuit, antequam illa solenniter in ipsa Synodo ab omnibus Episcopis subscriberetur.

Illud Concilio Chalcedonensi jure recteque tribuitur, quod Sedis Apostolicae Legati juxta Romani Pontificis instructionem, & Patrum Synodi pars maxima sensit & judicavit: Illud etiam universae Ecclesiae merito adscribitur, quod Romano Pontifici, & omnibus Occidentalibus, & plurimis Orientalibus visum est: Atqui Sancti Leonis ad Flavianum Epistolam immobilem fuisse & irretractabilem fidei regulam, etiam antequam solenniter ab omnibus Episcopis in ipsa Synodo subscriberetur, Legati Sedis Apostolicae juxta Pontificis instructionem, & Episcoporum pars maxima judicavit: idemque tum ipsi Romano Pontifici, tum omnibus Occidentalibus, tum plurimis Orientalibus visum est: Ergo Synodus Chalcedonensis, & Ecclesia universa S. Leonis ad Flavianum Epistolam pro irretractabili fidei regula habuit, etiam antequam solenniter in ipsa Synodo ab omnibus Episcopis subscriberetur.

Maximam Episcoporum partem refugisse, ut fidei negotium in Synodo Chalcedonensi retractaretur, ut Leonis Epistola discuteretur, ut alia definitio fieret, ut nova fidei regula proponeretur; subindeque & laudatam Epistolam pro irretractabili, & omnino irreformabili, id est cui nihil ad-

jun-

jungi, nil ſubtrahi poſſet, fidei regula habuiſſe; ex ipſis Sacrae Synodi actis perſpectum eſt & exploratum. Actione ſecunda quum Judices & Senatus ab Epiſcopis peterent, ut veram fidem ſtabilirent, & omnem ambiguitatem auferrent, & fidem puram exponerent; *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: „ Expoſitionem alteram „ nullus facit, neque tentamus, ne„ que audemus exponere: Docue„ runt enim Patres, & in ſcriptis cu„ ſtodiuntur quae ab eis ſunt expoſi„ ta, & citra ea dicere non poſſu„ mus „. Patrum nomine Nicaenos. Conſtantinopolitanos, & Epheſinos intelligunt, & qui eis conſona adverſus Arium, Eunomium, atque Neſtorium docuerunt, ſtrenueque fidem Eccleſiae Catholicae propugnarunt. Horum autem ſcriptis aequalem eſſe docent Epiſtolae Leonis ad evertendam Eutychianam haereſim auctoritatem; ſubindeque quemadmodum Nicaenum Symbolum adverſus Arianam haereſim, & Conſtantinopolitanum adverſus Eunomianam, & Caeleſtini ac Cyrilli Epiſtolae ab Epheſina Synodo comprobatae adverſus Neſtorianam, irretractabiles, & irreformabiles fidei regulae judicabantur: ita & S. Leonis ad Flavianum Epiſtola adverſus Eutychianam haereſim pro irretractabili, & irreformabili fidei regula habenda erat; ut ex his, quae ſtatim Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus adjunxit, manifeſte conficitur: *Emerſerunt quae ad Eutychem pertinebant, & ſuper iis forma data eſt a Sanctiſſimo Archiepiſcopo Romanae Urbis, & ſequimur eum, & Epiſtolae omnes ſubſcripſimus*. Hanc autem pro perfecta & numeris omnibus abſoluta fidei regula habendam fuiſſe, non ſingularis Cecropii, ſed totius Synodi ſententia erat. Quare ſtatim *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: „ Iſta „ omnes dicimus: ſufficiunt quae ex„ poſita ſunt: alteram expoſitionem non licet fieri „. His autem quum Judices & Senatus non adquieſcerent; ſed omnino vellent, ut fides retractaretur, ut fidei definitio fieret, ut fidei expoſitio & regula ab ipſamet Synodo proponeretur; rurſum *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: „ In ſcri„ ptis expoſitionem non facimus: Re„ gula eſt, quae praedicat ſufficere „ quae ſunt expoſita: Regula vult, „ aliam expoſitionem non fieri: Ea „ quae ſunt Patrum teneantur. His porro Epiſcoporum clamoribus, videns Florentius Epiſcopus Sardium, Judices ac Senâtum a ſua nequaquam opinione diſcedere, inducias petiit, non quidem ad Leonis Epiſtolam retractandam, ſed ad fidem juxta formam in ea Epiſtola traditam exponendam: quamquam ea re nequaquam opus eſſe diſerte profiteretur: *Florentius Reverendiſſimus Epiſcopus Sardium dixit*: „ Quoniam non eſt poſſibile ſubito di„ ctare de fide eos, qui docti ſunt ſe„ qui Nicaenam Sanctam Synodum, „ & quae in Epheſo recte & pie ro„ borata eſt, ſecundum fidem San„ ctorum Patrum Cyrilli & Caeleſti„ ni, & Epiſtolam Sanctiſſimi Leo„ nis; precamur veſtram magnifi„ centiam, praeſtari nobis inducias, „ quatenus cum decenti tractatu ac„ cedere ad veritatem cauſſae poſſi„ mus; quamvis in noſtra perſona, „ qui Epiſtolae Sanctiſſimi Leonis ſub„ ſcripſimus, non indigeamus corre„ ctione. Porro attendens Cecropius,

& ani.

& animum advertens ad ea, quae Judices & Senatus initio dixerant; nempe eam se se fidem firmam & inconcussam tenere, quam Nicaeni, Constantinopolitani, & Ephesini Patres adversus praecedentes haereses expoposuerant; petiit, ut Nicaenum Symbolum, & S. Leonis Epistola legerentur; non ut ipse aliique Patres disquirerent, an invicem consentirent; verum ut Judices id perspectum & exploratum habentes ab alia expetenda regula revocarentur: *Cecropius Reverendissimus Episcopus Sebastopolitanae Civitatis dixit*. „ Fides bene disceptata est a trecentis decem & octo „ Sanctis Patribus, & firmata a Sanctis Patribus Athanasio, Cyrillo, „ Caelestino, Hilario, Basilio, Gregorio, & nunc iterum per Sanctissimum Leonem: & precamur, ut „ ea, quae Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo sunt, & quae „ Sanctissimi Leonis, recitentur. *Gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt*: „ Recitentur quae exposita sunt a Sanctis trecentis decem & octo Patribus in Nicaea congregatis.

Lecto Nicaeno Symbolo, & antequam Leonis Epistola legeretur, *Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: „ haec Catholicorum fides..... Beatus Cyrillus sic docuit..... Omnes „ ita credimus: Papa Leo sic credit: „ Cyrillus ita credidit: Papa Leo ita „ interpretatus est. Itaque non quaerunt, non retractant, non examinant, non discutiunt, an consona Nicaeno Symbolo sit Leonis Epistola, sed firmissime & inconcusse id se tenere, se credere profitentur.

Deinde lectum est iisdem jubentibus Judicibus & Senatu Constantinopolitanum Symbolum, lectae & Cyrilli Epistolae a S. Caelestino & Ephesino Synodo comprobatae; iisque perlectis, iterum *Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: „ Omnes sic credimus: „ Papa Leo sic credit: Anathema ei „ qui partit, & ei qui dividit: Haec „ fides Leonis Archiepiscopi: Leo sic „ credit: Leo & Anatolius ita credunt: Omnes sic credimus: sicut „ Cyrillus; ita credimus: aeterna „ memoria Cyrilli: sicut Epistolae Cyrilli habent, ita sapimus, sic credidimus, sic credimus: Leo Archiepiscopus sic sapit, ita credit, „ ita scripsit.

Tamdem eorumdem jussu lecta est & Magni Leonis ad Flavianum Epistola: ac statim post ejus lectionem *Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: „ Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus: „ Orthodoxi ita credunt: Anathema „ ei, qui ita non credit: Petrus per „ Leonem ita locutus est. Apostoli „ ita docuerunt: Pie & vere Leo „ docuit: Cyrillus ita docuit: Cyrilli „ aeterna memoria: Leo & Cyrillus similiter docuerunt: Anathema ei, „ qui sic non credit: Haec vera fides. Catholici ita sapimus. Haec „ Patrum fides: Haec in Epheso cur „ lecta non sunt? Haec Dioscorus „ occultavit.

Quum Epistola legeretur, haerentibus ad quaedam ejus loca Illyricianis & Palaestinis Episcopis, quaedam iis consona S. Cyrilli testimonia producta sunt, absolutaque lectione; *Magnificentissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt*: Post haec omnia adhuc quis dubitat? *Reverendissimi Episcopi*

Digitized by Google

ſcopi dixerunt: Nemo dubitat. Atticus tamen Nicopolitanus aliique Illyriciani Epiſcopi aliquot dierum inducias petierunt, uti rem totam tranquilla mente pacatoque animo ſcrutarentur: quibus quinque dierum intervallum a Judicibus & a Senatu conceſſum eſt, ut interim cum Anatolio de fide communiter tractarent, ac dubitantibus, quibus adhuc angebantur, ſcrupuli eximerentur. Id vero aegre reliqua Synodus tulit. Quare, quemadmodum ſcriptum eſt: *Omnes Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: „ Nos ita credimus: Omnes ita credimus: ſicut Leo, ita credimus. Noſtrum „ nullus dubitat: Nos jam ſubſcripſimus. In ſententia tamen manſerunt Judices & Senatus; non quod ipſi dubitarent, ſed quia volebant, & *conveniens* exiſtimabant, *omnibus dubitantibus perſuadere*. Valde autem notanda ſunt quae ſequuntur: *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: „ Pro „ Patribus petimus, Patres Synodo „ reddite (conſentaneos Leoni Synodo, Patres Synodo.) Has voces Imperatori, has praeces Catholico, has praeces Auguſtae. Omnes „ peccavimus, omnibus indulgeatur. Valde, inquam, notanda ſunt haec verba propter ea quae ſequuntur, ſtatim enim adjungitur: *Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt*, *Pauci clamant, & non tota Synodus dicit*. Haec Conſtantinopolitanorum Clericorum verba Boſſuetius ad illos Epiſcopos referre videtur, qui aegre ferebant dubitantibus inducias dari ad perſcrutanda Patrum teſtimonia, & S. Leonis Epiſtolam: aegre, inquam, id ferebant, propterea quod laudatae Epiſtolae ceteri ſubſcripſiſſent, & nemo ex eis dubitaret. Quod ſi verum eſt, inde conſequens eſt, hunc fuiſſe paucorum, non totius Synodi ſenſum. Fallitur tamen eruditiſſimus Praeſul: nam voces illae eorum Epiſcoporum ſunt, qui cupiebant, omnes Epheſi lapſos, & vel ipſum Dioſcorum, Eccleſiae reconciliari, & in Synodo locum habere, ut conſtat ex iis, quae ſtatim ſequuntur: *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*; Aegyptium exſilio. *Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Precamur Omnibus miſeremini. *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Aegyptium exſilio: *Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi*: Omnes peccavimus, omnium miſeremini: Has voces Catholico Imperatori, Eccleſiae ſcinduntur. *Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt*: Dioſcorum exſilio, haereticum exſilio: Dioſcorum Chriſtus damnavit. *Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Omnes peccavimus, omnibus indulgete: Dioſcorum Synodo, Dioſcorum Eccleſiis..... *Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt*: Qui communicat Dioſcoro, Judaeus eſt. *Orientales, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Aegyptium exſilio, haereticum exſilio. *Illyriciani, & qui cum ipſis Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt*: Patres Synodo. Ex quibus conſtat, eos qui Indulgentiam petebant, qui miſericordiam implorabant, qui Patres reddi Synodo poſtulabant, & quos paucos fuiſſe, non univerſam Synodum, Clerici Conſtantinopolitani clamabant; non eos fuiſſe Epiſcopos, qui Leonis Epiſtolae jam ſubſcripſerant,

rant, ejusque examini reluctabantur; sed Illyricianos, qui & Dioscorum Synodo reddi petebant: quibus quum Constantinopolitani Clerici adversarentur, & Dioscorum ejici in exilium vellent, Judices monuerunt, paucos esse, & non totam Synodum, qui pro Lapsis ac potissimum pro Dioscoro supplicabant.

Quum dies Illyricianis aliisque Episcopis, qui adhuc dubitabant, ad conferendum cum Anatolio, aliisque, qui Leonis Epistolae jam subscripseserant, concessi praeteriissent; Actio quarta habita est; in qua Judices & Senatus doceri volunt, quid *Reverendo* Concilio de sancta fide placuerit. Quibus a Paschasino aliisque Apostolicae Sedis Legatis responsum est: Sanctam & Beatissimam Synodum Nicaenorum Patrum amplecti Symbolum, eique a centum quinquaginta Patribus facta in Constantinopolitana Synodo additamenta, atque illius per Cyrilli literas ab Ephesina Synodo confirmatas, expositionem: *Tertio vero*, inquiunt, *Beatissimi atque Apostolici Viri universalis Ecclesiae Papae Leonis, Nestorii & Eutychetis haeresim damnantis directa scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter vero & sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur: nihil amplius nec addere potest, nec minuere.* Quibus in graecum sermonem conversis, *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus: sic credidimus, sic credimus.*

Haec tamen Judicibus & Senatui satis visa non sunt, sed rursum conceptis verbis declarari ab Episcopis voluerunt, an Epistolam S. Leonis Nicaeno & Constantinopolitano Symbolo consonam judicarent: *Quoniam sacra Evangelia posita a reverentia vestra perspicimus, singuli Reverendissimi Episcopi, qui convenerunt, doceant si expositio 318. Sanctorum Patrum, qui olim in Nicaea collecti sunt, & post haec 150. qui in Regia congregati sunt Civitate, consonat Epistolae Reverendissimi Papae Leonis.* His verbis, si Bossuetium audimus, indictum est Synodicum ac solenne examen Epistolae S. Leonis. Sic enim ait: „ Placuit ergo, Leonis Epistolam ad „ legitimum Concilii examen revo- „ care, & ab ipsa Synodo de fide „ conscribi definitionem. Itaque le- „ ctis praecedentium Synodorum ge- „ stis, de Leonis Epistola Judices ita „ proposuerunt: *Quoniam Evangelia* „ *posita sunt &c.* Postquam de exa- „ minanda Leonis Epistola interroga- „ tio in eam formam facta est, operae „ pretium erit, Patrum sententias, „ &, ut ajunt, vota pensare, ut in- „ telligamus, ab ipsa origine, cur „ Epistola placuerit; cur postea tan- „ to studio defenderetur; cur deni- „ que tam exacto Synodi examine „ probaretur.

Verum neque superius, idest, Actione secunda, quum acta praecedentium Synodorum & fidei regulae legerentur, neque hoc loco Actionis quartae ullum perspicimus Epistolae S. Leonis examen. Ut enim superius ostendimus, vix lecto Nicaeno Symbolo, & antequam Leonis Epistola legeretur, acclamatum a Patribus est: *Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit: Papa Leo ita interpretatus est.* Lecto & Constantinopolitano Symbolo, lectis & S. Cyrilli litteris, antequam Epistolae S. Leonis lectio fieret, ite-

rum

rum Episcopi clamaverunt: *Omnes sic credimus Papa Leo sic sapit, ita credit, ita scripsit*. Denique audita Leonis Epistola, in has rursum Episcopi voces eruperunt: *Omnes ita credimus: sicut Leo, ita credimus: nostrum nullus dubitat: nos jam subscripsimus*. Ubi quaeso examen? In praesenti autem Actione quarta nec vestigium examinis occurrit; sed petentibus Judicibus, an cum Nicaena & Constantinopolitana fidei regulis S. Leonis Epistola conveniret; nullo prorsus adhibito examine convenire Patres testantur. Itaque nullum laudatae Epistolae examen in ipsa Synodo factum est, sed illud dumtaxat, quod privatim cum Anatolio fieri, plurimis id aegre ferentibus, Judices voluerunt, & Synodus ex indulgentia permisit, ut omnes quibusdam adhuc dubitantibus scrupuli eximerentur. Quidquid autem illud sit, quod hoc loco per ea verba, quae etiam Bossuetius adfert, Judices postularunt; antequam tamen illa proferrent, Apostolicae Sedis Legatis praedicantibus, quod *Leonis scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt*: Quod *Sancta Synodus hanc similiter fidem tenet*: Quod *nihil addere potest, nec minuere*; haec, inquam Legatis praedicantibus, his vocibus Patres consenserant, suamque cum illis concordiam testati fuerant: *Omnes sic credimus, sic credidimus &c*. Itaque verum est, ad quod probandum adgressi sumus, quod S. Leonis Epistolam pro immobili & irretractabili fidei regula, etiam antequam solenniter ab omnibus Episcopis in ipsa Synodo subscriberetur, Sedis Apostolicae Legati, & pars maxima Episcoporum habuit.

Nec refert, quod postmodum in ipsis subscriptionibus quidam ideo sese Leonis Epistolae consentire ac subscribere professi sunt, quod perspectum & exploratum haberent, eam praecedentium Synodorum fidei regulis consonam esse; Quod „ erat, *inquit Bossuetius*, aperte deliberantis, non autem caeco, ut ajunt, impetu, ex mera obedientia subscribentis. *Unde etiam colligit*: ita profecto Patres & in ipsa Synodo, & ante Synodum consensisse, quod re considerata, convenire omnia cum Patribus aestimarent, judicarent, persuasi essent, & communem omnium ac singulorum fidem a *Leone* expositam esse intelligerent. Nihil horum, inquam, refert: non enim in praesentia quaerimus, an caeco impetu & ex mera obedientia, an potius re perpensa & considerata Leonis Epistolae Patres subscripserint: sed an ante quodcumque examen in Synodo institutum, imo & antequam in Synodo a Patribus subscriberetur, imo & antequam legeretur, eam pro irretractabili & irreformabili fidei regula, Sedis Apostolicae Legati & Episcoporum pars maxima habuerit: Id enim si obtinemus, inde jure conficimus, non ex Synodico examine, neque ex Synodicis subscriptionibus, Leonis Epistolam, Patrum Chalcedonensium judicio, obtinuisse, ut irretractabilis & irreformabilis fidei regula judicaretur. Hoc autem semel obtento, illud etiam nos adsequi necesse est, nempe Synodorum generalium celebrationem argumento non esse, quod antequam Synodi celebrarentur, non fuerint dogmaticae Pontificum Romanorum Epistolae irretractabilis & irreformabilis auctoritatis.

Neque id tantum Concilii Chalcedonensis pars maxima judicavit; verum eadem omnium Occidentalium sententia fuit, ut & ipse Leo aperte testatus est (*a*), & ex Gallorum & Italorum ad ipsum S. Leonem litteris aperte colligitur. Nam Galliarum Episcopi in Epistola ad Sanctum Leonem (*b*), antequam aliquid de Chalcedonensi Synodo acciperent, *Apostolatus* ipsius *scripta ita ut Symbolum fidei*, sese suscepisse, & *tabulis cordis* adscripsisse significarunt. Italiae autem Episcopi ex Synodo Mediolanensi ad eumdem Sanctum Pontificem scripserunt, illius Epistolam (*c*) *plena fidei simplicitate fulgere*; ejusque solam auctoritatem valere ad extinguendam & prostrandam, excitatam ab Eutyche, & confirmatam a Dioscoro, impietatem: *Superest, ut annuente Domino, perfectis rebus, palmam fidei, & consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes; hoc futuris memorabile saeculis relinquatis; ut ab hoc tempore praesenti* (nondum & ipsi aliquid de Chalcedonensi Synodo acceperant) *exstincta impiae sectae contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus, in aeternum prostrata succumberet*. Sic illi non modo initium certaminis, verum & consummationem, ac de prostrata in aeternum impietate coronam, ac perfectum triumphum, Romano Pontifici luculenter adscribunt.

De Orientalibus quoque non est quod adhuc dubitemus, eos nimirum S. Leonis Epistolam vel ante Chalcedonensem Synodum, ut irretractabilem fidei regulam suscepisse. Eam hoc pacto Anatolius Constantinopolitanus Episcopus in Constantinopolitana Synodo vel Episcoporum conventu suscepit, indeque ad omnes per Orientem Metropolitas eodem modo subscribendam transmisit; quemadmodum Eustathius Berytensis Episcopus in hac eadem Actione quarta testatur: *Quemadmodum & nunc, quum pauci Constantinopoli convenissent, missa est Epistola almi Archiepiscopi Leonis iis, qui ubique essent, Metropolitis, & subscripta est*. Quare saepius eos in Synodo clamantes audivimus: *Omnes Epistolae jam subscripsimus: Sicut Leo ita credimus: Nostrum nullus dubitat*; & aegre ferentes jam vidimus, quod aliquot dierum induciae ad eam examinandam quibusdam adhuc dubitantibus concederentur. Est autem saepius animadversum, dogmaticas Pontificum Romanorum Epistolas, quibus maximae partis Episcoporum consensus accedit, & ipsis Gallicanis Theologis fatentibus, irretractabiles & irreformabiles fidei regulas esse; neque ut ad hoc summae auctoritatis fastigium evehantur, opus esse generalis Synodi convocatione.

ARTICULUS II.

Ostenditur, non recte inde probari, retractationi obnoxias esse Pontificum Romanorum de fide Constitutiones, quod eis propterea subscriptum ab Episcopis aliquando sit, quod praecedentium Conciliorum fidei regulis consonae essent.

ID argumenti adversus Romanorum Pontificum inerrantiam, & indecli-

(*a*) Vid. Epist. LII. Tom. IV. Concil.
(*b*) Ibid. inter Epist. L. & LI. S. Leon.
(*c*) Ibid. inter Epist. LI. & LII. S. Leon.

clinabilem in definiendis fidei controversiis auctoritatem, saepius, ut vidimus, Bossuetius inculcat, quod ipsorum dogmaticis Epistolis subscriptum ab Episcopis aliquando sit, propterea quod sacrarum litterarum testimoniis, veterum Patrum scriptis, & praecedentium Conciliorum fidei regulis consonae ipsis videbantur: „ Primus Anatolius „ *inquit in praesenti capite Bossuetius*, „ sic dicit sententiam: *Epistola Sanctissimi Leonis consonat Symbolo* 318. „ *Patrum*, & 150. *Patrum*; *sed & „ his, qui in Epheso sub Caelestino & „ Cyrillo: quapropter consensi, & li- „ benter subscripsi*.... Ceteri in eum- „ dem sensum: *Concordat, & subscri- „ psi*: Multi diserte & expresse: *Con- „ cordat, & ideo subscripsi*. Additum „ a quibusdam: *Concordat, & sub- „ scripsi, quum recte habeat*: Alii: „ *Concordare certe scio*. Alii: *Cum „ esset consona, & eumdem haberet „ scopum, amplexi sumus, & subscri- „ psimus*: Alii: *Hanc jam olim tenui- „ mus fidem, hanc tenemus; in hac „ baptizati sumus, in hac baptizamus*: „ Alii & magna pars: *Cum viderem, „ cum sentirem, cum deprehenderem, „ cum invenirem consentire, subscri- „ psi*. Alii: *Persuasus, instructus, „ certior factus, quod omnia consenti- „ rent, subscripsi*. Inde porro, ut etiam superiori articulo animadvertimus, laudatus Meldensium Episcopus conficit; propterea Episcopos „ & in „ ipsa Synodo, & ante Synodum ita „ consensisse, quod re considerata, „ convenire omnia cum Patribus aesti- „ marent, judicarent, persuasi essent, „ & communem omnium ac singulo- „ rum fidem a Leone expositam esse „ intelligerent. Quod deinde confirmat duplici ex Italorum & Gallorum Synodicis ad S. Leonem Epistolis testimonio, ubi adfirmare videntur, sese propterea S. Leonis ad Flavianum litteris consensisse, quod *in eis recognoverunt fidei suae sensum*, uti Galli loquuntur: *Et quia*, inquiunt Itali, *omnia majorum fidei nobis antiquitus traditae, conveniunt*.

Quam autem hoc argumentum adversus Romani Pontificis inerrantiam, & ineluctabilem auctoritatem, nullius sit ponderis ac momenti, inde facile aperteque demonstratur, quod saepius easdem, aut omnino similes formulas Patres & Episcopi olim usurparunt, quum illis de Conciliorum generalium definitionibus sermo erat; demonstrabantque, sese non temere Nicaenam, ex. gr. fidei regulam amplexos esse, eique constanter adhaerere, quod ea Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, veterum Patrum, & omnium per universum orbem Ecclesiarum, testimoniis, sensibus, ac traditioni consentiret. Haec passim in Athanasii, Hilarii, Basilii, & Gregorii Nazianzeni scriptis occurrunt. An ideo retractationi obnoxiam existimabant Nicaenae Synodi auctoritatem?

Verum nihil huc luculentius adferri potest iis testimoniis, quae huic ipsi Chalcedonensi Synodo perhibent consulti a Leone Augusto quamplurium Provinciarum Episcopi: Sunt enim per quam adfinia notatis a Bossuetio Chalcedonensium Patrum Leonis Epistolae subscriptionibus. Primus Anatolius nihil retractandum statuit de Concilio Chalcedonensi, propterea quod *illa Deo amabilis ac venerabilis Synodus.... non innovavit fidem. non peremit antiquitus exsistentem..... sed Synodos sanctas*

ctas & orthodoxas, post illam maximam, (hoc est, Nicaenam) *ei consonas exsistentes ..... recte probavit &c.* Episcopi Europae scribunt, sese propterea cum tribus praecedentibus Oecumenicis Synodis servare etiam Chalcedonensem, *quod praedicta Concilia firmaverit, nihilque quod illis bene videatur placuisse commoverit, nec augmentum quoddam aut detractionem fecerit &c.* Sebastianus Episcopus ita per Epistolam laudatum Imperatorem adloquitur: *Tanti & talis, probatique Concilii amplectere judicium, serenissime orthodoxe Imperator. Taliter namque sapuisse comperimus omnes, qui verbo, & doctrina, & vita mirabili Deo per diversa tempora placuerunt; id est B. Athanasium, qui &c. Sic & Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nissae, & post Johannes Constantinopolitanus.* Episcopi primae Syriae: *Hanc Synodum, tamquam concordem illis* [Nicaenis Patribus] *per omnia custodimus.* Ita Episcopi Mesopotamiae: *Sanctum Concilium, quod Chalcedone celebratum est, obtinemus atque servamus, quod nihil in Symbolo fidei exposito Nicaeae a Sanctis 318. Patribus adjectum est;* Ita Episcopi Ciliciae primae: *Magnam Synodum Sanctorum Patrum Chalcedone collectam amplectimur, & salutarem esse decrevimus: & non solum propter multitudinem Pontificum ibidem congregatorum ... sed quia & Sanctorum Patrum in Nicaeno Concilio congrua & convenientia, & in nullo contraria eam sapuisse conspicimus.* Ita Episcopi Synodi Sardianae in Lydia: *Quae in praedicto Sancto Concilio sancita noscuntur, eis concordes sumus, quando nihil dissonant a sancto universali Concilio 318. Sanctorum Patrum.* Ita Agapitus Episcopus Rhodi: *De Sancto universali Concilio Chalcedone Imperiali sanctione collecto ..... quid dicamus? quando per omnia concordem sensum intemeratae fidei a 318. Patribus, qui in Nicaea Christi gratia convenerunt, & Patrum Chalcedone convenientium reperimus? ..... Ob quam rem & pene omnes Occidentalium partium Dei amabiles Episcopi consentientes sibimet, & pariter decernente Sanctissimo atque beatissimo Leone Romanae Urbis Archiepiscopo, literis propriis, & oris sui confessione ea, quae ab ipsis Sanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata seu explanata sunt de Domini nostri Jesu Christi incarnatione, confirmaverunt, atque consignaverunt.* Ita Julianus Episcopus Coënsis: *Pando vestrae potentiae & quid de Sancto Chalcedonensi Concilio sentire dignoscor. Hoc etenim nullatenus a veritate discordat, quoniam fidem traditam a Sanctis beatisque 318. Patribus consona voluntate Divina inspiratione firmavit.* Ita Episcopi Cappadociae primae, & eorum nomine Alypius Episcopus Caesareae: *Definitionem expositam ab illo Sancto Concilio relegens salubriter, congruenterque suspiciens atque intelligens, &, ut reor mente recta eam, ut oportebat, examinans, comperi a recta fide non dissonare. Nam 318. Sanctorum Patrum Nicaeae convenientium laudat fidem, & eam sequi omni intentione festinat, & inviolabiliter immobiliterque custodit.* Ita Episcopi Metropolis Corinthi: *Ea quae a Chalcedonensi sancto & universali Concilio definita sunt, tamquam sanctis Synodis praecedentibus consona, & in nullo contraria ..... omnibus sen-*

sententiis, manere immutilata, decrevimus. Ita Episcopi primae Galatiae: *Nos itaque omni virtute servamus Sanctorum Patrum dogmata, & Sanctum Concilium Chalcedonense cognoscimus, quod scilicet paternorum dogmatum divitias Sanctis Ecclesiis inviolabiliter conservavit ..... Illud ab omnibus celebratum est, quod eorum, qui ibi collecti sunt, nullus penitus discordavit. Sed etsi pauci quidam pro aliquibus necessitatibus per Provincias remanserunt, ad communionem ejus attracti sunt, quoniam antiqua Ecclesiae dogmata servare dignoscitur*. Ita denique & reliqui Metropolitae, quorum ad Leonem Augustum Synodicae Epistolae in encyclio Codice collectae sunt, ac tertiae parti Concilii Chalcedonensis adnexae (a).

Jam vero ex adlatis testimoniis nonne aequo jure, ac Bossuetius de Leonis Epistola, colligere de Chalcedonensi Concilio poterimus, ejus de fide decretis propterea laudatos Praesules ita consensisse, quod re considerata, convenire omnia cum Patribus aestimarent, judicarent, persuasi essent, & communem omnium ac singulorum fidem a Sancto illo & universali Concilio expositam esse intelligerent? Haec autem consentiendi, & subscribendi forma si Romano Pontifici obest, oberit pariter & Concilio Chalcedonensi. Si vero cum Oecumenicae Synodi irretractabili auctoritate componi facile potest; cur non & poterit eadem facilitate cum simili ejusdemque ponderis ac firmitatis, qualem Romano Pontifici adserimus, auctoritate conciliari? Quodlibet enim dixeris, ut illa indeclinabili Synodi Oecumenicae auctoritati non obsint; in promtu erit regerere, ne eadem obsint supremae & irreformabili Apostolicae Sedis auctoritati. Si enim dixeris, propterea in eam formam laudatos Praesules rescripsisse, quod ea de re speciatim & expresse a Leone augusto consulti fuerant: quod Synodi hostes objicerent, Nicaenam fidem, & aliarum praecedentium Synodorum definitiones fuisse Chalcedone vexatas, interpolatas, adulteratas: dicam pariter, in eam formam propterea Chalcedonenses Patres Leonis Epistolae subscripsisse, quod ea de re speciatim & expresse eos Judices & Senatus consulerent, idque ab eis omnino requirerent, ad eorum frangendam obstinationem, qui temere & obfirmato animo Leonis Epistolae objiciebant, quod ea positi ac definiti a praecedentibus Synodis fidei termini commoverentur.

Si autem dixeris, id quidem conciliare Chalcedonensis Synodi decretis auctoritatem, quod cum praecedentium Synodorum de fide regulis consona sint; attamen & suam illis constare auctoritatem; quum eodem, quo praecedentes, Spiritu fuerit & Chalcedonensis Synodus gubernata; neque id negare, imo & aperte insinuare consultos a Leone totius Orientis Episcopos, quum in suis Epistolis Chalcedonensi Concilio ex consensu cum praecedentibus Synodis venerationem conciliant: dicam similiter, id quidem valere ad conciliandam Leonis Epistolae auctoritatem, quod ejus doctrina adamussim cum Nicaena, Constantinopo-

(a) Cap. XXII, & seqq.

nopolitana & Ephesina fide consentiat; attamen & suam illi constare auctoritatem ex Petri Apostoli, qui in suis Successoribus adhuc vivit, & judicium exercet, principatu manantem; quam profecto Chalcedonenses Patres neutiquam ignorabant, quum eam praecedentibus Synodis consonam praedicabant; verum & expresse agnoscebant, quum simul Petrum per os Leonis locutum esse clamabant (*a*), ac publice profitebantur; quum omnium perturbationum & scandalorum, quae Ephesi contigerant, hanc fuisse caussam dicebant, quod Dioscori fraude lecta non fuisset (*b*); quum eam uti *communem quamdam columnam adversus perverse sentientes ad confirmationem rectorum dogmatum*, praedicabant (*c*); quum Magnum Leonem veluti *Beati Petri vocis constitutum interpretem* venerabantur (*d*); quum denique velut *signaculum sacrae doctrinae*, *Concilii praedicationem Petri Sedis auctoritate roborare* gestiebant (*e*).

Hanc eamdem insitam Apostolicis litteris, praeter illam, quae ex earum cum veteri totius Ecclesiae traditione consonantia & consensione oritur, auctoritatem agnoverunt quoque & venerati sunt in Leonis Epistola Italiae & Galliarum Episcopi: Hi quidem cum in suis ad Sanctum Pontificem litteris *modis omnibus se gratulantur instructos*, *datamque sibi occasionem gaudent*, *qua libere ac fiducialiter*, SUFFRAGANTE ETIAM APOSTOLICAE SEDIS AUCTORITATE, *eloquantur*, *& adserat unusquisque quod credit .... Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis*, *ut constanter teneat quod credebat*: *debebit etiam infidelis*, *ut ..... Apostolicae institutionis luce perfusus*, *erroris sui tenebras derelinquat*, *magisque sequatur & credat*, *quod per os vestrum Dominus Jesus Christus de Sacramento Incarnationis suae docet*, *quam id teneat*, *quod Diabolus humanae salutis & veritatis inimicus instillat*. Ergo ut Leonis Epistolam suscipiant, non ea tantum ratione moventur, quod in ea fidei suae sensum agnoscunt, verum etiam Apostolicae Sedis auctoritate compelluntur, & quia per os Leonis Dominum Jesum Christum de Sacramento Incarnationis suae docentem, audire sibi videntur.

Similiter Episcopi Italiae utramque in Leonis Epistola auctoritatem suspiciunt; & eam nimirum, quae oritur ex sententiarum cum *fide antiquitus tradita* congruentia, & quae ex Sedis Apostolicae majestate refulget; atque Eutychianam impietatem fidei Christianae fundamenta labefactantem, *auctoritatis*, inquiunt, *vestrae praecedente sententia*, diris devovent. Verum quid Italiae Episcopi per haec tempora de Romani Pontficis & Scriptorum ejus auctoritate sentirent, praeclare constat ex Sancti Petri Chrysologi Ravennatis Episcopi ad Eutychem litteris quibus scelestum illum nefariae haereseos Architectum (*f*) *prae omnibus hortatur*, *ut his*, *quae a Beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt obedienter attendat*: *Quoniam*, inquit, *Beatus*

(*a*) Act II. (*b*) Act. III. (*c*) Act. V. (*d*) In Relat ad Leonem.
(*e*) Allocut. ad Marcianum 3. Par. Conc. Chalced. cap. I.
(*f*) 1. Par. Conc. Chalced. cap. XV.

Digitized by Google

tus Petrus, qui in sua sede & vivit, & praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.

Igitur quod Chalcedonenses Patres, & Italiae & Galliarum Episcopi Leonis Epistolam tamquam veteri traditioni, & praecedentium Synodorum regulis consonam adprobaverint, argumento non est, quod ipsi neutiquam ex Apostolicae Sedis principatu sua constaret, & quidem, ut volumus, ineluctabilis auctoritas. Nam in eamdem formam consulti a Leone Augusto Orientales Episcopi, Synodi Chalcedonensis decreta sese recipere ac tenere, profitebantur; quorum tamen decretorum & propriam & irreformabilem agnoscebant auctoritatem. Proinde hinc nihil exsculpi potest, quo nostra sententia labefactetur; nisi etiam illud demonstretur, fuisse a Patribus dubitatum, an ex Sedis Apostolicae Cathedra quidquam prodire valeat tamquam fidei definitio vel regula, quod Nicaeno aut Constantinopolitano Symbolo, aut aliorum generalium Conciliorum Canonibus adversetur. Dubitasse de hac re aliquot in Chalcedonensi Synodo Episcopos, jure Bossuetius observat: verum paucorum fuisse, prae reliqua neutiquam dubitantium multitudine, ejusmodi dubitationem, ex repetitis eorum acclamationibus constat: *Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: Nemo dubitat..... *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt*: „ Nos ita credimus: Omnes ita credimus: sicut „ Leo, ita credimus: nostrum nullus „ dubitat. Ita acclamatum est actione secunda. At vero actione quarta, interrogantibus Judicibus, quaenam esset Synodi de fide sententia, respondit Paschasinus, Synodum eam fidem amplecti, quae a Conciliis Nicaeno, Constantinopolitano & Ephesino exposita est, quamque Leo sua Epistola declaraverat. Iterum Judices interlocuti sunt, a singulis Episcopis declarandum, an haec Epistola consentiret cum Symbolis Nicaeno & Constantinopolitano. Ac statim quidem professus est Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, eam consonare cum Expositione fidei a tribus Conciliis prioribus edita, atque adeo ante Synodum se illi subscripsisse: Sed Paschasinus; ut observat Illustrissimus Petrus de Marca [a], aegre videtur hanc interlocutionem tulisse: Retulit enim, manifestum esse, nec dubitari posse, quin Epistola Leonis cum superioribus Symbolis concordaret: Quod omnes Episcopi suffragiis quoque suis testati sunt, seque illi Epistolae subscriptiones quoque suas apposuisse. Potissimum vero notanda est Polychronii Episcopi Epiphaniae Ciliciae in Synodo sequens in haec verba subscriptio: *Communis fidelium Pater Beatus Paulus Apostolus qui nos omnes per Evangelium genuit, testatur de fide Romanorum, quod in toto mundo annuntietur: quam fidem jam inde a principio Sancta illa Ecclesia servavit: quam elocutus est nunc & semper Sanctissimus Archiepiscopus Leo, consonantem fidei Sanctorum Patrum, qui Nicaeae convenerunt, & omnium Orthodoxorum. Hanc jam olim tenuimus fidem ac tenemus; in qua & baptizati sumus, & baptizamus*. Quo pertinet insignis illa Ecclesiae Romanae commendatio, qua fidem Apostoli ore laudatam

(a) Lib. V. de Concord. Sac. & Imp. cap. IX. num. II.

Digitized by Google

datam jugiter inviolatam servasse praedicatur, nisi ut intelligamus, ambigendum non esse de ea fide, quae inviolabili illius Ecclesiae traditione nitebatur?

Quod vero pertinet ad Illyricianos & Paelestinos Episcopos; qui ad aliquot Leonis Epistolae loca, cum in Synodo legeretur, haeserunt; ac illi subscribere recusarunt, donec satisfactum eorum dubitationibus a Legatis est: respondet Cl. Thomassinus [a]. „ Non effici inde, ergo fas esse circa „ Pontificia decreta ambigere, nisi „ quia fas est, seu veniale potius ho„ muncionibus est, verba & sensa ora„ culi non statim capere. *Adjungit porro, quod* „ hi circa Leonis Episto„ lam fluctuantes, non ab alio, quam „ ab ipso Leone vel ejus Vicariis *in*„ *struuntur, admonentur*, & ita ac„ quiescunt. Non de ejus inerrantia „ altercantur, non ab eo ad Synodum „ provocant, non plus Synodo quam „ ipsi assensuros se jactitant, sed ab „ ipsissimo se instrui petunt, instructi „ subscribunt. Ceteri autem haesita„ tores, quorum causationibus eliden„ dis Synodus indicta est, a Leone „ hoc elogio notabantur, ut *inimici*, „ *ad Dissensiones incitati ab authore* „ *contradictionis, ad insana bella* „ *prosilientes*; & mali auctores, quod „ tamen Deus bene vertisset. Quibus etiam addendum, quod, quemadmodum superius ostensum est, aegre Synodus tulit, inducias his Episcopis dari ad deliberandum, & Leonis Epistolam, antequam illi subscriberent, excutiendam. Quare ex hoc loco confici nullatenus potest, fas esse Episcopis dubitare, an solenniter edita a Romano Pontifice alicujus Dogmatis definitio quidquam contineat, quod praecedentium Synodorum Catholicae fidei regulis adversetur. Quod tamen nisi Bossuetius demonstret, ex Chalcedonensium Patrum Leonis Epistolae subscriptionibus, quemadmodum & ex Italiae & Galliarum Episcoporum ad S. Leonem litteris, nihil efficere potest quo indeclinabilis Romani Pontificis in fidei negotiis auctoritas concutiatur.

ARTICULUS III.

Aliis Meldensis Episcopi objectis uberrime ac luculentissime ex Thomassino fit satis.

POst Chalcedonensium Patrum subscriptiones, post decerpta ex Gallorum & Italorum Praesulum ad S. Leonem litteris testimonia, aliam Bossuetius objectionem conflat ex sequentibus ejusdem S. Pontificis Epistolae ad Theodoretum verbis [b] *Quae Deus nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset*. Pergit: *nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnibus Dominus statuit praesidere, consensus, assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt, qui de judiciis nostris ambigerent: Tum ipsa quoque veritas clarius renitescit, &* for-

(a) Differt. XII. de Conc. Chalced. num. XVIII.
(b) Epist. LXIII. ad Theod. Tom. IV. Concil.

Digitized by Google

fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmat. ,, En diserte examinatio, eaque liberrima: *Multum enim*, inquit, *Sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic in summis servatur autoritas, ut in nullo Inferiorum putetur imminuta libertas, & ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se exerendi accipit fiduciam, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum*. ,, Denique, ,, *Apostolicae Sedis Epistola universae sanctae Synodi assensu firmata*, ut certissima ac perfectissima, ,, nec amplius retractanda fidei regula ,, proponitur. En quod irretractabile, seu mavis, irreformabile Leo ,, censuit; quod quidem cum orbe, ,, & cum Chalcedonensibus Patribus ,, censuisse, nemini fraudi esse potest: Ab Apostolica Sede forma ,, profertur, sed quae judicio, eoque ,, liberrimo recipi debeat: & Episcopi singuli ita summo inferiores, ,, ut de ejus quoque decreto universi ,, judicent.

Ita quidem Bossuetius: At non ita, & quidem magis ad Leonis mentem, Clarissimus Thomassinus: Iisdem enim Leonis verbis exscriptis [a]. ,, Adgaudet, *inquit*, post promulgatam ,, toto orbe Epistola sua fidei definitionem nihilosecius collectam fuisse ,, Synodum Oecumenicam; & hoc ,, amplitudinis suae non dispendium, ,, sed augumentum interpretatur. Nec ,, enim eo Synodus coiit, ut quasi ,, ignara hactenus vel dubia rectae fidei, Leonis ad Flavianum Epistolam excuteret, & libratis ultra citraque rationum momentis, vel absolveret, vel damnaret. Non id ,, Leo, non id apex ejus ullus innuit, ,, sed ex adverso INDUBITATISSIMUM ,, FIDEI DECRETUM a se evulgatum, & ,, a singulis sparsim Orthodoxis ante ,, Episcopis subscriptum fuisse, & tum ,, postea ab universis collectim in Synodo collaudatum. Profuit ergo ,, Synodus 1. *Ut Capiti membra concordarent*, & succinerent, utque ,, fidei dogma non a capite tantum ,, promulgatum, sed ab universo Ecclesiae corpore palam approbatum, ,, adversariorum ora prorsus obturaret, impetus retunderet. 2. Ut ne ,, assentationi magis quam veritatis ,, conscientiae adscriberetur illa consensio, qua singuli prius seorsim Episcopi Epistolam Leonis amplexati ,, erant: Sparsos enim & singulares ,, incessere metus aut adulatio utcumque poterat, non in unum & tam ,, numerosum agmen conglobatos. ,, 3. Ut non summorum tantum authoritati, sed & inferiorum libertati consultum sit. Romanus enim ,, Pontifex controversiarum fidei judex & arbiter est summus, non solus: ,, & Catholici dogmatis Magister primus ideo, quia non unicus: Doctorum doctor. Nec Summus quippe ipse, nec primus, nec Magister esset Doctorum & Parens, ,, nisi & singuli Doctorum nomine & ,, munere clarerent Episcopi. Itaque ,, postquam fidei Dogma debuccinavit primus, & summus Magister, ,, id ad illius quoque gloriae incrementum pertinet, ut idem ipsum in Synodo

(a) Differt. XII. de Conc. Chalced. num. XVI.

Digitized by Google

„ nodo ab Episcopalis Collegii uni„ versitate promulgetur.

Pergit Illustrissimus Bossuetius: „ neque aliter intelligebant, dubita„ tionem omnem tolli potuisse: Ecce „ enim Imperator, peracta demum „ Synodo, sic edicit: *Cesset igitur* „ *jam profana contentio: Nam vere* „ *impius, atque sacrilegus est, qui* „ *post tot Sacerdotum sententiam, opi*„ *nioni suae aliquid tractandum relin*„ *quit*. Exinde omnem de Religio„ ne prohibet disputationem: *Nam*, „ inquit, *injuriam facit judicio reli*„ *giosissimae Synodi, si quis semel ju*„ *dicata ac recte disposita, revolvere* „ *& publice disputare contendit*.

Quomodo ex hisce Marciani Imperatoris verbis colligat Illustrissimus Auctor, non potuisse absque Synodo Oecumenica omnem evelli dubitationem, plane non video. Nam quod ait Imperator, vere impium atque sacrilegum esse, post tantae Synodi definitionem, quae sancita sunt velut adhuc dubia & incerta revolvere ac ventilare, inde profecto non sequitur, insontes fuisse, qui ante Synodum regulae fidei a Sede Apostolica promulgatae, quam totus Occidens, & fere universus Oriens susceperat, pertinacius reluctabantur. Imo Imperator ipse in eadem lege, errorem Eutychis vel ante Synodum culpa neutiquam vacasse significat: *Tandem*, inquit[1], *remedia culpabilis erroris inventa sunt*. Quum ergo Illustrissimus Adversarius adfirmat, omnem dubitationem non aliter tolli, quam per Synodum Oecumenicam potuisse; vel loquitur de dubitatione, quae culpa vacet, vel de illa, quae cum culpa conjuncta sit. Si de priori dubitationis genere loquitur, falsissimum profecto est quod adfirmat. Advertit enim, & quidem merito Thomassinus (*a*): „ Romanae Sedis An„ tistites sua de fide, vel de Personis „ judicia in Oecumenica Synodo re„ tractare, examinataque iterum „ caussa, confirmari, non semper „ concessisse, non semper intercessis„ se: ubi intercesserunt, suo id jure „ fecisse; & nihilosequius semel ab „ ipsis damnatos, irretractabili infa„ miae succubuisse. *Et infra*: Tot „ fere, *inquit*, hujus rei sunt exem„ pla, quot haeresum, quae ple„ raeque, teste Augustino, particu„ laribus Synodis, & consensu uni„ versalis Ecclesiae, ad sui capitis „ unitatem religatae & conspirantis, „ ita proscriptae sunt, ut nulla vel „ petentibus Oecumenica Synodus „ concessa sit „. Quod idem alibi de Eutychiana haeresi, & Chalcedonensi Synodo observat (*b*): „ Quae „ usquam magis necessaria, quam „ post Ephesinum latrocinium Syno„ dus Chalcedonensis? Et tamen si „ Theodosius superstes diutius, aut si „ Marcianus Theodosii consilium de „ prohibenda tunc Synodo amplexus „ fuisset, non omni ideo Ecclesia de„ ficeret fidei & sospitatis suae mu„ niendae ratione: Provincialium „ enim & Regionalium Conciliorum „ consultationibus missitatis ultro ci„ troque, ut alias saepe factitatum „ est,

(*a*) Ubi supr. num. XXIV.
(*b*) Recens. Operis praefixa post. Editt. num. VI.

Digitized by Google

„ est, Oecumenicae Synodi instar ipsa „ sibi excitasset. Ea enim consensio „ omnium, aut longe plurimarum „ cum Romano vertice Ecclesiarum „ in unam fidei confessionem, ubi an„ te Synodum exsistit & radiat, tunc „ a cogenda Synodo potest Ecclesia „ abstinere. Porro consensus hujusmodi omnium in Occidente, & longe plurimarum in Oriente cum Romano vertice Ecclesiarum, vel ante Chalcedonense Concilium, uti superius ostendimus, emicabat. Quare & antequam Synodus Chalcedonensis celebraretur, haec ad Constantinopolitanum Clerum & Populum Leo perscribebat [a]: *Nec quisquam sibi audeat de Sacerdotali honore blandiri, qui poterit in execrandi sensus impietate convinci. Nam si vix in Laicis tolerabilis videtur inscitia; quanto magis in eis, qui praesunt, nec excusatione est digna, nec venia; maxime cum etiam defendere perversarum opinionum commenta praesumunt, & in consensum suum aut errore aut gratia instabiles quosque traducunt?* Erat ergo, cum juxta Leonis auctoritatem, tum juxta Gallicanae Ecclesiae expositam a Thomassino doctrinam, inexcusabilis vel ante Synodum Chalcedonensem Eutychianorum error: proindeque Synodo Oecumenica opus non fuit, ut error vel dubitatio tolleretur, quae culpa vacaret.

Si autem Meldensis Episcopus de alia dubitatione loquitur, quae a culpa & impietate immunis non sit; haec uti Romani Pontificis, ita Synodi Oecumenicae auctoritate tolli de medio non potuit. Ut enim omnibus notum, majores ac longe funestiores turbas post Chalcedonense Concilium in Aegypto, ac toto passim Oriente Eutychis ac Dioscori Sectatores excitarunt. Quare laudatus Thomassinus merito rursus observat „ ubi Romanae Sedis „ Antistites sua in Oecumenica Syno„ do retractari judicia concesserunt, „ sua sponte, & quadam juris venia „ facta, indulgenter concessisse; nec „ tamen ex Concilii Oecumenici au„ thoritate mitigatam, aut fractam „ fuisse perduellium contumaciam: „ quin plerunque in abrupta despera„ tionis praecipitatam. Cujus rei luculentius non suppetit argumentum quam caedes statim fere post Synodum in Paelestina per Theodosium, & sibi comites insanos ac perduelles Monachos, & in Aegypto per Timotheum Aelurum perpetratae, & quod inde sequutum est Acacianum schisma, aliaque sectarum doctrinarumque portenta, quae totum Orientem misere dilacerarunt. Quo quidem aliisque experimentis constat, eos, qui Romanorum Praesulum auctoritati reluctati sunt, perinde ut plurimum fuisse adversus Oecumenicas Synodos contumaces.

Sed rursus Bossuetio aures aut oculos admoveamus: En, *inquit*, in „ Eutychetis condemnatione, ordo „ Ecclesiasticorum judiciorum circa fi„ dei quaestiones. Nempe is a pro„ prio Episcopo Flaviano judicatur, „ a Sancto Leone Papa causa recogno„ scitur, retractatur; Sedis Apostoli„ cae definitione deciditur; post eam „ definitionem Patrum seu Episcopo„ rum in Concilio generali examen, „ in-

(a) Epist. XXIII. 1. Par. Conc. Chalced.

„ inquisitio, judicium sequitur: post „ approbatam Patrum judicio definitionem, jam nullus dubitationi aut „ disputationi locus. Neque aliter „ Leo &c.

Haec omnia jam funditus convulsa sunt. Nam luculentis, & ipsa luce clarioribus testimoniis ostendimus, nullatenus consensisse Leonem, ut fides Sedis Apostolicae auctoritate sancita in Chalcedonensi Synodo tamquam incerta vel dubia retractaretur: Ostendimus etiam, aegre ipsam Synodum tulisse quorumdam Episcoporum circa Leonis Epistolam dubitationes, nec facile ex quadam indulgentia paucorum dierum inducias ad eam Epistolam recensendam, dubitantibus concessisse. Itaque fidem Leonis ore & Epistola promulgatam, nec Leo ipse retractari permisit, nec eam reapse Chalcedonensis Synodus retractavit. Quod vel ex hoc ipso, quod Bossuetius subjungit, S. Leonis ad Galliarum Episcopos testimonio, perspicue ac dilucide demonstratur.

„ Neque, *inquit Bossuetius* aliter „ Leo (a): *Nullum jam excusationis* „ *refugium de ignorantia, vel de in-* „ *telligentiae difficultate conceditur;* „ *cum sexcentorum fere Fratrum Coe-* „ *piscoporumque nostrorum Synodus* „ *congregata, nullam artem ratioci-* „ *nandi, nullum eloquium differendi* „ *contra fundamentum fidei inspiratae* „ *permiserit; quoniam, adnitentibus* „ *per auxilium Dei Fratribus Vicariis* „ *nostris, non solum Sacerdotibus Chri-* „ *sti, sed etiam Principibus & pote-* „ *statibus Christianis, cunctisque Cle-* „ *ricis, Plebibus, Ordinibus, plene* „ *atque evidenter apparuit, hanc esse* „ *vere Apostolicam fidem, quam sin-* „ *ceram, & ab omni faece totius er-* „ *roris alienam, sicut accepimus, prae-* „ *dicamus, & universo jam mundo* „ *consentiente, defendimus*. Sic summum jam & indeclinabile decreto „ Apostolico robur accedit, postea- „ quam universali inquisitione, examinatione, discussione, atque exin- „ de consensu ac testimonio roboratur.

Verum nullum hoc testimonio luculentius ad id, quod Illustrissimus Auctor contendit, funditus evertendum, nimirum ideo coactum fuisse Chalcedonense Concilium, ut fides, quam Sedes Apostolica declaraverat, inquireretur, discuteretur, differtaretur: quum ex adlato testimonio constet „ Eutychianos, ut verbis utar Tho- „ massini (b) ne hiscere quidem, ne- „ dum disputare permissos in Synodo „ Chalcedonensi; sed adnitentibus „ Legatis Romanis, dictata a Leone „ Epistola & fides, universae Syno- „ do, Principi, Populoque adpro- „ bata protinus est, & citra novi exa- „ minis recidivas pugnas ab omnibus „ subscripta..... Nec ulla interea „ est Synodi Oecumenicae gratia, & „ utilitas. Nam fide per illam semel „ promulgata, non suppetit *ultra* „ *cuiquam excusationis refugium de* „ *ignorantia & inscientia, & intelligen-* „ *tiae difficultate* „. Quod tamen non ita accipiendum est, perinde atque omnino excusabiles fuerint Episcopi & Ecclesiarum Magistri, qui, ut in hac ipsa Epistola loquitur Sanctissimus

(a) Epist. LII. Tom. IV. Concil.

(b) Ubi sup. num. XV.

Digitized by Google

mus Pontifex, *diabolicorum sensuum prodigiosa commenta*, ante Oecumenicam Synodum sectabantur. Hic ergo qualiscumque ignorantiae, inscientiae, & intelligentiae difficultatis obtentus iis tantum ut cumque suffragari poterat miserabilibus Monachis, quibus, ut ait idem Leo, *indoctis, nimiumque simplicibus* Eutyches suum virus adflaverat, ac *persuadere tentaverat* ..... in Christo *divinitatis ejus & carnis unam esse naturam*. Hi ergo aliique indocti nimiumque simplices homines, qui antea miserabile quidem, sed qualecumque tamen sibi de ignorantia patrocinium accersebant, jam longe inexcusabiliores effecti sunt, postquam patentissima haec, & in omnium sese oculos ingerens totius Ecclesiae corporis auctoritas, & in unam fidem consensus e Chalcedonensi Synodo effulsit.

CAPUT XVIII.

„ Adversariorum effugia: Bellarminus & Baronius diversa sectantur: aliorum cavillationes: de Theodoreto in Sedem restituto agitur, ex eoque facto nostra sententia confirmatur.

De Bellarmini circa Leonis Epistolam opinione non est quod solliciti simus: Non enim in ejus verba juravimus; & S. Leonis Epistolam ex Cathedra Apostolica tamquam fidei regulam prodiisse contra atque ille doctissimus Cardinalis existimat, pro certo atque explorato habemus. Quare iis omissis, quae adversus Bellarminum in praesenti Capite Bossuetius intorquet, ad alia, quae pro arbitrio effutit, examinanda ac refellenda properamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae de S. Leonis Epistolae in Chalcedonensi Synodo examine Bossuetius iterum ingerit, ex jam dictis refelluntur.

„ Novi, inquit Illustrissimus Auctor, qui Bellarmini responsa erubescant, haec vero haud meliora proferunt. Certa res, inquiunt Leoni erat; *plenissime, lucidissime* a se exposita omnia noverat, & ad Synodum Chalcedonensem scripserat: Neque in dubium revocari sinebat a Legatis: *Fidem*, inquit, *non patiamini in dubium revocari*. Examen igitur illud non ex dubitatione, sed ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem pertinebat. Haec illi: at si res ita est, quid vetabat examinari Conciliaria quoque decreta? Quid ipsas etiam Scripturas? Non autem id factum unquam. Ergo cum Chalcedone examinaretur Leonis Epistola, aliud agebatur, quam id quod isti fingunt.

Resp. primo, pro nihilo non esse habendam S. Leonis tanti Pontificis auctoritatem; qui quanquam omnem movebat lapidem, ut ad reparanda, sanandaque vulnera, quae Dioscorus per Pseudo-Synodum Ephesinam Ecclesiae universae intulerat, Concilium generale celebraretur; attamen nolebat fidei negotium a se plenissime ac lucidissime expositum examinari, & tanquam dubium redivivis disceptationibus retractari. Plura superius in hanc rem Sancti Pontificis loca produximus.

Digitized by Google

ximus. Quare unum hic tantum in hanc rem subjiciam ex ejus ad Marcianum Imperatorem Epistola testimonium (*a*): *Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella provocemur: tamquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, & utrum impie Dioscorus judicarit &c:* Ergo quod Bossuetius justum ac legitimum esse putat, sanctissimus ac doctissimus Pontifex *nimis iniquum* esse decernit, nempe fidei caussam per paucorum hominum insipientiam in futura Oecumenica Synodo ventilari. Cui ergo magis credemus; Meldensium Episcopo, an tanto universae Ecclesiae Pontifici ac Doctori? Quem putabimus, magis explorata habuisse Romani Pontificis & Synodi Oecumenicae jura? An ergo Episcoporum, an Concilii universalis libertatem attentabat Leo, quum haec ad Synodum Chalcedonensem pro sua auctoritate scribebat (*b*): *Ut qui non potestis ignorare quid credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi, quod non licet credi; quum ..... plenissime & lucidissime per literas, quas ad beatae memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quae sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.* An, inquam, quum haec ad Patres Chalcedonenses scribebat Leo; quum suam illis ad Flavianum Epistolam tamquam fidei regulam, eamque irretractabilem proponebat; quum satis esse putabat, ut suam fidem atque doctrinam non ignorarent, ut ad illam quaecumque ab eis decernenda essent, tamquam ad regulam tutamque normam exigerent; Synodi Oecumenicae jura & libertatem Sanctus Pontifex violabat? Id quidem libertatum Ecclesiae Gallicanae eversionem Bossuetius aliique dicerent. Verum, ut mox videbimus, non hic fuit Patrum Chalcedonensium sensus. Interim observo, quod quum suas de fidei dogmatibus Epistolas ad Episcopos tanquam irretractabiles fidei regulas transmittunt, vel ipso fatente Bossuetio, habent Romani Pontifices quem sequantur: nempe magnum Leonem totius Ecclesiae fulgidissimum jubar.

Resp. 2. quod, uti superius demonstratum est, Leonis voluntati, fidem Apostolica auctoritate sancitam retractari vetanti, Chalcedonensis Synodus morem gessit, atque omnes Episcopi, paucis exceptis, publice ac solenniter iteratis saepius acclamationibus protestati sunt, quod *Petrus per Leonem locutus est: Sicut Leo ita credimus: Omnes ita credimus: Nostrum nullus dubitat*: aegreque tulerunt nimiam quorumdam morositatem, ac vix persuaderi potuerunt, ut eis aliquot dierum induciae ad subscribendum permitterentur. Quare de Leonis Epistola suas ad Flavianum litteras retractari renuentis Synodus conquesta non est, nec ullus Patrum caussatus est, Synodo & Episcopis adimi libertatem, sed morigeri in omnibus Sancti Pontificis voluntati fuerunt. Hos proinde habent,

(*a*) Epist. XLII. Tom. IV. Concil.

(*b*) 1. Par. Conc. Chalcedon. Epist. XL.

Digitized by Google

bent, quos sequantur, qui circa Romanorum Pontificum decreta nullatenus cavillantur.

Resp. 3. quod examen ad velut adhuc latentem veritatem eruendam institutum, & quod ex dubitatione procedat, post promulgatum Sedis Apostolicae auctoritate judicium non nisi extraordinarie, & ex indulgentia, & quadam juris relaxatione conceditur, ad perfringendam quorumdam contumacem surditatem, quam, ubi pervadere non potuit, ut eleganter ait Clarissimus Thomassinus, solitaria Capitis vox, perrumpat saltem, discussis eorum omnibus dubitationibus, ingeminata & vehementior totius Corporis connitentis, non alia tamen quam Capitis vox.

Resp. 4. cum eodem Thomassino, quod si loquimur de examine in publicis Synodi conventibus sive Actionibus peracto, examen illud, quo Leonis litterae discussae sunt: ne tibi fingas inusitatum quid & alienum a moribus Ecclesiae: non aliud fuit, quam quod iis perlectis, omnes professi sunt, eam fidem se, & dum tingerentur, imbibisse; & dum tingerent, infudisse. Consule sis acta ipsa, ut ea superius recensuimus. Nec sane poterant Episcopi, qui ante Synodum applauserant Epistolae, illam in Synodo explodere, vel in dubium vocare.

Resp. 5. quod si loquamur de hoc genere examinis, nihil vetat, hoc pacto examinari Conciliaria quoque decreta, quin ipsas etiam scripturas. Sic, uti superius ostendimus, post Chalcedonense Concilium plurimae per Orientem habitae sunt Synodi, in quibus cum praecedentium Conciliorum fidei regulis Chalcedonensia decreta collata sunt, iisque propterea subscriptum, quod eis neutiquam repugnarent, sed optime cum illis concinerent. Quid porro vetat, ut ad Judaeorum pervincendam obstinationem, vel Haereticorum domandam contumaciam, vel novum Testamentum veteri; vel Scripturae Libros, quos isti rejiciunt, cum illis quos admittunt, optime concinere demonstremus; quemadmodum a Patribus Chalcedonensibus de Leonis Epistola, & ab Orientalibus Synodis de ipsorum Chalcedonensium decretis, ad evellendum pervicacibus Eutychianis hunc scrupulum, demonstratum est, cum illam, tum ista optime cum Nicaeno, & Constantinopolitano Symbolo, & cum Ephesina Synodo consentire? Quod si loquamur de examine, quo res tamquam dubia retractetur, extraordinarie id quidem indoctis & imperitis hominibus, ex indulgentia & quadam juris relaxatione aliquando conceditur: quod tamen post Synodum generale vix concedendum est. Nam qui Pontifici, qui Ecclesiae Capiti contumaciter reluctantur, spes aliqua est, ut saltem universi corporis capiti suo concinentis auctoritate frangantur. Qui vero totius corporis, totius Ecclesiae in generali Synodo congregatae, & capiti suo adhaerentis vocem non audit, jam habendus est nobis tamquam Ethnicus & Publicanus. Quanquam, uti superius demonstravimus & Theodosius Magnus post Synodum Constantinopolitanam, & Leo Augustus post Synodum Chalcedonensem, *extraordinariam* hanc *effusiore quadam*, ut loquitur saepius laudatus Thomassinus, *dispensandi licentia, aut potius caritate, cognitionem concesserint*.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Ejusdem examinis continuatio: demonstraturque, Epistolam S. Leonis ad Chalcedonense Concilium fuisse transmissam, non ut de ipsa, verum ut secundum ipsam tamquam immobilem & irreformabilem regulam de fide Synodus judicaret.

PRosequitur Illustrissimus Auctor: ,, Neque vero Chalcedonenses ,, luculentiorem ipso Leone, qui om- ,, nia *lucidissime explanaverat*, sed au- ,, toritate firmiorem protulere senten- ,, tiam. Neque audiendum illud: San- ,, cto Pontifici explorata erant omnia: ,, ergo in tanta certitudine, nullum ,, quaestioni, nullum examini, qua- ,, le nos dicimus, permittebat locum. ,, Nempe id qui objiciunt, ne mihi ,, quidem intellexisse videntur, quid ,, sit examen in negotio fidei; cum ,, praesertim de summis ac praecipuis ,, Christianae Religionis dogmatibus ,, agitur: neque enim ut Patres Nicae- ,, ni, cum de Arianis quaererent, de ,, Filii divinitate ambigebant: sed ,, quam ab ea fide Ariani abessent, qui- ,, busque sententiis ac verbis insanus ,, error confutandus esset. Neque E- ,, phesini cum de Nestorii & Cyrilli, ,, atque adeo de Caelestini fide inqui- ,, sitio fieret, ipsi de fide dubitabant; ,, sed recte ne an secus illi fidem expo- ,, suissent: neque item Chalcedonen- ,, ses ullo modo dubitabant quis esset ,, Christus, Deus ne ac Homo verus; ,, an confusis naturis quid tertium, si- ,, ve aliud portentum Eutychiani co- ,, gitarent: non id sane quaerebant; ,, sed vere ne & ex communi Patrum ,, & Ecclesiae sententia, tantum Sa- ,, cramentum Leo exponeret. Ac ,, certum Leoni erat, a se *plenissime* ,, expositam fidem recte. An & id ,, omnibus aeque certum exploratum- ,, que esset, quaerebatur. Episcopi ,, ergo, ad quos perlata erat Leonis ,, Epistola, ejus sensum quisque cum ,, ea fide componebat, quam ipsi a ,, Patribus accepissent: neque caeca, ,, ut ajunt, obedientia, sed ex cer- ,, ta & expressa inquisitione parebant.

,, Certe multos vidimus optima fi- ,, de dubitasse, neque subscripsisse, ,, nisi postquam ipsis satisfactum fuit: ,, ergo vere & proprie rem exami- ,, nabant ut nondum exploratam: ac ,, Leoni quidem Petri loco sedenti id ,, certum fuisse visum, praejudicii ,, cujusdam instar, magnaeque ac va- ,, lidae praesumptionis loco erat; sed ,, postquam idem quoque omnibus vi- ,, sum est, non tantum praesumptio, ,, sed omnibus modis fixa sententia, ,, & irretractabile judicium.

,, At enim, inquiunt, plerique ex ,, Patribus jam ipsam Epistolam sub- ,, scriptione firmaverant, & omnes ,, clamabant, hanc esse suam fidem: ,, sane, sed jam ordine & legitime ,, declarandum restabat, unde is sibi ,, sensus: nempe quod recte exami- ,, nantibus constitisset, Leonis sen- ,, tentiam cum antiqua fide, quam ,, hauserant, consentire: id ergo si- ,, mul in Synodo faciunt, quod singu- ,, latim ante Synodum quique fece- ,, rant, & prolato communi judicio, ,, quae senserant, firmant.

Haec omnia eo recidunt, ut probetur, tum Leonis Epistolam examinatam a Synodo Chalcedonensi fuisse eo genere examinis, quod ex dubitatione pro-

procedit; tum de illa judicatum eo genere judicii, quo Judex superior de inferioris Judicis sententia judicat: quae quidem duo satis jam confutavimus. Verum & haec, quae in praesentia ex Illustrissimo Auctore descripsimus, singillatim ac dearticulatae expendenda sunt, ne iis, qui in his rebus minus versati sunt, facile imponant.

Neque, inquit, *audiendum illud: Sancto Pontifici explorata erant omnia, &c.* Sanctus Pontifex non modo certum & exploratum habebat, turpissime & insanissime a fide Catholica Eutychem aberrare; verum & ejusdem fidei Catholicae doctrinam a se plenissime ac lucidissime expositam: nec modo renuebat ipsum Catholicum dogma, verum & suam ad Flavianum Epistolam, velut adhuc dubiae & incertae auctoritatis in Synodo retractari. Similiter Patres Chalcedonenses, paucis exceptis, neque de fidei dogmate, neque de Leonis Epistola dubitabant. Ergo quidquid ab eis vel circa fidem, vel circa Leonis Epistolam actum est, eorum dubietatem non arguit, nec quodcumque aut qualecumque fuit illud examen, ex dubitatione profectum est. Ita & Nicaeni Patres de Filii Dei Divinitate neutiquam ambigebant, Ariique impietatem & blasphemas voces palam exsecrabantur; nec tamen nisi plurimis disceptationibus habitis, ingentique praemissa perquisitione, manifestam impietatem anathemate perculerunt. Testantur id ipsimet Patres in Synodica (a) ad Aegyptios Epistola: *Necessarium videtur, ut a toto Sacro Concilio literae ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere, cum ea, quae in controversiam adducta, & exquisite disceptata sunt, tum quae decreta & constabilita sunt. Primum impia & perversa dogmata Arii, eorumque, qui ejus sectam sequuntur, coram Sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: unde placuit Concilio, communibus suffragiis anathema denunciare ejus nefariae opinioni, & verbis sententiisque exsecrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis afficiendum*. Idem testantur & Constantini ad Alexandrinos litterae, quibus, ut est apud Sozomenum (b) eos hortatus est, *uti omni dissidio, ac simultate deposita, in fide a Concilio edita consentirent: Eam enim nihil aliud esse quam Dei sententiam, consensu tot tantorumque Episcoporum per Spiritum Sanctum stabilitam; & post accuratam inquisitionem rerum omnium in controversia positarum, comprobatam*. Itaque & aures suas obturarunt, ubi primum Arii fides legi caepta est, ejusque blasphemias aperte detestabantur; & tamen, uti Gelasius Cyzicenus, Socrates, Sozomenus, ac Theodoritus testantur, cum Ario de fide coram Imperatore disserere, ejusque doctrinam examinare, neutiquam renuebant: *Qua re confecta*, inquit Sozomenus (c) *a Sacerdotibus de fide disputari caeptum est. Imperator autem utriusque partis rationibus non attentas solum, verum etiam patientes aures praebuit*. Et Gelasius Cyzicenus (d): *Communicabant igitur quotidie Sancti Episcopi nostri multo tem-*

(a) Apud Soc. lib. 1. cap. VI.
(b) Apud Sozom. lib. 1. cap. ult.
(c) Ibid. cap. XIX.
(d) Lib. II. Hist. Conc. Nic. cap. XI.

Digitized by Google

tempore permulta inter se de fide, rati nihil cito aut temere de re tanta statui debere. Arium frequenter accersebant, & crebris interrogationibus propositiones ejus refutabant &c. Quae profecto ad solam fidei formulam adversus Arianos promulgandam referri nullatenus possunt. Itaque & res ipsas, id est, & Catholicorum fidem, & Arii doctrinam examinabant, de quibus tamen nullatenus ambigebant: subindeque falsum est, quod Bossuetius indicare videtur; nimirum Synodi examen ad ea tantum pertinuisse, de quibus a Patribus dubitabatur. Fac tamen, Nicaenos Patres, cum de Arianis quaererent, id tantum quaesivisse, quam a fide Catholica Ariani abessent, quibusque sententiis ac verbis insanus error confutandus esset: quid vetat, nos pariter adfirmare, quod Ephesini & Chalcedonenses Patres quum de probatis per Caelestinum Cyrilli litteris, ac de Leonis Epistola quaererent, easque cum ea fide componebant, quam ipsi a Patribus accepissent, nequaquam de illarum orthodoxia ambigebant, & recte ne an secus illis fides exponeretur; sed quam ab ea fide Nestoriani atque Eutychiani abessent, quibusque sententiis ac verbis, qua fidei formula, quibusve anathematismis insani eorum errores confutandi essent. Non enim hanc abnuimus Synodis Oecumenicis auctoritatem, ut praeter Romanorum Pontificum decreta vel dogmaticas constitutiones, alias si ipsis videbitur, fidei regulas aut Expositiones proponant, dum in iis concinnandis ab Apostolicis literis non recedant, sed eas tamquam immobiles regulas certasque formas sequantur. Itaque non de illis judicare debent, quemadmodum superior judex de inferioris Judicis sententia judicat, eamque pro sua auctoritate retractat ac reformat; sed juxta illas tamquam certissimas & inconcussas fidei regulas judicare debent, & si quam edere volunt fidei expositionem, eam ad illarum normam & amussim exigere.

Hujusce rei, quae sane magni momenti est, luculentissimum suppetunt argumentum ipsamet acta Concilii Chalcedonensis. Quum quaedam fidei definitio praeside, ut videtur, Anatolio conscripta esset, & jubentibus Judicibus in Synodo recitata, ea fere omnibus placuit, & solitis acclamationibus probata est. Quaerente enim Anatolio: *Placet vobis definitio? Omnes Reverendissimi Episcopi, praeter Romanos, & aliquos Orientales, clamaverunt: Definitio omnibus placet: Haec fides Patrum: qui praeter ista sapit, haereticus est: Qui aliter sapit, anathema sit, &c.* His tamen vocibus & clamoribus nequaquam deterriti sunt Paschasinus aliique Sedis Apostolicae Legati, sed constanter restiterunt, protestatique sunt, ac dixerunt: *Si non consentiunt Epistolae Apostolici & beatissimi viri Papae Leonis, jubete, nobis rescripta dari, ut ibi Synodus celebretur.* Ut haec controversia componeretur, suggestum est a Judicibus, ut ex Oriente, Asia, Ponto, Thracia, & Illyrico delecti Episcopi cum Anatolio & Legatis conferrent, ac fidei definitionem proferrent, quae omnibus probaretur. Verum Episcopi, quibus definitio placebat, neutiquam adquieverunt, sed in has iterum voces eruperunt: *Definitio omnibus placuit: Spiritus Sanctus definitionem dictavit: definitio or-*

tho-

thodoxa est: Definitio modo subscribatur: Qui non subscribit, haereticus est. Cardo controversiae in eo vertebatur, quod Epistola S. Leonis non modo habebat, Christum ex duabus esse naturis, verum & duas in ipso naturas praedicabat: Definitio autem non habebat nisi ex duabus naturis. Quare Judices in memoriam Episcopis revocarunt, dixisse Dioscorum, *propter hoc se damnasse Flavianum, quia duas naturas ajebat esse: definitio autem habet ex duabus naturis.* Reposuit Anatolius, propter fidem damnatum non fuisse Dioscorum, sed propter temeritatem, qua in S. Leonem excommunicationem vibravit; & propter contumaciam, qua Synodo parere contemsit. Iterum ergo Judices quaesierunt, an Epistolam S. Leonis susciperent, quumque ab Episcopis responsum esset, eam se jam suscepisse, eique subscripsisse: *Ergo*, dixerunt Judices, *quae in ea inseruntur, inserantur etiam definitioni.* Nulla magis justa & legitima consecutio: attamen rursus pertinaces Episcopi clamaverunt: *Altera definitio non fit: Nihil deest definitioni: Epistolam definitio firmavit: Archiepiscopus Leo, ut credimus, ita credit &c.* Itaque ad Imperatores delata est exorta inter Episcopos controversia; ab eisque decretum est, ut, quemadmodum Judices jam suggesserant, delecti ex variis Provinciis Episcopi cum Anatolio & Legatis conferrent, & in unam fidei formulam convenirent: sin autem, scirent, dissolvendum esse Concilium, & in Occidente Synodum celebrandam. Adeo tamen definitioni adfixi erant Episcopi, ut neque Imperatorum jussibus adquiescerent: ad eorum ergo flectendam obstinationem, iterum Judices monuerunt, dixisse Dioscorum: *Quod ex duabus naturis est, suscipio; duas non suscipio*: Leonem autem docere, duas esse in Christo naturas unitas inconfuse, inconvertibiliter, & indivisibiliter. *Quem igitur*, inquiunt, *sequimini? Sanctissimum Leonem, aut Dioscorum?* Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *ut Leo, sic credimus: Qui contradicunt, Eutychianistae sunt: Leo recte exponit:* Quibus statim Judices reposuerunt: *Ergo addite definitioni, secundum judicium Sanctissimi Patris nostri Leonis, duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse.* His auditis, delecti Episcopi una cum Legatis, Anatolio, & Judicibus, in Oratorium S. Martyris Euphemiae ingressi sunt; collationeque habita, in eam tandem fidei definitionem omnes consenserunt, quae in hac quinta Actione promulgata est, & Actione sequente coram Imperatoribus iterum lecta, in qua duas in Christo naturas agnoscunt, & Epistolam S. Leonis, *utpote Magni illius Petri confessioni congruentem, & communem quamdam columnam exsistentem adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum*, sese amplecti ac recipere profitentur.

Ex hac narratione clare & aperte perspicitur, quod probare contendimus, nimirum Dogmaticas Romanorum Pontificum Epistolas ad Concilia generalia fuisse transmissas, non ut de illis juridice Episcopi judicarent, verum ut ad illas tanquam ad rectam regulam, immotamque formam dogmata, de quibus disceptabatur, exigerent. Non enim hoc loci agebatur de

Leo-

Leonis litteris aut rejiciendis, aut reformandis; vel de aliqua particula ad eas adjiciendâ, vel ab eis detrahendâ; sed tantum de fidei definitione sancienda, quae Sancti Pontificis doctrinam non plene atque integre referebat. Ei nihil deesse, Episcopi fere omnes contendebant; haereticos esse clamabant, qui definitionem rejicerent; ei denique nihil addendum, quod illam Spiritus Sanctus dictasset. Contra Sedis Apostolicae Legati hanc veluti Synodi praevaricationem habebant, seseque rebus infectis discessuros minabantur, omnemque proinde tanto Concilio ademturos auctoritatem. Et certe, quum in eo potissimum controversia Catholicos inter atque haereticos versaretur, an duae in Christo naturae post unionem inseparabiliter & inconfuse subsisterent; an non Synodus fuisset praevaricata, si id in fidei definitione dissimulasset? An non, iis verbis omissis, quae adjungi Legati volebant, fidei formulam concinnassent, cui fortasse ipse quoque Dioscorus subscribere neutiquam renuisset? En quo Synodus labi ac ferri potest, quum ad praescriptas per Sedem Apostolicam formas ac regulas suos Episcopi sensus non componunt. Hîc videmus, adornatam probatamque ab universa fere Synodo fidei definitionem per Sedis Apostolicae Legatos juxta Leonis Epistolam reformatam: vidimus etiam Damasum Ariminensis Concilii formulam abrogantem: Nunquam vidimus legitimam Synodum, quae dogmaticam Romani Pontificis Epistolam reformarit. Quis ergo animum inducat, Sedis Apostolicae litteras ad Synodos transmitti, ut earum arbitrio subjiciantur, & per easdem Synodos retractentur, ac reformentur? Sed ad Meldensem Episcopum redeamus.

Certe, inquit, *multos vidimus optima fide dubitasse, neque subscripsisse, nisi postquam ipsis satisfactum fuit: ergo vere & proprie rem examinabant, ut nondum exploratam*. At, inquam, tota fere Synodus nullatenus dubitabat, aegreque ferebat, quod aliqui Episcopi ambigerent, & ad aliqua loca Epistolae Sancti Leonis haererent, eisque ad examen instituendum induciae concederentur: ergo vere & proprie tota fere Synodus rem nequaquam examinabat ut nondum exploratam; sed certam ipsi & indubiam propter morosos, haesitantes, aut refractarios optimo in lumine collocabat.

At enim, inquiunt, plerique ex Patribus jam ipsam Epistolam subscriptione firmaverant, & omnes clamabant, hanc esse suam fidem: Sane, sed jam ordine & legitime declarandum restabat, unde is sibi sensus &c. Haec videtur, quod conciliari non possint cum iis, quae paullo ante dicebat. Si enim plerique ex Patribus Epistolam subscriptione firmaverant, si omnes clamabant, hanc esse suam fidem; quomodo superius dicebatur, quod Chalcedonenses Patres nullo modo dubitabant, quis esset Christus &c. quod non id sane quaerebant; sed vere ne, & ex communi Patrum & Ecclesiae sententia tantum Sacramentum Leo exponeret, investigabant; idque ex dubitatione, non autem ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem? Deinde etsi de ipsis Mysteriis Patres nullo modo dubitabant, ut Ex. Gr. Chalcedonenses, duas esse in Christo naturas; Ephesini, duas non esse in ipso Personas; Constantinopolita-

Digitized by Google

litani, Spiritum Sanctum esse cum Patre & Filio adorandum; Nicaeni, Filium ejusdem esse cum Patre substantiae; cur tamen dici non poterit quod jam ordine & legitime declarandum restabat, unde is sibi sensus &c. Non ergo facile apparet, qua in re positum sit discrimen inter Mysterium ipsum, & litteras Apostolicas, quibus idem Mysterium exponitur, ac firmatur.

Quae deinde ex Innnocentio IV. & Concilio Viennensi Bossuetius adfert, alio pertinent, nec ad Synodicum examen referri possunt earum Epistolarum, quas jam universus Occidens, & omnes fere Orientales Episcopi subscriptione firmaverant, de quo tamen in praesenti differimus. Quare quum laudata Innocentii & Patrum Viennensium testimonia alio spectent, alibi pariter expendentur.

Aut vero dicant velim, qua ratione non jam de Romanorum Pontificum decretis, sed de aliorum Scriptorum literis & tractatibus judicatum putent? Vero certe examine, tamquam de re dubia. Ita enim Cyrilli, ita Nestorii expositiones in Ephesina Synodo &c. Atqui de Leonis Epistola non aliud gestum &c. Hîc rursum secum ipse Meldensis Episcopus confligatur. Nam quî fieri potest, ut de Leonis Epistola tamquam de re dubia Chalcedonenses Patres examen instituerent, qui jam ipsam Epistolam subscriptione firmaverant, & omnes clamabant, hanc esse suam fidem, ac solenniter protestabantur, quod nullus eorum dubitabat, contendebantque, citra novum examen Epistolae ab omnibus subscribendum?

Porro de aliorum litteris & tractatibus distinguendum est; vel enim Romani Pontificis decreto probati fuerant aut improbati, quomodo Cyrilli & Nestorii litterae ac tractatus Caelestini decreto; aut nihil de illis Pontifex Romanus statuerat. Si de priori Scriptorum genere loquimur, ea perinde ac Sancti Leonis Epistola, hac mente in Synodis generalibus recensebantur, qua Theodosii Magni & Leonis Augusti jussu Nicaena & Constantinopolitana & Chalcedonensia decreta recensita sunt, & ad examen, *ex venia & ad redundantiam juris*, ut Cl. Thomassinus loquitur [a], quodammodo revocata. Secus autem est de aliorum privatorum litteris ac tractatibus, qui nullo Sedis Apostolicae suffragio muniebantur: De his enim admittimus potuisse in generalibus Synodis judicari, vero instituto examine tanquam de re dubia.

ARTICULUS II.

De Theodoreto aliisque per Chalcedonense Concilium in suis Sedibus confirmatis.

„ Sic duo illa expedivimus, *inquit*
„ *Illustrissimus Bossuetius*, quae
„ ab initio sunt commemorata; nempe
„ Dioscori condemnationem, & ap-
„ probationem Epistolae ad Flavia-
„ num. Tertium addimus, quod ad
„ rem nostram pertineat, de Theo-
„ dereto in suam Sedem restituto. Is
„ igitur cum jubentibus Episcopis,
„ Nestorium aperte anathematizasset,
„ *Gloriosissimi Judices dixerunt: Om-*
„ *nis jam dubitatio de Theodoreto est*
„ *so-*

(a) Recens. dissert. de Concil. num. VII.

„ *soluta, quippe & Nestorium coram* „ *vobis anathematizavit; & a San-* „ *ctissimo Archiepiscopo Senioris Ro-* „ *mae Leone susceptus est, & defini-* „ *tionem fidei a Religiositate vestra* „ *prolatam libenter suscepit; & insu-* „ *per Epistolae memorati Sanctissimi* „ *Archiepiscopi Leonis subscripsit.* „ *Decet igitur, ut sententia profera-* „ *tur a Deo amabili Sanctitate vestra,* „ *ut Ecclesiam suam recipiat, sicut* „ *& Sanctissimus Leo Archiepiscopus* „ *judicavit. Omnes Reverendissimi* „ *Episcopi clamaverunt: Theodoretus* „ *dignus est Sede: post Deum Leo judi-* „ *cavit.* Nihil ergo Theodoreto pro- „ futurum erat prolatum a Leone de „ eo in Sedem restituendo judicium, „ nisi postquam ad Synodum perlata „ res est, & fidem suam Synodo ap- „ probasset, & ab eadem Synodo „ Leonis judicium firmaretur. Haec „ gesta sunt Legatis Sedis Apostolicae „ praesentibus, ac postea pronuncian- „ tibus eam de firmando Leonis judi- „ cio sententiam, quam tota Syno- „ dus comprobavit.

Ex Actione prima Concilii manifestissime apparet, quod praeter Aegyptios, Illyricianos, & Palaestinos, paucos illos, qui & S. Leonis ad Flavianum de fide Epistolam totius Occidentis, ac ferme totius quoque Orientis, subindeque universae Ecclesiae jam judicio probatam, examinari petierunt, reliqui omnes Episcopi, idest, maxima Synodi pars, imo tota fere Synodus, quibus & Imperator & gloriosissimi Judices suffragabantur, citra novum examen Theodoretum ad Synodum inter Episcopos admittendum esse censebant, propterea quod ejus fidem Leo probaverat, suamque ei Sedem restituerat: *Gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt:* „ Ingrediatur & Reverendissimus Epi- „ scopus Theodoretus, ut sit parti- „ ceps Synodi, quia & restituit ei „ Episcopatum Sanctissimus Archiepi- „ scopus Leo, & sacratissimus & piis- „ simus Imperator sanxit, eum adesse Sanctae Synodo. *Et ingresso Theodoreto Reverendiss. Episcopo, Aegyptii, & Illyriciani, & Palaestini Reverendissimi Episcopi clamaverunt:* „ Misereminі: Fides perit: Istum „ Canones ejiciunt; Hunc foras mit- „ tite &c. *Orientales, & Pontici, & Asiani, & Thraces Reverendissimi Episcopi clamaverunt:* „ Nos in pura „ carta subscripsimus: caesi sumus, & ita subscripsimus; idest, ut infra exponitur, vim a Dioscoro passi sumus, quum Theodoretum in Ephesino latrocinio e sua Sede dejecimus. Quare, jubente Senatu, eo sedente in medio, iidem *Orientales, & qui cum ipsis Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Dignus dignus.* Hinc dum sequentes Actiones celebrarentur, pro Episcopo semper habitus est, & tanquam Cyri Episcopus S. Leonis Epistolae Actione quarta, & Synodi definitioni Actione quinta subscripsit. Quod ergo ejus caussa Actione octava iterum proposita est, ex eadem indulgentia, & juris relaxatione factum est, qua & S. Leonis Epistola est, iisdem paucis petentibus Episcopis, in Synodo examinata. Quanquam adjungi potest, quod quum de mera, ut vocant, *facti* quaestione ageretur, id est, de fide, ut ajunt, *personali* ipsius Theodoreti; quibus in caussis Romanis Pontificibus indefectibile judicium non adserimus; aliquo jure permitti potuit,

ut

Digitized by Google

ut ad evellendum omnem suspicionem, ne absenti Leoni forsitan imposuisset, ac Nestorium non ex animo ejurasset, ad publice & coram Synodo anathema adversus eum pronunciandum adigeretur: Noverant enim, inde religatam esse ac pendere pacem & communionem, quam ei Apostolica Sedes indulserat. Verum, quod paullo ante dicebam, nimirum ex quadam indulgentia & ut paucis Episcopis Theodoreti Adversariis satisfieret; fuisse in eum quodammodo instauratum judicium, confirmari potest, ex verbis Maximi Antiocheni Episcopi, quibus ejus in suam Sedem restitutioni subscripsit: *Dudum quidem & a principio Reverendissimum Episcopum Theodoretum novi Catholicum, audiens doctrinam ejus in Sanctissima Ecclesia. Multo autem magis nunc ejus recipio Sanctitatem, quia modo anathematizavit Nestorium & Eutychem, & sapit secundum definitionem expositam ab hoc Sancto Concilio. Unde & ego decerno, esse eum consuete Episcopum Civitatis Cyri*. Ex quibus constat, de Theodoreti orthodoxia neque a principio Maximum dubitasse: huic autem sententiae & Thalassius Caesariensis in Cappadocia Episcopus, & Basilius Ancyranus, & Constantinus Bostrorum in Arabia aliique Episcopi accesserunt: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hoc justum judicium &c.*

De Anatolio & Maximo suis in sedibus solius auctoritate Pontificis confirmatis, adtexere hic libet, quae praeclare observat Cl. Thomassinus (a): „Cum Anatolius Dioscori ante in „Urbe regia Apocrisarius, ejusdem „Episcopus ordinatus fuisset in Ephesina illa Latrocinali Synodo, ejecto „per summum nefas Flaviano: Cum „Domno per ejusdem Pseudosynodi „grassationes depulso, suffectus fuisset Maximus, & praeter Canones „ab Anatolio ordinatus; atque ita „utriusque claudicaret ordinatio; „utramque tamen ratam habuit Synodus, Leonis sententiam, & factam ab eo Canonum veniam amplexa, citra novi examinis scrutinium. De Anatolio audi Leonem „scribentem ad Marcianum (b): *Nos „vestrae fidei & interventionis habentes intuitum, cum secundum suae „consecrationis Auctores, ejus initia „titubarent, benigniores circa ipsum, „quam justiores esse voluimus: quo „perturbationes omnes, quae operante Diabolo fuerant excitatae, adhibitis remediis leniremus*. Nec alia „in Chalcedonensi Synodo occurrit „usquam vitiosae Anatolii ordinationis expiatio, aut venia. Id enim „post Synodum Leo scribebat, addebatque: *Satis sit praedicto, quod „vestrae pietatis auxilio, & mei favoris assensu, Episcopatum tantae „Urbis obtinuit*. De Maximo autem „idem Leo in eadem ad Marcianum „Epistola ita testatur, Anatolium „objurgare pergens: *Neque sibi aestimet licuisse, quod Antiochenae „Ecclesiae sine ullo exemplo, contra „statuta Canonum, Episcopum ordinare praesumsit. Quod nos amore „reparandae fidei & pacis studio retractare cessavimus*. Et disertissime „Synodi Chalcedonensis Act. 10. „Legati Romanae Sedis dicunt: *Si*

(a) Dissert. XII. num. XXXVI.

(b) 3. Par. Conc. Chalced. cap. VI.

Digitized by Google

„ *ergo & a Beatissimo & Apostoli-* „ *co Romanae Urbis Episcopo omnia*, „ *quae ibi* (Ephesi) *gesta sunt*, *vana* „ *sunt habita*; *claret*, *quia & San-* „ *ctissimus Episcopus Antiochenae Ci-* „ *vitatis extra haec est*, *quem post* „ *haec Beatissimus Episcopus in pro-* „ *pria communione suscepit*. Quae „ postrema verba etsi desint in Grae- „ co textu nunc quidem, olim non „ defuisse liquet, tum ex fide vetu- „ stissimi Interpretis, tum ex ipsa „ sententiae consequentia, tum ex „ eo quod mox Anatolius succinit in „ eamdem sententiam, irrita esse po- „ stribuli Ephesini decreta, *nisi illud* „ *circa Maximum &c. quoniam San-* „ *ctissimus Romanae Urbis Archiepis-* „ *copus Leo in communionem illum re-* „ *cipiens*, *praeesse eum Antiochen-* „ *sium Ecclesiae judicavit*: *quam for-* „ *mam sequens & ipse approbavi*, *&* „ *praesens omne Sanctum Concilium*. „ Quibus & reliqui omnes Episcopi „ suffragati sunt.

Hanc depositionis Domni, & Maximi in ejus locum ordinationis per S. Leonem confirmationem *praeclarissimum* esse *antiquissimumque testimonium summae auctoritatis Romani Pontificis in Synodos & Episcopos Orientales*, Quesnellus agnoscit [*a*], qui propterea Actionem de Domno veluti commentitiam explodit, & fabricatam esse contendit ab aliquo Latino Impostore in gratiam Romani Pontificis. Verum ejus opinionem egregie Baluzius refellit [*b*]; ostenditque, nihil illic pro Romani Pontificis auctoritate reperiri extraordinarium, quod non in aliis ejusdem Concilii locis inveniatur: praecipue vero quae de Maximi ordinatione & Domni depositione ibi Paschasinus ait, eadem, Actione X. & ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo, & a Stephano Ephesino, & ab eodem Paschasino Pontificis Vicario pariter inculcari. Id porro ait laudatus Baluzius, *magnificum* esse *pro Romano Pontifice*; *si Antiocheni*, *& consequenter Alexandrini*, *aliorumque Episcoporum ordinatio stet aut cadat pro ejus arbitrio*. Magnificum sane istud, quod sibi licere judicaverit S. Leo, Maximi Ordinationem, etsi Canonibus contrariam, pro arbitrio confirmare: contra vero licitum esse noluerit Concilio Chalcedonensi Episcopum Constantinopolitanum super alios post Romanum evehere, quod hoc decretum Canonibus adversaretur.

Ex quibus omnibus, & ex his quae superioribus Capitibus demonstravimus, clare ac manifeste perspicitur, merito ad Michaëlem Imperatorem scripsisse Nicolaum I. omnia ad Romani Pontificis voluntatem fuisse in Chalcedonensi Synodo constituta: *ita ut*, inquit [*c*], *Chalcedonensis magna Synodus*, *nil diffinisse*, *nil respuisse*, *nil suscepisse*, *nisi quod vel illa*, *vel vices Apostolicae Sedis ibi servantes*, *diffinierunt*, *projecerunt*, *vel admiserunt*, *penitus agnoscatur*.

CA-

(*a*) Apud Baluz. Praefat. in antiquam vers. Conc. Chalcedon. num. XXXII.
(*b*) Ibid. num. XXXIII.
(*c*) Epist. IX. ad Mich. Imp.

Digitized by Google

„ Concilium V. Generale, seu Constantinopolitanum II. in medium „ adducitur: In eo referuntur 3. & „ 4. Synodi acta jam a nobis recensita, & clare docetur, Romanorum Pontificum, ut & aliorum scripta, non nisi inquisitione facta, a Synodis comprobari: Unde trium simul Synodorum Oecumenicarum autoritas „ nostram sententiam firmat.

„ Acta Constantinopolitanae secundae Synodi, *inquit Illustrissimus Auctor*, quae quinta est „ generalis sub Vigilio Papa, ac Justiniano Principe, demonstrabunt, „ ita ut tertiae & quartae Synodi decreta intelleximus, ita a quinta Synodo fuisse intellecta; quae eam „ traditionem ex proximo sumpserit, „ ac nobis reliquerit. Nos autem „ contra demonstrandum aggredimur, praecedentium Synodorum decreta non alio sensu a quinta Synodo intelligi potuisse, quam quo nos illa intelleximus. Neque reapse aliter fuisse intellecta.

Quum docet quinta Synodus, Romanorum Pontificum de fide litteras a tertia & quarta Synodo, nisi praemisso examine non fuisse susceptas, eam nec reapse locutam esse nec loqui potuisse de examine, quod ex dubitatione procedat.

„ De tribus Capitulis, *inquit Bossuetius*, agebatur; Hoc est, „ de Theodoro Mopsuesteno, de „ Theodoreti scriptis adversus Cyrillum, deque Ibae Edesseni Epistola „ ad Marim Persam. Quaerebatur, „ ea ne Epistola probata esset in Chalcedonensi Synodo: Atque eam quidem Epistolam Chalcedone lectam „ esse constabat, ac susceptum Ibam „ a Sancta Synodo, cum Nestorium „ anathematizasset. Quidam personae veniam datam tantum; alii „ Epistolam quoque probatam contendebant. Quaesitum ergo in Synodo „ quinta, quo ritu probari scripta de „ fide consuessent in Synodis anterioribus: Tertiae & quartae Synodi „ gesta explicantur, ea quae supra „ memoravimus, de Epistolis Sanctorum Cyrilli & Leonis: Tum (a) „ *Sancta Synodus dixit: Ex his, quae recitata sunt, manifestum est, quomodo Sanctae Synodi ea, quae apud eas proferuntur, probare solent. Cum enim illi Sancti viri, qui recitatas Epistolas scripserunt, sic splenduerint; tamen Epistolarum earum comprobationem non simpliciter, nec sine inquisitione fecerunt, nisi per omnia cognovissent, consonare eas expositioni & doctrinae Sanctorum*

(a) Collat. VI.

„ *Patrum, ad quam collatio facta est.*
„ De Ibae autem Epistola non esse
„ ita gestum, constabat ex actis: Eam
„ ergo Epistolam non esse probatam,
„ optime concludebant. Sic igitur
„ certum ex tertia & quarta Synodis,
„ ita definiente & intelligente quin-
„ ta, Epistolas a Sede Apostolica
„ comprobatas, qualis Cyrilli fuit,
„ aut etiam ab ea profectas, qualis
„ Leonis fuit, non simpliciter, nec
„ sine inquisitione a Sanctis Conciliis
„ receptas fuisse.

Si verum fateri volumus, non mihi videtur, V. Synodi mentem doctissimus Episcopus attigisse, aut recte exposuisse. Quum Synodus praecedentium Conciliorum Ephesina & Chalcedonensis de Cyrilli & Leonis Epistolis ut & de Nestorii litteris acta recensebat, non eo directe spectabat, ut Ibae Epistolam a Chalcedonensi Concilio susceptam non fuisse probaret: verum praedictorum Conciliorum exemplum sibi ob oculos ponebat, quod ipsa in Ibae Epistolae damnatione imitaretur. Quare post laudata verba statim adjungit: *Hanc igitur regulam sequentes, perspicimus recitari definitionem pro fide expositam a Sancto Chalcedonensi Concilio.* Qua recitata, iterum sancta Synodus dixit: *Nunc necessarium nobis esse videtur, conferre Epistolam, quam Ibas scripsisse dicitur, cum definitione pro fide a Chalcedonensi Concilio prolata, & insuper ad ea, quae ibi acta sunt, nec non etiam cum his, quae Sancti Patres scripserunt: considerare autem & quae consonanter praedictae Epistolae & a Theodoro & Nestorio haereticis exposita sunt.* Post autem institutam ejusmodi collationem, Sancta Synodus dixit: *Ostendit manifeste facta collatio, quod contraria per omnia est Epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni, quam pro recta fide Sancta Chalcedonensis Synodus pronunciavit.* Ac tum demum omnes Episcopi exclamaverunt: *Haec omnes diximus: Epistola haeretica est: Epistolam quae dicitur Ibae, omnes condemnamus, &c.* Ex quibus constat, ideo Synodum, acta Ephesina & Chalcedonensia de Cyrilli & Nestorii litteris, nec non & de S. Leonis Epistola recitari jussisse, ut eorum formam in Epistolae Ibae damnatione sequeretur. Inde autem consequens est, tum ipsius quintae Synodi, tum ipsa judice, praecedentium Synodorum de iis Epistolis examen, non ex dubitatione profectum esse, sed ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem pertinuisse. Id enim aperte sacra ipsa Synodus indicat, ubi acta Ephesina & Chalcedonensia recitari jubet. Quum enim Theodorus Cappadox aliique Episcopi ex gestis Concilii Chalcedonensis demonstrassent, *quod Ibas in ea Synodo non solum abnegavit, sed etiam anathematizavit Epistolam, contrariam per omnia constitutam expositae definitioni a Sancto Chalcedonensi Concilio*: responsum a Synodo est: SCIMUS ET NOS, *haec ita subsequuta esse: tamen cautius aestimantes, talia judicare ex his, quae in antecedentibus Sanctis Synodis disposita sunt; & scientes, quod in Ephesina prima Sancta Synodo de Epistolis Sancti Cyrilli, & in ipso Chalcedonensi de Epistola sanctae memoriae Papae Leonis quaedam mota sunt; necessarium esse putavimus, ex his, quae in praedictis Sanctis Synodis gesta sunt, partes illas, quae haec continent, manifestari, ut pro*

AM-

Digitized by Google

AMPLIORE SUBTILITATE *& inde instructam sic propositorum disceptationem faciamus*. Sciebant ergo quintae Synodi Patres, ac perspectum & exploratum habebant, Epistolam Ibae contrariam esse Concilii Chalcedonensis definitioni; attamen pro ampliore & subtiliore veritatis jam cognitae indagatione, atque ut instructior esset propositi argumenti disceptatio; formam sequi volunt in praecedentibus Synodis institutam, juxta quam Synodus Ephesina Cyrilli & Nestorii litteras cum Nicaeno Symbolo contulit; Chalcedonensis autem Leonis Epistolam cum Ephesinorum Patrum doctrina; & consonas receperunt, dissonas autem rejecerunt, ut aperte ex gestorum lectione demonstrant: quam & ipsi formam sequentes, antequam solenne judicium adversus Epistolam Ibae pronuncient, collationem ejus cum definitione Concilii Chalcedonensis instituunt: Quod, ut patet, ab ipsis praestari potuit, etsi optime scirent ac persuasi essent, eas invicem repugnare, de eaque re neutiquam dubitarent.

Confirmari & illustrari haec possunt ex iis, quae circa primum Capitulum de Theodori Mopsuesteni ac Scriptorum ejus damnatione in eadem Synodo gesta sunt. Quum enim XXVII. ex ejus libris Excerptum legeretur, Sancta Synodus exclamavit: (a), *Haec jam condemnavimus: Haec jam anathematizavimus: Anathema Theodoro Mopsuesteno: Anathema Theodoro, & conscriptis ejus &c.* Pergunt tamen, aliaque quamplurima Excerpta recitari sustinent; & quum demum impium ejus Symbolum lectum esset; iterum in has voces erumpunt: *Hoc symbolum Satanas composuit: Anathema ei, qui hoc symbolum composuit .... Anathema Theodoro Mopsuesteno .... Anathema illis, qui non anathematizant eum*. Simplicem illam Theodori Scriptorum lectionem satis esse potuisse ad proferendam Synodicam adversus illum, & impia illius scripta sententiam, Sancta Synodus statim atque illi Episcoporum clamores quieverunt, his verbis professa est: *Multitudo lectarum blasphemiarum, quas contra magnum Deum & Salvatorem nostrum Jesum Christum, imo magis contra suam animam Theodorus Mopsuestenus evomuit, justam ejus facit condemnationem. Unde oportebat quidem, nos nihil aliud exspectantes, & per Synodicam sententiam anathemati eum subjicere*. Subjungit tamen, quod solennem sententiae pronunciationem differre satius existimat, quo eadem caussa subtilius & exactius examinetur: *Veruntamen, licet manifesta sint, quae Sancti Patres & leges Imperiales, & Historiae conscriptores contra eum dixerunt; tamen quia oportet in examinatione, quae contra eum procedit, nihil praetermitti subtilitatis, alio die etiam cetera audiamus*. Pergunt itaque Patres sequenti Collatione in eadem caussa & Capitulo examinando, non quidem quod adhuc ambigerent, an Theodorus, ac nefaria ejus scripta anathemati subjicienda essent, vel eorum impietas ex simplici lectione statim in oculos non incurreret; verum quia libuit sanctae Synodo in ejusmodi examine nihil omittere subtilitatis: Quemadmodum, ut jam observavimus, & Ephesinae

(a) Collat. IV.

sinae & Chalcedonensis Synodi acta in caussa Ibae recitari jussit pro ampliore subtilitate, atque ut instructior esset propositi Capituli disceptatio.

Idem etiam confirmari potest ex iis, quae circa secundum Capitulum, idest Theodoreti contra S. Cyrillum scripta, in eadem quarta Collatione servata sunt. Decreta est enim ex eorum simplici lectione damnatio, & ex eo, quod Synodus Chalcedonensis non ante Theodoretum, aut ajunt Patres, suscepisset, quam Nestorium ejusque blasphemias damnasset: *Sancta Synodus dixit: Et ex his, quae Theodoritus impie conscripsit, miranda est subtilitas Sancti Chalcedonensis Concilii. Sciens enim ejus blasphemias, prius quidem multis saepius usa est contra eum exclamationibus: postea vero non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit, defendens eas. Quum itaque & quae de his proposita sunt, finem acceperunt, alio die de reliquo Capitulo nobis quaestio proponitur*. Atqui sacrae Synodo non minus perspecta erat Epistolae Ibae, quam Theodoreti adversus Cyrilli Capitula lucubrationum impietas; notum etiam omnibus erat, Ibam perinde ac Theodoretum, jussum esse, antequam a Synodo Chalcedonensi susciperetur, Nestorium ejusque dogmata anathematizare, quae in ejus, vel ipsi adscripta Epistola propugnantur: Ergo si illa sufficere visa sunt, ut caussa Theodoreti finem acciperet; cur & ista satis esse non potuerunt, ut & Ibae caussa terminaretur? Cur omnino necesse fuit, Epistolae Ibae cum Concilii Chalcedonensis definitione collationem institui, si nulla ejusmodi collatione instituta, scriptorum Theodoreti damnatio decreta est? Itaque patet, quod accuratius illud examen Epistolae Ibae, quod Concilii Ephesini & Chalcedonensis instar in quinta Synodo initum est, non fuisse susceptum nisi ad subtiliorem & instructiorem propositi Capituli disceptationem: subindeque & quod in praecedentibus Synodis litterarum Cyrilli & Nestorii, necnon & Leonis Epistolae examen peractum est, seu illarum cum praecedentium Synodorum fidei regulis institutam collationem non ex dubitatione profectam esse, sed ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem pertinuisse: Vel certe id argumento esse non debet, quod de hac re Patres ambigerent; sed quod omnem haesitantibus dubitationem ac scrupulum evellere penitus voluerunt, qui, ut initio Collationis dicitur, de Ibae Epistola potissimum contendebant, eam damnari non posse, quod a Concilio Chalcedonensi probata ac suscepta fuisset: *Piissimus Imperator his, quae ad nos scripsit, & hoc adjecit, quod vindicare quidam conantes Epistolam, quam Ibas scripsisse dicitur, praesumunt dicere, susceptam eam esse a Sancto Chalcedonensi Concilio*.

Porro quum in superioribus Capitibus locupletissime demonstratum sit, examen illud, quod in praecedentibus Synodis de Cyrilli & Nestorii litteris, nec non & de Leonis Epistola initum est, quodcumque illud fuerit, ex dubietate ortum non esse; consequens est, neque de hoc examine, quod cum dubitatione conjunctum sit, loqui potuisse in adlatis a Bossuetio verbis quintae Synodi Patres. Neque

in

in hac re demonſtranda oportet amplius immorari.

ARTICULUS II.

Quae dicta ſunt in Articulo ſuperiori, ex Vigilio Papa confirmantur: & oſtenditur, Romanorum Pontificum de fide literas ſpectatas id temporis fuiſſe ut irreformabiles fidei regulas, & ejuſdem cum generalium Conciliorum decretis auctoritatis.

QUae de recepta in Chalcedonenſi Concilio S. Leonis Epiſtola, ejus cum praecedentium Synodorum decretis inita collatione, docent quintae Synodi Patres; docet etiam, nec minus perſpicuis verbis, in ſuo adverſus tria Capitula Conſtituto Vigilius, quod publici juris ex Codice Colbertino Baluzius fecit. Nec tamen Vigilius in ea, ut videbimus, verſabatur opinione, quod licitum fuerit de S. Leonis, & aliorum Pontificum Romanorum de fide litteris dubitare, antequam illae in Oecumenicis Synodis retractarentur: a qua etiam opinione alienos fuiſſe quintae Synodi Patres ſimiliter demonſtrabimus.

Vigilius ergo uti demonſtret, Ibae ad Marim Perſam Epiſtolam a Chalcedonenſi Concilio non fuiſſe ſuſceptam, prae oculis habendum eſſe monet, quomodo Chalcedonenſes Patres in receptione Epiſtolae S. Leonis, & in Catholicae fidei expoſitione ſe geſſerint. Nam quum illi profeſſi ſint, ſeſe propterea laudatam S. Leonis Epiſtolam recipere, quod cum praecedentium Synodorum decretis, & probatis per Epheſinam Synodum S. Cyrilli litteris conſentiret: quumque in expoſitione fidei primo Nicaeni, deinde Conſtantinopolitani Concilii fidei regulas, tum S. Cyrilli litteras commendaverint; fieri profecto non potuit, ut memoratam Ibae Epiſtolam ſuſceperint, qua Epheſina Synodus, & S. Cyrilli doctrina carpitur ac reprobatur. Itaque adlatis ex Actione quarta Concilii Chalcedonenſis quorumdam Patrum ſubſcriptionibus, ita Vigilius proſequitur: *His ergo ſe ita habentibus, nulli venit in dubium, quin Patres noſtri ita a ſe venerabiliter crederent ſuſcipi beati Leonis Epiſtolam, ſi eam cum Nicaenae & Conſtantinopolitanae Synodorum, tum etiam beati Cyrilli in Epheſina prima expoſitis aſſererent convenire doctrinis. Et ſi illa tanti Pontificis, & tanta orthodoxae fidei luce praefulgens Epiſtola, his exigit comparationibus approbari; quomodo illam ad Marim Perſam Epiſtolam, quae ſpecialiter Epheſinam primam Synodum reſpuit, & beati Cyrilli expoſita dogmata definivit haeretica, ab iiſdem Patribus credatur orthodoxa nominari, quum illa condemnet, quorum collatione tanti Pontificis, ut dictum eſt, meruit doctrina laudari?* Et infra eodem argumento demonſtrat, a Maximo Antiocheno non potuiſſe in Chalcedonenſi Concilio Epiſtolam Ibae Catholicam exiſtimari; quod videlicet *dum de recipienda beatae recordationis Papae Leonis Epiſtola cenſeretur, eam ob hoc recipiendam ſtatuit, quia beati Cyrilli in Epheſo expoſitae fidei conveniret..... Quis igitur ſic a totius humanitatis ratione ſepoſitus invenitur, ut credat, hunc Sacerdotem in cauſſa vel definitione*

Digitized by Google

ne fidei ita sibi exstitisse contrarium, ut qui tam praeclari Pontificis atque Doctoris, id est, beati Leonis Epistolam, aperte pia dogmata continentem, beati Cyrilli, quae in Epheso est exposita, comparando doctrinae, judicavit orthodoxam, illius e contrario Epistolae orthodoxum diceret esse scriptum, quod haeretica voce ipsa beati Cyrilli dogmata molitur evertere?

Abbas Fleurius in Historia Ecclesiastica ad ann. 554. num. LII. ad haec Vigiliani constituti loca digitum intendens, observat: „ Vigilium, „ perinde ac quintam Synodum agno- „ scere, S. Leonis Epistolam proba- „ tam in Chalcedonensi Synodo non „ fuisse, antequam examinaretur, & „ fidei trium praecedentium Conci- „ liorum consona reperiretur: Et „ hanc confessionem, ait, in ore „ Pontificis majoris esse momenti. Utique haec Pontificis confessio maximi momenti est ad probandum, examen illud & collationem Epistolae S. Leonis cum fide praecedentium Conciliorum argumento non esse, quod Romanorum Pontificum de fide Epistolae tanquam irretractabiles fidei regulae habendae non sint, antequam in Oecumenicis Synodis retractentur. Etenim ab hac mente, ut mox videbimus, quam longissime Vigilius aberat. Ceterum nihil hic ille ait de S. Leonis Epistolae per Chalcedonensem Synodum susceptione, quod & de ipsa Chalcedonensi Synodo dici jure optimo non potuerit. Nam & illam; ut ad superiora Capita demonstravi, Patres nostri, perinde ac S. Leonis Epistolam, crediderunt cum debita a sese suscipi veneratione, quum adfirmabant, ejus fidei expositionem cum Nicaeni & Constantinopolitani Concilii, & expositis a S. Cyrillo in Ephesina Synodo convenire doctrinis: & illam, perinde atque istam, oportuit his comparationibus approbari, eorum dogmatum collatione, perinde ac tanti Pontificis, meruit etiam tanti Concilii doctrina laudari: Synodum quoque ob hoc recipiendam consulti a Leone Augusto Episcopi statuerunt, quod beati Cyrilli expositae in Epheso fidei conveniret: Denique & Chalcedonensium Patrum fidei expositionem aperte pia dogmata continentem & orthodoxae fidei luce radiantem [quod de Leonis Epistola ait Vigilius] Cyrilli quae in Epheso est exposita, comparando doctrinae, orthodoxam iidem Episcopi judicarunt. Haec, inquam, omnia de Chalcedonensi Concilio dici fidentissime potuerunt; nec tamen inde quis colligat, retractatibus obnoxiam fuisse probatam a Romano Pontifice Chalcedonensis Synodi fidei definitionem, antequam Orientales Episcopi suis in particularibus Synodis eam fidem cum praecedentium Synodorum fidei regulis formulisque conferrent, easque invicem consentire Synodicis suis Epistolis testarentur.

Superest ut ostendam, non eam fuisse Vigilii aliorumque id temporis Episcoporum mentem, Romanorum Pontificum de fide litteras ineluctabilis non esse sive indeclinabilis auctoritatis, antequam in Synodis Oecumenicis retractentur: verum etsi in nulla Oecumenica Synodo examinatas, fuisse tandem eadem ac Synodorum generalium decreta veneratione susceptas. Initium faciam ab ipso Pontifice Vigilio, qui in Epistola ad Justinia-

nianum Imperatorem non modo sese recipere profitetur S. Caelestini literas, quas Synodus Ephesina, & S. Leonis ad Flavianum Epistolam, quam Concilium Chalcedonense susceperat; verum & ejusdem Leonis ad cognominem Leonem Augustum, aliasque decessorum suorum, ac praesertim Hormisdae, Johannis senioris, nec non & Agapeti de fide literas; quamvis in nullo generali Concilio discussae probataeque fuissent; atque perinde damnat, & anathemate ferit eos, qui de fide per eas exposita, earumque dogmatum rectitudine, ac qui de Conciliorum generalium fidei regulis aut disputare perverse, aut infideliter dubitare tantassent (a): *Haec ergo, quae de fide a Patribus sanctarum quatuor Synodorum, & a designatis beatae recordationis Papae Leonis Epistolis, atque a suprascriptorum Praedecessorum nostrorum constitutis sunt venerabiliter definita, per omnia non sequentes; & eorum doctrinae contrarios probabili Apostolicae Sedis auctoritate damnantes, anathematizamus eos, quicumque de fidei ejus expositione vel rectitudine aut disputare perverse, aut infideliter dubitare tentaverint; & contra eadem sentientes, quae de fide Nicaena, Constantinopolitana, Ephesina prima, & Chalcedonensi, sanctissimis Synodis, nec non & beatae recordationis praedecessoris nostri Leonis Epistolis, quarum fecimus mentionem, vel universis, quae ipsius sanxit auctoritas, continentur, a Catholicae fidei unitate secernimus*. Viden, quomodo in eodem censu habet & in eodem summae auctoritatis fastigio collocat Romanorum Pontificum dogmaticas Epistolas, & quatuor generalium Conciliorum fidei definitiones?

Neque haec tamen singularis fuit illo aevo ipsius Vigilii de Romani Pontificis auctoritate sententia; quinimo hanc fuisse omnium Episcoporum Orientalium fidem, patet ex professione fidei, quam Menas Constantinopolitanus Patriarcha, Theodorus Caesariensis in Cappadocia, Andreas Ephesinus, Theodorus Antiochenus in Pisidia, Petrus Tarsensis, & alii plures Episcopi eidem Vigilio ad S. Euphemiam obtulerunt, in qua non modo Conciliorum generalium decreta, verum *& beatae recordationis Papae Leonis Epistolas, & Sedis Apostolicae constituta, quae tam de fide, quam de firmitate quatuor supradictarum quatuor Synodorum processerunt, se se in omnibus secuturos servaturosque*, promittunt. Similis est huic altera fidei professio paullo post ab Eutychio Menae successore, & aliis duobus Patriarchis, Apollinare Alexandrino, & Domnino Antiocheno, Elia Thessalonicensi, aliisque Episcopis, a quibus prior subscripta non fuerat, eidem Pontifici oblata est: nam & ipsi, *suscipimus*, inquiunt, *& amplectimur Epistolas Praesulum Romanae Sedis Apostolicae, tam aliorum, quam Leonis sanctae memoriae de recta fide scriptas, & de quatuor sanctis Conciliis, vel de uno eorum*. Utramque hanc fidei professionem initio sui pro tribus Capitulis Constituti Vigilius inseruit (b): hanc autem posteriorem etiam univer-

(a) Epist. IV. ad Justinian. Tom. V. Concil.
(b) Tom. V. Conciliorum.

Digitized by Google

ſa quinta Synodus probaſſe & adoptaſſe videtur, quum in prima Collatione publice lecta ſit, & actis inſerta, ubi haec adnotat eruditus Garnerius (a): „ In Epiſtola Eutychii Urbis Regiae „ Epiſcopi ad Vigilium obſervandum „ . . . . . perinde loqui Eutychium de „ Epiſtolis Summorum Pontificum „ pertinentibus ad fidem ac de iis, „ quae a ſanctis quatuor Synodis judi„ cata ac definita ſunt.

Haec inerat etiam Juſtiniano Imperatori de iiſdem Pontificum Romanorum Epiſtolis mens. Nam, ut Vigilius initio Conſtituti teſtatur, ipſe auctor fuit, ut laudatae fidei profeſſiones ab Orientalibus Epiſcopis ederentur: *Inter innumeras ſolicitudines, quibus oneratur Imperiale faſtigium, laudabile clementiae veſtrae cognovimus eſſe propoſitum, per quod . . . . . univerſos Domini Sacerdotes praemiſſis ad teſtimonium conſcientiae ſuae profeſſionibus, per quas Sanctorum Patrum, & venerabilium quatuor Synodorum, ac Praeſulum Sedis Apoſtolicae inhaerere definitionibus atque judiciis monſtrarentur, ad unitatem atque concordiam reſtituere properaſtis*. Porro earum Profeſſionum formam ideo ſuo de tribus Capitulis Conſtituto inſerendam exiſtimavit, *ut Eccleſiaſticae pacis*, inquit, *amplectendum Poſteris tradatur exemplum*; hoc eſt, ut ſcirent poſteri, non poſſe alias Eccleſias & Epiſcopos cum Sede Apoſtolica & Romano Pontifice pacis & communionis eſſe participes, niſi perinde ac Synodorum generalium decreta, Romanorum Pontificum dogmaticas Epiſtolas amplectantur.

Verum in hanc rem nihil luculentius his, quae in ſuis fidei profeſſionibus ad Vigilii Deceſſores Johannem II. & Agapetum idem Imperator conſcripſit. Ita enim in Epiſtola ad Johannem Secundum: *Reddentes honorem Apoſtolicae Sedi, & veſtrae Sanctitati; quod ſemper nobis in voto fuit & eſt; ut, & decet Patrem, honorantes veſtram Beatitudinem; omnia, quae ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinavimus ad notitiam deferre veſtrae Sanctitatis . . . . . nec enim patimur, quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum & indubitatum ſit, quod movetur, ut non etiam veſtrae innoteſcat Sanctitati, quae Caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum: Per omnia enim ut dictum eſt, properamus honorem & auctoritatem creſcere veſtrae Sedis*. Deinde quorumdam Monachorum de Verbi Divini Incarnatione Judaica dogmata, ut ea vocat, & errores exponit, quibus ſuam objicit fidei Chatholicae profeſſionem, in qua inter cetera, ſancta quatuor Concilia ſeſe ſuſcipere profitetur, *ſicut*, inquit, *veſtra Apoſtolica Sedes docet atque praedicat*. Tum ſubjungit: *Omnes ergo Sacerdotes ſequentes doctrinam Apoſtolicae Sedis veſtrae, ita credunt, & confitentur, & praedicant*: Petit tamen tum ſibi, tum Conſtantinopolitano Epiſcopo (*quoniam & ipſe*, inquit, *ſcripſit ad veſtram Sanctitatem, feſtinans in omnibus ſequi Sedem Apoſtolicam Beatitudinis veſtrae*) manifeſtum fieri, *quod omnes*, inquit, *qui praedicta recte confitentur, ſuſcipit veſtra Sanctitas: & eorum, qui judaice auſi ſunt*

(a) Diſſert. de V. Synod. gen. cap. V. §. II. num. VI.

Digitized by Google

si sunt rectam denegare fidem, *condemnat & perfidiam*. Quod profecto quid aliud est, quam fidei caussas ad Sedis Apostolicae judicium, tamquam ad supremam ejusdem fidei regulam revocare?

Hanc fidei Catholicae professionem laudati Johannes II. & Agapetus probarunt, quorum prior his Imperatorem verbis adloquitur: *Inter claras sapientiae ac mansuetudinis vestrae laudes*, *Christianissime Principum*, *puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat*, *quod amore fidei*, *quod caritatis studio*, *edocti Ecclesiasticis disciplinis*, *Romanae Sedis reverentiam conservatis*, *& ei cuncta subjicitis*, *& ad ejus deducitis unitatem*; *ad cujus Auctorem*, *hoc est*, *Apostolorum primum*, *Domino loquente praeceptum est*, Pasce oves meas; *quam esse omnium vere Ecclesiarum caput*, *& Patrum regulae*, *& Principum statuta declarant*, *& pietatis vestrae reverendissimi testantur affatus*. Et infra ejusdem Imperatoris Epistolam, & fidei professionem confirmans: *Haec est igitur*, inquit, *vera vestra fides*, *haec certa religio*: *hoc beatae recordationis*, *ut diximus*, *Patres omnes Praesulesque Romanae Ecclesiae*, *quos in omnibus sequimur*, *hoc Sedes Apostolica praedicavit hactenus*, *& inconcusse custodivit*: *Huic confessioni*, *huic fidei quisquis contradictor exstiterit*, *alienum seipsum a sancta Communione*, *alienum ab Ecclesia judicabit esse Catholica*. Laudat Imperatorem, quod omnia Ecclesiae Romanae subjiceret, & ad ejus revocaret unitatem, propterea quod Romanis Pontificibus in Apostolorum Principe a Christo Domino pascendi gregem, hoc est, docendi munus & auctoritas credita sit, quae in eis hactenus inconcussa & inviolata permanserat, ideoque se se illos sequi *in omnibus* profitetur, ac rebelles ab Ecclesia Catholica segreges & alienos declarat.

Nec minus illustria sunt, quae laudatus Imperator in altera fidei confessione, quam Agapeto Pontifici Constantinopoli obtulit, ad suam erga Sedem Apostolicam, & Romanorum Pontificum de fide decreta & Epistolas, pietatem religionemque testandam, professus est: *Prima salus est*, *rectae fidei regulam custodire*, *& a Patrum traditione nullatenus deviare*: *quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis*: Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. *Haec*, *quae dicta sunt*, *rerum probantur effectibus*, *quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio*. *De hac igitur fide non cadere cupientes*, *& Patrum sequentes in omnibus constituta*, *id est* 318. *Sanctorum Patrum*, *qui in Nicaea sunt congregati &c.* quibus tres alias Synodos generales adjungit: *& probantes per omnia*, *atque amplectentes Epistolas beatae memoriae Leonis omnes*, *quas de fide Christiana conscripsit*; juxta quas de Verbi Divini Incarnatione fidem profitetur, contrariasque haereses & Haereticos damnat, ac deinde subjungit: *Quapropter*, *sicut praefati sumus*, *sequentes in omnibus Sedem Apostolicam*, *quae ab ea statuta sunt*, *praedicamus*. Rectae fidei regulam in Apostolica Sede Justinianus agnoscit, tum quod illa firmissima Petra sit, supra quam Christus aedificavit Ecclesiam, tum quod in illa Christiana Religio inviolabi-

labilis custoditur. Ab hac ergo inviolabili & incommutabili regula nunquam excidere cupit; ac propterea non modo quatuor generalium Conciliorum Canones, verum & S. Leonis, non eam tantum ad Flavianum, sed & ceteras *omnes* Epistolas amplectitur, quas ille de Christiana fide conscripsit; nec non & Sedem Apostolicam *in omnibus* sequitur, quae ab ea statuta sunt. Neque hoc tantum, sed, ut statim subjungit, haec omnia se inconcusse servaturum promittit, & omnem operam daturum, ut eamdem fidem omnes per orbem Episcopi profiteantur: *Et profitemur, ista inconcusse servari, & compellere, ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant Episcopi; ut sanctissimi quidem Patriarchae ad vestram faciant Sanctitatem: Metropolitani vero Patriarchis; & alii ut suis faciant Metropolitanis: quatenus per omnia sancta Catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem*. Hanc fidei professionem Agapetus, & Vigilius Papa probarunt. Vide sis hujus Epistolam quartam ad Justinianum.

Plura adhuc congeri possent; verum haec satis esse videntur ad confutandam Bossuetii opinionem, qui ex quinta Synodo probare contendit, quod „ Sancti Patres nostri in Synodis Oecumenicis quas legunt Epistolas, „ sive Catholicorum, sive Haereticorum, sive etiam Romanorum „ Pontificum, eodem ritu orthodoxas, vel haereticas pronuntiant: „ legitima cognitione, veritate inquisita ac deinde perspecta, tum „ ex his dato judicio. Nullo ne ergo discrimine inter Romanorum Pontificum Epistolas, & Haereticorum lucubrationes? Inter Cyrilli probatas Caelestino litteras in Ephesina Synodo & Epistolas Nestorii? Inter Leonis Epistolam in Concilio Chalcedonensi & Eutychetis insanam fidei professionem? Respondet Bossuetius: „ saepe „ diximus, & saepe dicemus, praesum„ ptum fuisse pro Pontificum Orthodoxorum decretis: caeterum in Synodis Oecumenicis, ubi judicandum in „ materia fidei non jam praesumptionibus agi oportere, sed omnino ad „ liquidum veritate perspecta. Verum quid hoc pacto eximium ac speciale tribuitur Romanorum Pontificum decretis, quod non cujuslibet alterius Orthodoxi Doctoris, aut Catholici Episcopi fidei professionibus aut Epistolis tribueretur? An non etiam pro Basilii, Gregorii Nazianzeni, Johannis Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Hieronimi &c. doctrina esset in Synodo Oecumenica praesumendum? Verum Agapetus, Johannes II., ac Vigilius Romani Pontifices, Menas, Eutychius, Apollinaris, & Domninus Patriarchae, aliique Orientales Episcopi, nec non Justinianus Imperator in suis Epistolis & fidei confessionibus non praesumunt tantum pro Romanorum Pontificum decretis ac dogmaticis Epistolis, quamvis nullius Synodi generalis auctoritate discussis atque probatis, sed eis ut ex superius adlatis testimoniis constat, tanquam fidei regulis inviolabilibus, & inconcussis inhaerent. Ex his autem Episcopis, qui hac tenebantur, aut hanc saltem profitebantur erga Sedem Apostolicam, & Romanorum Pontificum Epistolas religionem, quinta Synodus, Justiniani opera, conflata est.

Digitized by Google

CAPUT XX.

„ Synodus quinta, invitato ac repu-
„ gnante Vigilio Papa habetur:
„ ejusdem Vigilii Constitutum sol-
„ vit: Ibae Epistolam ipsius sen-
„ tentia ab haeresi absolutam, im-
„ piam & haereticam judicat: a Ro-
„ manis Pontificibus comprobatur.

IN hoc Capite, praemissa brevi rerum gestarum narratione, haec potissimum Meldensis Episcopus objicit:

1. Quod invito ac repugnante Vigilio Synodus generalis habita est.

2. Quod Vigilii pro tribus Capitulis Constitutum sua solvit auctoritate.

3. Quod nihilominus hanc Synodum ipsimet Romani Pontifices confirmaverunt.

Ex his porro colligit in re maxima, quae totam conturbet Ecclesiam, atque ad caussam fidei pertinere videatur, Pontificiis decretis sacrorum Conciliorum decreta praevalere; Romanique Pontificis judicio defensam Ibae Epistolam, haud minus pro haeretica proscribi potuisse.

Quae tamen consecutio nulla omnino est, nisi imprimis constet, quintam Synodum non modo refragante Pontifice, verum & jure & canonice fuisse celebratam. Quapropter de hac re primo loco differendum est. Quaerendum etiam an reapse Vigilianum pro tribus Capitulis Constitutum quinta Synodus sua solverit auctoritate. Denique & illud inquirendum, quae fuerit, aut quae futura fuisset quintae Synodi auctoritas, nisi fecisset Sedis Apostolicae auctoritate confirmata: nisi haec enim fuerint in bono lumine collocata, nihil inde confici potest aut pro, aut contra Romani Pontificis auctoritatem.

ARTICULUS I.

Legitimam non fuisse & canonicam, refragante Vigilio, quintae Synodi celebrationem.

HUjusce Thesis probatio imprimis ex ea lege, seu Canone, seu consuetudine pendet, quae Julio Papae in suis litteris ad Orientales, & in suis Historiis Socrati ac Sozomeno memorantur: quorum verba prae oculis habere oportet, ut argumenti, quod inde elicitur, vis penitius intelligatur. Itaque Julius Orientalibus scribens, qui, ut verbis utar Illustrissimi Adversarii, in re maximi momenti, quae totam perturbabat Ecclesiam, & ad caussam fidei pertinere videbatur, judicium, inconsulto Romano Pontifice in Antiochena Synodo, usurpaverant, his verbis eorum audaciam temeritatemque castigat. *Oportuit secundum Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum esset, decerneretur..... An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit? ..... Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, suffragatores suae damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, nec ita Patres docuerunt..... Pro publico bono ista scribo: quae enim accepimus a B. Petro Apostolo, ea vobis significo..... quae nota apud vos esse arbitror &c.* Quae verba ex laudatis

Socrate & Sozomeno lucem accipiunt; quorum prior observat, notatos a Julio fuisse Orientales Episcopos (*a*) quod *contra Ecclesiae Canones egissent, quod illum ad Concilium non vocassent: quippe quum Canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur*. Alter vero tradit, incusatos ab eo fuisse eosdem Orientales (*b*), *quod contra leges Ecclesiae ipsum ad Concilium non vocassent: Nam legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quae pronunciat, acta illa irrita esse, quae praeter sententiam Episcopi Romani constituuntur*. Hinc, ut superius vidimus, Lucentius Sedis Apostolicae in Concilio Chalcedonensi Legatus Actione I. id potissimum Dioscoro crimini vertit, *quia quum personam judicandi non haberet praesumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae*, *quod*, inquit, *nunquam licuit*, *nunquam factum est*.

Jam vero adversus ejusmodi Canones, & consuetudines, seu privilegia Sedis Apostolicae pluribus rationibus in caussa trium Capitulorum ab Orientalibus cum ante Synodum, tum in ipsa Synodo peccatum est.

Primus Imperator Justinianus tria Capitula copioso satis libello damnavit, idemque auctor fuit, ut in eorum damnationem Orientis Episcopi, inconsulto Romano Pontifice consentirent. Spectabat haec caussa ad universam Ecclesiam; ideo Menas Constantinopolitanus Patriarcha cum violento Principis jussu Capitulorum damnationi subscribere cogeretur, *se nihil acturum sine Apostolica Sede promisit*, uti Facundus Hermianensis lib. IV. cap. IV. auctor est: Quumque subscripsisset, a Stephano Ecclesiae Romanae Diacono conventus; *sub ea se conditione cessisse*, *& juratum sibi fuisse respondit*, *quod chirographum suum reciperet*, *si haec Romanus Episcopus non probaret*. Item Zoilus, ut est apud laudatum Facundum eodem loco, Alexandrinae Urbis Antistes, *quum Romanum Episcopum venire cognosceret*, *obviam illi ad Siciliam misit*, *conquerens*, *necessitate se ad ipsius decreti adfirmationem fuisse compulsum*: *Quod hic ei*, *postquam venit*, *idem Romanus Episcopus in facie palam*, *nobis quoque inter alios praesentibus*, *exprobravit*. Denique ceteri Episcopi *post subscriptionem memorato Stephano Romano Diacono libellos dederunt Sedi Apostolicae transmittendos*, *confitentes in eis*, *quod a Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent*.

Haec qualiscumque erga Sedem Apostolicam Romanumque Pontificem in Orientalibus reverentia ex illius Canonis cognitione profecta esse videtur, juxta quem, ut est apud Sozomenum, *acta illa irrita sunt*, *quae praeter sententiam Episcopi Romani constituuntur*. Quem Canonem ad summi Sacerdotis dignitatem spectantem ne aperte violare viderentur, hanc suis subscriptionibus conditionem adjecerunt, quod Chirographum suum reciperent, si haec Romanus Episcopus non probaret. Neque hoc tamen pacto violati Canonis invidiam declinarunt: Quoniam, ut est apud eumdem Facundum (*c*), *hoc erat mirabile*, *ut postquam horum* (trium Capitulorum) *damna-*

mna-

(*a*) Lib. II. cap. XIII. (*b*) Lib. III. cap. IX. (*c*) Lib. IV. cap. III.

Digitized by Google

mnationem fecerant, *dicerent*, *quod Ecclesiam Romanam consulerent*, *&* *sententiam Vigilii ejus Praesulis exspectarent*. Sed, quod Julius cum Orientalibus expostulabat, primum Apostolicae Sedi scribendum fuerat, ut hinc quod justum erat & Catholicae fidei consonum definiretur. Quum autem per totum Orientem, Illyricum, Dalmatiam, Siciliam, & Africam damnatio trium Capitulorum, inconsulto Pontifice Constantinopoli peracta, interim promulgaretur, ad Vigilium scribere videbantur, ut eum, quemadmodum idem Julius conquerebatur, suae damnationis, cui non interfuerat, suffragatorem haberent. Hanc tamen suae Sedis & dignitatis injuriam, & vetusti Canonis, seu consuetudinis praevaricationem inultam esse non tulit Vigilius; sed quum Roma Constantinopolim proficisceretur, litteris ex itinere ad Menam datis, damnationem trium Capitulorum reprehendit, & Legatis ad Justinianum missis petivit, ut pateretur eam rescindi. Urbem deinde Constantinopolitanam ingressus VIII. Kal. Februarii, Menam & alios Capitulorum damnatores, illos quoque qui damnatoribus communicabant, a communione suspendit; quam tamen illis post quinque menses restituit, Theodorae Augustae rogatu.

Hanc, quam adferimus, censurae in damnatores trium Capitulorum, quod nempe praepropera eorum damnatione Sedis Apostolicae jura violassent, a Vigilio latae praecipuam fuisse caussam, Vigilius ipse in suis ad Justinianum & Theodoram litteris anno sequente datis haud obscure significat. Quamvis enim nulla vi adigi potuisset ad subscriptionem; consensit tamen anno 548. ut in conventu septuaginta Episcoporum haec caussa discuteretur. Quod sequentibus verbis Clerici Italiae narrant in Epistola Legatis Francorum directa [a]: *Sed quum Papa Vigilius in hac parte nollet adhibere consensum*, *jam tunc talis violentia facta est*, *ut publice in conventu clamarit*: Contestor, quia, etsi me captivum tenetis, B. Petrum Apostolum captivum facere non potestis. *Postea tamen*, *tractatu habito*, *praedictus Sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam caussam ordinavit*, *solicite monendo*, *ne per occasionem aliquam supradicta Synodus* (Chalcedonensis) *pateretur injuriam*. Singulorum suffragiis Episcoporum ad se scripto delatis, uti Facundus narrat [b], ipse Judicatum dedit ad Menam, quo tria Capitula damnabat. Dedit etiam laudatas, & Collatione septima quintae Synodi Justiniani jussu productas ad ipsum Justinianum & Theodoram litteras, in quibus eadem tria Capitula, his tamen praemissis verbis, proscribebat: *Nos semper per virtutem Sanctae Trinitatis haeretici nunquam fuimus aliquando*, *neque sumus*, *absit*, *sed ex infantia & Christiani & orthodoxi & fuimus*, *& sumus*. *Jura vero*, *quae a Deo donata sunt nostrae Sedi*, *neque concessi*, *neque concedo*; *sed quamdiu vivo*, *quae justa sunt jura Sedis meae*, *exigo*. *Hoc ergo ne aestimare faciat pietatem vestram quia haereticos defendo*: *ecce enim satisfactionem vestro invicto imperio subscripsi in hac charta*, *anathemati-*

(a) Tom.V. Concil.

(b) Lib. cont. Mocian.

Digitized by Google

matizans & Epistolam Ibae &c. Quod perinde est ac si diceret, non quidem se, ut Nestorianis gratificaretur, a trium Capitulorum damnatione abstinuisse, & eorum damnatoribus communione jamdudum interdixisse; sed quod ii Sedis Apostolicae Jura involassent, & decreta Ecclesiis absque sententia Romani Episcopi constituissent.

Damnationem trium Capitulorum urgebant Orientales, quod iis Acephali offenderentur, eoque obtentu Chalcedonensi Concilio subscribere recusarent: contra Occidentales eadem Capitula damnari aegre ferebant, quod persuasum haberent, id fieri non posse absque Synodi Chalcedonensis injuria. Utrisque ergo per suum Judicatum satisfactum iri Vigilius existimavit: Nam & Capitula damnavit, ut Orientales sibi conciliaret; & salvam esse jussit Concilii Chalcedonensis reverentiam, ne Occidentales exasperaret. Verum istiusmodi decreto nullo modo Illyriciani, Dalmatae, & Afri, qui inter Occidentales censebantur; nec Orientales penitus adquieverunt; sed illi praefracte in Capitulorum defensione perstiterunt: hi vero per Justinianum Imperatorem Vigilium urgere coeperunt, ut Capitula absolute, ac sine Chalcedonensis Concilii mentione damnaret. Quod ubi Vigilius intellexit, rem ad Concilium generale deferendam persuasit, receptoque interim cum aliorum Episcoporum manibus Judicato, quod ante fecerat, omnem deinceps usque ad Concilium de Capitulis quaestionem, annuente Principe, interdixit. At Theodorus Cappadox, totius negotii, ut eum Vigilius appellat, *inquietissimus stimulator*, Justiniano suasit, ut edicta in Capitulorum damnationem contra interdictum proponeret. Cujus rei certior factus Vigilius, comminatus est Graecis Episcopis communionis suae suspensionem, si edicto consensum praeberent; variisque injuriis affectus tandem in Theodorum Caesariensem sententiam depositionis tulit, Menam vero Patriarcham aliosque Episcopos tamdiu a sacra Communione suspendit, *donec*, ut ait, *unusquisque errorem suae praevaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit*. Hac Sacerdotali constantia & firmitate tandem Vigilius obtinuit, ut remotis edictis, trium Capitulorum discussionem integram futurae Synodo relinqui consentiret Augustus; atque Menas & Theodorus aliique Episcopi veniam a Vigilio peterent ob injurias ejus Beatitudini vel Sedi factas, ut testantur eorum libelli inserti Vigilii Constituto. Menae mortuo successit Eutychius, qui statim fidei libellum Vigilio obtulit, ab aliis quoque Patriarchis Episcopisque signatum, petivitque, ut communi tractatu controversiae motae definirentur. Rescripsit Vigilius, sibi placere, ut discordia sopiatur, γινομένης Κανονικῆς συνόδου, *habita Synodo Canonica*, in qua tractatus & disceptatio fieri posset cum unitis sibi Fratribus, ἅμα τοῖς ἑνωθεῖσιν ἡμῖν ἀδελφοῖς σύγκρισιν ποιησόμεθα. Cupiebat Vigilius Synodum in Italia fieri, sed refragante Principe de loco, tamdem inter eos convenit ante diem Paschae, ut exaequato Latinae linguae Episcoporum numero iis Pontificibus Graecis, qui tunc Constantinopoli praesentes aderant, de tribus Capitulis tra-

tractarentur, quemadmodum testatur Vigilius in Constituto. Sed morae impatiens Princeps Synodum coëgit adversus pacta conventa, literisque suis datis ad Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Vicarios Hierosolymitani Patriarchae, & ceteros Episcopos Orientales, qui erant in Urbe, ad controversiam de tribus Capitulis aggrediendam hortatus est. In quibus litteris *Judicati* olim a Vigilio editi mentionem injecit, ut de Pontificis sententia nullus videretur ambigendi locus: dissimulata tamen illius *Judicati* rescissione, & ceteris conditionibus cum Vigilio depactis. Haec quae omnino praemittere oportuit magna ex parte ex Illustrissimo Petro de Marca mutuavimus (*a*); ex quo etiam quae sequuntur, & ad rem nostram maxime pertinent, exscripta sunt.

Convenit ergo Synodus IV. Nonas Maji, & illustri legatione Eutychii Constantinopolitani, & aliorum Patriarcharum, atque sexdecim Metropolitanorum, Vigilium convenit, ab eo postulans, ut causam trium Capitulorum cum ceteris Episcopis disceptare vellet, quemadmodum suis litteris Eutychio pollicitus erat. Ille causatus valetudinem, in posterum diem responsum distulit, quo pollicitus est manifestare, quod ei de tali conventu placuerit. Quibus verbis non significat, quod viris eruditis persuasum est, scilicet se scripsit Synodo satisfacturum, sed potius indicat, se conventum illum *Canonicae Synodi* loco non habere, qua de re perendie sit acturus. Hic locus est magni momenti, ad ferendum de consilio Vigilii certum judicium. Permiserat praecipue Synodi indictionem ad sanandos Episcoporum Occidentalium animos, qui laesi fuerant illa dispensatione, qua usus erat ad Conciliandos Orientales. Ea conditio placuerat Justiniano; itaque conventus solorum Orientalium censeri non poterat a Vigilio *legitimum & universale Concilium*. Quare secunda vice aditus a Legatis Synodi, abscisse respondit, se cum illis convenire non posse, ut patet ex relatione a Legatis Synodo facta, quorum haec sunt verba: *Ille vero respondit, non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi hic quidem sunt Orientales Episcopi, pauci vero cum eo: facere autem per semetipsum in scriptis sententiam suam, & offerre piissimo Domino*. Contendebant econtra Legati, conventum non esse differendum propter absentiam Occidentalium Episcoporum; praecipue quum in aliis Synodis Oecumenicis vix duo aut tres Occidentis Episcopi interfuissent, nunc vero adesset ipse Vigilius, & aliquot Italiae, Illyrici, & Africae Sacerdotes. Urgebant praeterea illius Rescriptum, quo promiserat Euthychio, se cum Fratribus unitis de hac re tractaturum: se autem cum illo communione jungi. Replicatio Vigilii non est actis inserta; quae tamen colligi potest ex rei gestae serie, quam numero superiori annotavimus. Etenim Legati dissimulabant verba Rescripti, quibus se acturum ea de re *in Synodo Canonica* pollicebatur. Porro *Canonica Synodus* esse non poterat, quae juxta morem in aliis Synodis Oecumenicis

(*a*) Differt, de Vigilii Decreto num, IX. &c,

Digitized by Google

cis observatum, non constabat ex Legatis omnium Provinciarum Ecclesiasticarum. Neque esse quod objicerent, paucos ceteris Conciliis interfuisse Occidentales Episcopos, cum ex actis Synodicis constet, illos gessisse vices Romani Pontificis, & totius Concilii Dioeceseon Occidentalium. Qui mors tanto studiosius observari debebat in hac caussa, quod de scandalo Occidentalibus illato agendum erat; eaque esset Romanae Ecclesiae consuetudo, ut vocatis iis, quorum intererat, offensiones amoveret, quemadmodum docent Leonis I. Epistolae ad Legatos in Orientem missos. Et in hac caussa saepe Vigilius professus fuerat iis verbis, quae Cleri Romani Epistola continentur: *Sine consensu omnium*, inquit Vigilius, *ista, quae & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere, nullatenus acquiescam*. Quare interpellatus iterum a Patriciis, quos Imperator delegarat, & ab Episcopis nomine Synodi, spopondit, intra dierum aliquot spatium, quid sibi de controversia videretur, ad Imperatorem scripto transmissurum. Non est ergo, quod Viri eruditi eam causam praetendant absentiae Vigilii, quod Summi Pontifices adesse non solerent in Conciliis generalibus; cum vera causa petenda sit ex eo, quod *conventum imperfectum* noluerit praesentia sua *Oecumenicum* reddere in offensionem Occidentalium. Hactenus Illustrissimus Petrus de Marca; ex quibus aperte constat, legitimam & canonicam non fuisse quintae Synodi celebrationem, nec eam, ut deinceps data opera demonstrabimus, Oecumenici Concilii loco haberi potuisse, antequam ejus decreta Sedis Apostolicae auctoritate confirmarentur. Quare, etsi alia deessent, hoc saltem argumento demonstraretur, frustra Bossuetium niti quintae Synodi exemplo, ut demonstret, posse Apostolicae Sedis decreta, etiam invito & refragante Pontifice, in generalibus Synodis retractari. Quum enim legitima non fuerit quintae Synodi celebratio, quid legitimis Conciliis jure conveniat, inde demonstrari non potest. Unde enim suadebit Bossuetius, jure sibi hanc Synodum usurpasse, ut invito Pontifice sententiam de tribus Capitulis pronunciaret? quum, ut superius vidimus, vetus consuetudo, & antiquus Canon haberet, ne praeter sententiam Romani Pontificis decreta Ecclesiis sancirentur; quum Dioscoro crimini in Chalcedonensi Synodo datum sit, quod Concilium praeter sententiam Romani Pontificis celebrasset; quum id etiam veteri lege, & consuetudine nixus, jure Vigilius exigeret? *Ut quia*, inquit (a), *constitutus collationis faciendae modus fuerat praetermissus..... nostrum deberent definitum de tribus Capitulis sustinere responsum; antiquum & regularem custodientes ordinem, ne ante nostrae, hoc est, Sedis Apostolicae, cui per Dei gratiam praesidemus, promulgationem sententiae, quidquam proferre tentarent, unde scandali rursus, quae sopita fuerat oriri posset occasio*.

A R-

(a) Constitut. pro trib. Capit. Tom. V. Concil.

ARTICULUS II.

Vigilii pro tribus Capitulis Constitutum non fuit in quinta Synodo relectum aut promulgatum; nec proinde discussum, ejusque auctoritate damnatum.

Libet quoque hanc Thesim ipsissimis Petri de Marca verbis ex eadem de Vigilii decreto Dissertatione confirmare; tum quod eam egregie demonstret, tum etiam quod plura observet, quibus Meldensis Episcopi in hoc Capite adversus Romani Pontificis auctoritatem observationes penitus labefactantur.

Hîc vero, *inquit laudatus de Marca*, dissimulare non possum, me longe abesse ab Illustrissimi Cardinalis Baronii sententia (a), qui putat, Constitutum Vigilii missum a Justiniano ad Synodum: idque colligit ex eo, quod rationes in Constituto prolatae pro Ibae Epistola, discutiuntur & refelluntur in sexta Collatione. Ut vero aliter sentiam, impellor potius amore veri, quam * Novatorum procacitate, qui ex hac narratione non leve argumentum trahi posse putant adversus Pontificiam auctoritatem, cujus scripta in Synodo non solum discuti, sed etiam refutari hinc probant, & definitionem illius decretis promulgatis contrariam, cum anathemate proferri.

Enim vero si Constitutum relectum fuisset in Synodo, illius recitatio relata fuisset in acta, quibus insertae sunt minoris momenti relectiones. Argumenta autem illa pro Ibae Epistola, quae discutiuntur Collatione sexta, nota erant & trita, utpote quae a sex vel septem annis summo studio contorquerentur ab adversariis, etiam scriptis copiosissimis libris, quemadmodum factum est a Facundo Hermianensi, ut necesse non sit confugere ad Constitutum Vigilii, quasi inde illa excerpi, necessarium omnino foret.

Deinde promulgatio Constituti aliena fuisset ab instituto & prudentia Imperatoris, qui damnationi trium Capitulorum cum totus incumberet, non debuit suis votis officere, Vigilii auctoritate plorata, quae desiderium illius improbaret. Imo vero ut facilius obtineret, quem sibi proposuerat eventum, neu quis exspectaret quid Principi Vigilius respondisset, quemadmodum pollicitus erat, se facturum; per Constantinum sacri Palatii Quaestorem Justinianus Synodo suggessit, Vigilii mentem satis explicatam esse ex iis, quae saepius hac de re docuerat cum scriptis, tum viva voce. Et ut sacrum conventum ad damnationem trium Capitulorum animaret, litteras ea de re a Vigilio perscriptas ad Aurelianum Arelatensem, & ad Valerianum Scythiae Episcopum, & sententiam ab eodem Pontifice latam adversus Rusticum & Sebastianum Diaconos suos trium Capitulorum fautores, e Latina in Graecam linguam versas, legendas exhiberi ab eodem Quaestore curavit. Haec sunt verba

(a) Annal. Ecclesiast. ad ann. 553.

* Viden, quam acri censura notet doctissimus Praesul Meldensis Episcopi in praesenti Capite disputationem? Quod enim de Marca in Novatoribus damnat, id unum est, quod Bossuetius contendit.

Digitized by Google

Constantini (a): *Communiter vero convenire invitatus* (ideſt Vigilius) *& hoc facere una cum veſtra ſancta Synodo, pollicitus eſt per ſemetipſum facere, & dare piiſſimo Domino. Vt igitur etiam ea, quae ab ipſo facta ſunt ad condemnationem trium Capitulorum vos audientes, alacriores efficiamini, de his formam celeriter proferre. direxit per me Sanctitati veſtrae condemnationem ab ipſo Vigilio religioſiſſimo prolatam &c. omnibus tranſlatis ad Graecam linguam ad faciliorem ſcientiam veſtrae Sanctitatis*. Qui praejudicio Vigilii perlecto, Patres alacriores effici ad condemnationem exiſtimabat, non adeo ſupinus erat, ut eorum impetum contraria ejuſdem Pontificis definitione retardaret. Deinde vero locus agendi de Conſtituto hic erat, cum pollicitationem Vigilii Principi factam Quaeſtor recenſet. Sed adeo mentionem ejus non injecit, ut potius id omnino diſſimulet, ejuſque loco alia inſtrumenta ſubſtituat. Ait vero vir Illuſtriſſimus hac inſtrumentorum prolatione id tentaſſe Juſtinianum, ut Vigilium praevaricationis argueret, qui Conſtituto aliter quam antea decernebat. Sed Principis in eo conſilium aliunde melius deprehendi non poteſt, quam ex oratione Quaeſtoris, qui ad excitandos & provocandos Patres, auctoritatem Vigilii contra iſthaec Capitula ſcripto profert, non autem in Pontificis contumeliam.

Sane ſi quis ordinem, qui in Conciliis Oecumenicis obtinebat, diligentius expendere velit, quam longiſſime recedet ab illa opinione, * qua dignitas Sedis Apoſtolicae violatur, mecumque facile conſentiet, adhibitum Vigilii nomen, ut gradus inde ad definitionem Synodi contra Capitula frueretur. Prima enim ſemper fuit in Synodis Oecumenicis ſententia Romani Pontificis, qua non exſpectata, nihil decerni moris erat; quemadmodum ſervari ſolebat in Senatus conſultis ad relationem Principum factis, ut dicam Tomo II. de Concordia Sacerdotii & Imperii. In praeſentiarum ſolo Vigilii teſtimonio utar, qui ſibi jus illud in hac cauſa vindicabat. Promiſſa namque Principi intra viginti dierum inducias ſua de hoc negotio definitione, Pelagium Diaconum ad Epiſcopos miſit, ut eos moneret, ne ante ſententiae ſuae promulgationem quidquam ea de re decernerent: *Antiquum & regularem cuſtodientes ordinem*, inquit, *ne ante noſtrae, hoc eſt, Sedis Apoſtolicae, cui per Dei gratiam praeſidemus, promulgationem ſententiae quidquam proferre tentarent, unde ſcandali rurſus, quae ſopita fuerat, oriri poſſet occaſio*. Itaque Juſtinianus, ne praetermiſſa videretur in hoc negotio Vigilii auctoritas, Conſtitutum quidem ſuppreſſit, ſed alias Vigilii priores ſententias, quae annis ſuperioribus ab eo latae erant οἰκονομικῶς Synodo exhibuit, ut in actis omnia rite & ſolenniter geſta fuiſſe viderentur. Quare Synodus quoque ipſa magnum decreti ſui momentum in eo poſuit, quod Vigilius tria Capitula ſaepius & ſcripto & ſine ſcripto condemnaſſet; etſi

(a) Collat. VII.

* Haec quoque adverſus Boſſuetium diligenter adnotanda ſunt, cujus eſt opinio, a qua longiſſime recedendum eſſe monet doctiſſimus Praeſul, quod ea Sedis Apoſtolicae dignitas violetur.

Digitized by Google

etsi conqueratur, quod conventui, licet illustri legatione invitatus, interesse noluerit, satiusque duxerit polliceri, se suam ipsius sententiam ad Principem missurum. Ceterum an promissis steterit Pontifex, omnino Synodus reticuit, officio suo se satisfecisse rata, si sententiis a Vigilio latis, & in judicio exmandato Principis exhibitis, inniteretur: praecipue cum de Pontificis contrario voto solenniter, & juxta cognitionum ordinem non constaret.

Litem, quam Cardinali Baronio Illustrissimus Praesul intendit, conciliare nititur eruditus P. Garnerius (a): negat enim cum Petro de Marca, lectum fuisse in ipsa Synodo Constitutum; at contendit, missum ad eos fuisse, qui pauci cum Eutychio in aliqua particulari Congregatione, Decreta in octava Collatione promulganda concinnabant. Quod quanquam Illustrissimi Praesulis sententiae non adversatur; qui ut ex postremis ejus verbis adparet, hoc tantum vult, quod *de Pontificis contrario voto solenniter, & juxta cognitionum ordinem non constaret*; attamen falsum esse judicio, quod Garnerius tradit: nulliusque momenti est argumentum, quo ad suam opinionem adstruendam nititur: eam nimirum ex hisce Synodi verbis elicit (b) *Quam autem saepius & a nobis omnibus invitatus, & insuper gloriosissimis Judicibus missis ad ipsum a piissimo Imperatore, promisit per se ipsum de iisdem tribus Capitulis sententiam proferre. Hujusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes &c. congregati ante omnia &c.* Ex his verbis, inquit laudatus Garnerius patet, Constitutum quo Vigilius Imperatori respondit, visum fuisse a Patribus in Congregatione aliqua particulari Collationem publicam praecedente; in qua nempe & praedicta gestorum expositio confecta est, & Canones compositi: illam enim, & istos jam confecta Notarius attulit in consessum, coramque Synodo relegit. Quomodo ex adlatis verbis pateat, Vigilii Constitutum missum a Justiniano fuisse ad particularem illam congregationem, in eaque relectum, ego equidem non intelligo. Quod enim ajunt Patres; *Hujusmodi responso audito &c.* apertissime patet, non esse id referendum ad Constitutum, quo Vigilius Imperatori respondit; sed ad responsum, quod sub initium Synodi Vigilius quibusdam Episcopis & Judicibus dedit, quum totius Synodi nomine ad Concilium una cum eis celebrandum invitaretur; qua de re videsis Collat. I. & II. Illo enim spectare laudata verba; patet ex his quae subjungunt, & ipse Garnerius indicat: *Congregati ante omnia compendiose confessi sumus, fidem illam tenere, quam Dominus noster Jesus Christus verus Deus tradidit Sanctis suis Apostolis, & per eos sanctis Ecclesiis; & qui post illos fuerunt, Sancti Patres & Doctores Ecclesiae creditis sibi populis tradiderunt &c.* Haec non ad Congregationem aliquam particularem, sed ad tertiam Collationem pertinent, quae post acceptum illud Vigilii responsum celebrata est; quemadmodum sequentibus verbis recensent, quae sequutis tertiam illam Collationibus gesta sunt: *Cum-*

(a) Differt. de V. Syn. cap. V. §. X.

(b) Collat. VIII.

Cumque haec ita confessi sumus, initium fecimus examinationis trium Capitulorum &c. Itaque ex adlatis a Garnerio verbis nullo pacto confici potest, lectum fuisse in aliqua particulari Congregatione Vigilii Constitutum. Lectum autem non fuisse in publica Collatione, cum Garnerius concedit, tum ab Illustrissimo Praesule firmissimis demonstratum est argumentis. Quare hoc exemplo demonstrari non potest Romanorum Pontificum constituta obnoxia esse Synodorum generalium retractationi, examini, auctoritati.

ARTICULUS III.

De Baluzii ad septimam Collationem additamento differitur: & ex eo, aliisque monumemtis demonstratur, Vigilii Constitutum non fuisse decretum diffinitivum ac peremtorium, sive, ut modo loquimur, ex Cathedra pronunciatum.

INter cetera additamenta, quibus Baluzius in nova Conciliorum Collectione, Quintae Synodi editionem locupletavit, septimae Collationi inseruit Sacram Imperatoris ad Synodum, qua jubebat, ne Vigilii nomen in sacris Diptychis recitaretur. Hanc etiam Constantinus Quaestor jussus in Synodo promulgare, haec praefatus est: *Dum intersum sancto vestro Concilio propter recitationem Chartarum, quae apud vos insinuatae sunt, piissimus Imperator formam destinavit ad vestram sanctam Synodum de Vigilii nomine, ne jam sacris diptychis Ecclesiae inferatur propter impietatem, quam vindicavit.* Lectae subinde sunt Justiniani litterae, quibus exponit, quae hactenus in caussa trium Capitulorum gesserat, & quomodo Vigilio suaserat, ut ea saepius & scripto & viva voce damnaret. At nunc eorum iterum defensionem suscipere; ac propterea non esse ipsius nomen in Diptychis recitandum; servata tamen cum Sede Apostolica unitate. Quod ejus Decretum Synodus laudavit & comprobavit: *Sancta Synodus dixit: Ea quae nunc piissimo Imperatori visa sunt, congrua sunt laboribus, quos pro unitate sanctarum Ecclesiarum pertulit. Servemus itaque unitatem ad Apostolicam sacrosanctae Ecclesiae Sedem antiquioris Romae, omnia secundum tenorem lectorum apicum peragentes.*

Ut hocce additamentum pro spurio habeam & suppostitio, non eo ducor, quod si legitimum sit, bona pars eorum, quae ex Illustrissimo de Marca descripta sunt, concidere ac labefactari videantur; verum iis impellor argumentis, a quibus me extricare non possum; quae idcirco aliis expendenda propono, paratus canere palinodiam, si illis solide fuerit satisfactum.

Primum autem observo, quod nota temporis non cohaeret, quod haud minimum esse solet suppositionis argumentum. Septima Collatio in Labbeana editione VII. Kal. Junias, in Baluziana III. Non. Jun. consignatur. Collatio autem octava habita dicitur IV. Non. Jun. in vulgatis editionibus, in quas tamen mendum irrepsisse Bainagius animadvertit [a], ac legendum monet, Prid. Non. Jun. Jam vero cum

(a) Annal. Eccles. ad ann. 553. num. XXVIII.

cum his conciliari nullo modo poteſt temporis nota, qua Juſtiniani litterae conſignantur; quae datae eſſe dicuntur Chalcedone pridie Id. Jul. Qui ergo fieri potuit, ut litterae, quae menſe Julio Chalcedone ſcriptae ſunt, Majo deſinente, vel ſub initium Junii Conſtantinopoli legerentur?

Huic argumento forte reponet quiſpiam, eo tantum probari, Imperatoris Epiſtolam ſuo loco inſertam a Baluzio non fuiſſe, datamque eam fuiſſe jam Synodo abſoluta, quod alia etiam argumenta ſuadere viderentur, quae paullo poſt adferemus. Verum hanc evaſionem praecludit Conſtantini Quaeſtoris ad Patres oratio, qui, ut vidimus, eam ſe recepiſſe teſtatur, dum Synodo adeſſet *propter recitationem Chartarum* per eum a Principe tranſmiſſarum; petitque eam ſtatim publicari, quod annuentibus Patribus factum eſt; eaque lecta, a ſacra Synodo ſuſcepta & laudata eſt, uti ſuperius animadvertimus. Quare juxta Baluzianum additamentum, & ſtante adhuc Synodo emiſſa eſt, & in ſeptima Collatione promulgata: quae conciliari non poſſunt cum notis temporum, quibus Collatio & Epiſtola conſignantur.

Neque eſt etiam, quod quiſquam reponat, mendoſam eſſe, adeoque corrigendam temporis notam in litteris Imperatoris; quod ſane dicendum eſt, ſi, ut habent acta, Collatione ſeptima promulgatae fuerunt. Verum hinc in graviores incidimus difficultates. Nam pridie quam Collatio haberetur, ut ex Quaeſtoris verbis habemus, ſuum ad Imperatorem pro tribus Capitulis Conſtitutum Vigilius mittere voluit; ſed quum illud miſſi a Juſtiniano ad Pontificem Judices & Epiſcopi recipere recuſaſſent, illudque ſeſe nequaquam ſuſcepturum Imperator aperte ſignificaſſet; (quod nemo ab eo ullum ejuſmodi ſive pro tribus Capitulis, ſive adverſus eadem Capitula ſcriptum exigeret, ſed omnes ejus in Synodo praeſentiam deſiderarent;) hoc accepto ab Imperatore reſponſo, *a ſe ſcriptam Chartam*, inquit Conſtantinus Quaeſtor, *jam non deſtinavit*. Quare, ut ex eadem Quaeſtoris oratione apparet, haerebat Imperator, an ea Charta adverſum Capitula vel pro tribus Capitulis exarata fuiſſet. Id etiam adhuc latebat Quaeſtorem, quum perrexit ad Synodum, ut ex ejus verbis apertiſſime elicitur. Quare neceſſe eſt, ut hac ipſa die, qua ſeptima Collatio celebrabatur, Imperator cognoverit, ſcripſiſſe Vigilium pro trium Capitulorum defenſione; & hac ipſa die, primum per Nuncios, poſtmodum & per Epiſtolam Patribus intimaſſe, ne Vigilii nomen deinceps in Diptychis recitarent. Quod quidem una eademque die fieri potuiſſe, vix credi poteſt; praeſertim, ſi ut habet Epiſtolae ſubſcriptio, Imperator Chalcedone verſabatur.

Deinde, quis ſibi facile perſuadeat, Juſtinianum, qui omnes Chartas collegerat, & ad Synodum miſerat, quibus tria Capitula Vigilius damnaverat, ut earum lectione Patres alacriores redderet ad eadem Capitula ſollenniter proſcribenda, adeo abrupte & intempeſtive ſignificare voluiſſe, perſtare Vigilium in Capitulorum defenſione, & a ſua communione repellere, qui eadem oppugnaſſent: quo certe vereri debebat, ne Patres, qui

prio-

priorum monumentorum lectione incitati, ad Capitulorum damnationem alacres festinabant, hoc accepto nuncio abdicatae a Pontifice prioris opinionis, ab eorum proscriptione velut obice objecto retardarentur.

Ad haec, falsum omnino est, Vigilium in suo pro tribus Capitulis Constituto eorumdem Capitulorum hostes a sua rejicere communione, ut deinde prolatis ejus verbis demonstrabimus: quod tamen tributa Justiniano Epistola expresse habet: *Praeterea ipse semetipsum alienum Catholicae Ecclesiae fecit, defendens praedictorum Capitulorum impietatem; separans autem semetipsum a vestra communione*: ac propterea jubet, ut ex Diptychis nomen ejus tollatur, ne cum Vigilio communicando, Nestorii pariter ac Theodori impietati communicent: *His igitur ab eo factis, alienum Christianis judicavimus, nomen ipsius in sacris Diptychis recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii & Theodori impietati conmmunicantes*. Nondum autem Synodi sententia adversus Capitulorum defensores fuerat sollenniter promulgata. Proinde absurdum esse videtur, ante Synodicae sententiae promulgationem gravissimam hanc poenam in Vigilium decerni potuisse. Quod sane ab aliorum Conciliorum moribus, etiam erga privatas Personas, nedum Romanum Pontificem, alienum est; ut nimirum rebus adhuc in controversia positis, & antequam Synodi sententia manifestetur, poena contradicentibus inferatur.

Profecto Collatione octava, ubi Patres in pauciora contrahunt, quae superioribus Collationibus gesta fuerant, queruntur quidem, quod Vigilius ad hanc controversiam communiter ventilandam cum ipsis convenire noluisset; & quod, cum ab ipsis, tum ab Imperatore ad Synodum invitatus, accedere recusasset; idque unum ex ipso elicere potuissent, ut per se ipsum sententiam de tribus Capitulis proferre promitteret. An vero prolatam ab eo pro tribus Capitulis proferre promitteret. At vero prolatam ab eo pro tribus Capitulis sententiam, aut susceptam fuisse eorumdem Capitulorum defensionem, ac propterea sublatum ejus nomen e sacris Diptychis, ne verbo quidem indicant.

Praeterea distinctio illa adeo conceptis expressa verbis inter communionem cum Apostolica Sede, & communionem cum persona Romani Pontificis; ita ut retenta priore, possit posterior abrumpi, nescio, an in ullo occurrat illius aevi, ac praecedentium & proxime sequentium saeculorum monumento, quin potius esse videtur sequioris aetatis figmentum.

Denique hujusce rei nulla fit mentio tum in vulgatis quintae Synodi editionibus, tum in omnibus Codicibus m. ss. Defuisse quoque in vetustioribus Exemplaribus, ex eo colligere est, quod non modo Michaël Cerularius, qui immani anachronismo haec retulit ad sextam Synodum (a), verum & Petrus Antiochenus (b) qui illius errorem castigavit, & Nicephorus Callixtus (c), Vigilii nomen e Diptychis subla-

(a) Epist. ad Petr. Antiochen. apud Cotelerium Tom. II. Monum. Eccles. Graec.
(b) Ibid. (c) Lib. XVII. cap. XXVI.

Digitized by Google

ſublatum fuiſſe tradunt, quum primum Vigilius in urbem regiam ingreſſus, Menam a communione ſuſpendit; in quem profecto errorem non incidiſſent, ſi tum occurriſſet in actis Sacra Imperatoris ad Synodum de Vigilii nomine in Diptychis non recitando.

Haec ſunt, quae me vehementer impellunt, ut vel ipſas Imperatoris litteras, vel ea, quae ipſarum recitationem in Baluziana editione praecedunt ac ſequuntur, pro legitimis ac genuinis monumentis non habeam. Nam dari potuiſſe eas litteras menſe altero poſt abſolutam Synodum, ut habet earum ſubſcriptio, *data pridie Idus Jul.* abſolute non inficiarer; ſed quod ad Synodum miſſae ſint, cum ſeptima collatio aut VII. Kal. aut III. Non. Jun. habebatur, & legebantur Chartae, quas Imperator direxerat, ut Pontificis exemplo ad tria Capitula damnanda Patres incitarentur; id vero eſt, quod concoquere adhuc non poſſum; praeſertim quod non ad Synodum, aut ad Patres in Synodo congregatos Epiſtola directa eſt, ut dirigi debuiſſet; ſed ad Patriarchas & Epiſcopos, ex diverſis Provinciis adhuc in Regia Civitate degentes.

Demus tamen, legitima eſſe & ſincera quaecumque Baluzius publici juris fecit; demus etiam, lectum fuiſſe in Synodo, ut Baronio placet, Vigilii Conſtitutum; inde tamen minime ſequitur, ſolennem aliquam, &, ut modo loquimur, prolatam *ex Cathedra* conſtitutionem fuiſſe in hac Synodo retractatam. Quamquam enim ab eorum abiumus opinione, qui inerrantiae privilegium, non in Romano Pontifice, ſed potius in Apoſtolica Sede, aut in Clero, vel Eccleſia Romana conſtituunt; attamen, ut ſuo loco dicemus, tunc Pontifex *ex Cathedra* loquitur, quum conſulta Eccleſiae Romanae in his, quae ad fidem pertinent, traditione, quidquam, propoſita anathematis poena, certa fide tenendum decernit: quemadmodum & Synodus generalis rite tunc aliquid conciliariterque definit, quum perſpectis Eccleſiarum omnium traditionibus, aliquid ſub eadem poena credendum omnibus amplectendumque proponit. Nihil autem horum in Vigilii conſtitutum pro tribus Capitulis convenire, Juſtinianus Imperator & Synodus, ſi legerunt, facile intelligere potuerunt. Nam primo in iis omnibus, quae ad fidem pertinebant, Vigilio pleniſſime in eo Conſtituto cum Orientalibus conveniebat; ac propterea ipſis Romanis Pontificibus Pelagio I. & II., Gregorio Magno, ipſique etiam Vigilio obſervatum eſt, nihil *de fide, ſed de Capitulis quibuſdam extra fidem*; *de perſonis tantummodo*; *nihil aliud niſi de perſonis*, actitatum fuiſſe. Quae quidem, uti recte Cl. Thomaſſinus monet [a], non eo trahenda ſunt, ut definitioni Synodi, ſeu damnationi librorum Theodoreti, & Epiſtolae Ibae, poſtquam ad eam Romanorum Pontificum conſenſus acceſſit, conſentire vel diſſentire, liberum eſſet; ſed eo illa referenda ſunt, ut Eccleſiae ipſi liberum eſſet, vel diſpenſative abſtinere a damnandis illis libris, vel eoſdem ex Juris rigore damnare: Damnari enim poterant, quia

(a) Diſſert. XIX. in Quint. Synod. Gen. num. XCVII.

quia haeresum portentis scatebant : poterant & non quidem probari aut defendi, sed omitti, quia damnata haeresi, non statim necessario impetus faciendus est in Auctores & libros omnes ea imbutos : ac potissimum in hac caussa nihil retractandum videbatur, quod ab iis damnandis Chalcedonensis Synodus abstinuerat ; quod quorumdam in ea Synodo Patrum suffragiis probata potius Ibae Epistola tanquam orthodoxa & Catholica videbatur ; quod suspicio erat, ne hujusmodi controversia ad labefactandam Synodi Chalcedonensis auctoritatem mota ab Acephalis fuisset. Ejusmodi enim sunt rationes, quibus a damnatione Capitulorum Vigilius deterrebatur. Quare id unum potissimum quaerebatur, an damnari possent Capitula, salva Concilii Chalcedonensis auctoritate : quae quidem quaestio ex plurium factorum cognitione pendebat, quorum notitiam Vigilius, Graecae linguae, ut ipse fatetur, ignarus non statim adsequi potuit.

Porro, quamquam in hoc suo Constituto doceat, variisque productis testimoniis probare Vigilius nitatur, Episcopos in Ecclesiae pace defunctos damnandos non esse post mortem : Quamquam circa Theodoreti adversus Cyrilli Capitula lucubrationes, commendet ac sectandam proponat ejusdem Sancti Cyrilli oeconomiam : Denique, quamquam eo propendeat, ut Ibae Epistolam haereseos puram adfirmet ; nihil tamen horum sub anathematis poena tenendum proponit ; sed eo omnia collineant ac referuntur, ut sapiens fuisse demonstretur solidisque rationibus nixum de his Capitibus Synodi Chalcedonensis judicium : hic enim totius Constituti scopus primarius est. Habet autem communis Theologorum doctrina, in omnibus seu Romanorum Pontificum, seu Conciliorum generalium decretis prae oculis habendum esse scopum illum primarium, quo cetera referuntur : hunc enim proprie objectum esse seu Pontificiae, seu Conciliaris definitionis ; quae proinde non aeque singula comprehendit, quae vel ex historiis, vel ex testimoniis Patrum, vel etiam ex Scripturis, aut aliunde ad ejus confirmationem petuntur argumenta.

Quamquam, ut est jam viris doctis observatum ; & in eo, quem totius Constituti primarium diximus scopum adstruendo, ita versatur, ut aperte quisque percipiat, nec illud peremtorio judicio definiri : non posse aliquando per legitimam Synodum, qualem ipse desideraverat, Capitulorum caussa retractari : sed illud unum in praesentia prohibet, ne cuiquam liceat adversus eadem Capitula scribere.

Quae hactenus disseruimus sequentibus verbis complexus est Illustrissimus Petrus de Marca laudata saepius Dissertatione num. XI. Interim vero Vigilius intra viginti dierum inducias, quas ob aegritudinem petierat, Constitutum suum ad Justinianum dedit, quo sententiam suam de tribus Capitulis copiose explicavit. Theodori blasphemias configit, sed ejus nomini parcit, ad exemplum Synodi Ephesinae ; superfluum docet, & ad exprobrationem Theodoreti tendere, si ejus scripta adversus Cyrillum damnentur ; cum Cyrillus ipse & Synodus Chalcedonensis nihil aliud ab eo exegerint, quam ut Nestorio anathe-

ma

ma diceret. De Ibae Epistola nihil retractandum post Concilium Chalcedonense. Deinde prohibuit, ne quis ordinis & gradus Ecclesiastici aliter de tribus Capitulis doceret, quam ipse suo Constituto exprimebat. Attamen animadverti, eum non adjecisse anathema in eos, qui contrariam opinionem tuerentur. Quod ab eo summa prudentia factum est, ut ostenderet, eam esse controversiae conditionem, quae in utramque partem inflecti posset, si paci Ecclesiasticae hac ratione consuleretur. Non potuit aliter respondere interroganti Justiniano, qui sententiam Vigilii requirebat; non autem agebat de dispensatione ad concordiam Occidentalium & Orientalium resarciendam, quae aliter obtineri non poterat, quam tractatu initio sine contumelia Occidentalium.

Eamdem observationem suggerit quoque Cl. Thomassinus his verbis (a): Denique Vigilii dispensationem, & incredibilem quamdam sapientiae temperiem illud arguit, quod extremo Constituto suo etsi promat sententiam illam suam, cui medullitus semper inhaeserat, de non damnandis Capitulis: abstinet tamen ab anathemate vel intorquendo, vel interminando. Conscius nempe, nihil interesse, utram in partem declinetur, dum scandala sileant, & pax redintegretur Ecclesiae.

Itaque Vigilii Constitutum pro decreto peremtorio haberi non debet; nec proinde existimare debemus, ea fuisse praeditum vi & auctoritate, quam decretis *ex Cathedra* pronunciatis vindicamus.

ARTICULUS V.

Quintae Synodi decreta non ante adepta sunt irretractabilem & indeclinabilem auctoritatem, quam a Romanis Episcopis confirmarentur.

EA per haec tempora in Ecclesia vigebat opinio, ea tantum generalium Conciliorum decreta retractationi obnoxia non esse, quae fuissent Romanorum Pontificum auctoritate confirmata. In hoc veluti commune principium & Oriens & Occidens consentiebat: in eo trium Capitulorum defensoribus cum eorum hostibus & oppugnatoribus conveniebat: denique hac de re unus atque idem erat Episcoporum Orientalium & Romanorum Pontificum sensus.

Menas Constantinopolitanus Patriarcha, Theodorus Caesareae, Andreas Ephesinus, aliique Orientis Episcopi in ea fidei Professione, quam Vigilio Papae obtulerunt, & in qua se se omnia suscipere profitentur, quae in praecedentibus Synodis generalibus, ac potissimum Chalcedonensi, cum de fide, tum de aliis caussis & negotiis sancita & judicata fuerant: ea tamen omnia limitant & coërcent ad ea, quae gesta fuerant ac definita cum Sedis Apostolicae per suos Vicarios aut Legatos consensu: *Et per omnia & in omnibus quaecumque in omnibus gestis Chalcedonensis Concilii, aliarumque praedictarum Synodorum, sicut in iisdem quatuor Synodis scriptum invenitur, communi consensu cum Legatis atque Vicariis Sedis Apostolicae, in* qui-

(a) Ubi supr. num. VI.

quibus juxta tempora sua Praedecessores Sanctitatis vestrae Beatissimi Papae Senioris Romae ipsis Synodis praesederunt, tam de fide, quam de aliis omnibus caussis, judiciis, constitutionibus aut dispositionibus definita, aut judicata, vel constituta, sive disposita sunt, inconcusse, inviolabiliter, irreprehensibiliter, atque irretractabiliter, sine adjectione, vel imminutione aliqua nos promittimus secuturos, nec quidquam contrarium, quod ad eorum reprehensionem, retractationem, vel permutationem, sive injuriam, sub qualibet occasione vel novitate pertineat, admissuros, aut tale aliquid praesumentibus consensuros: Sed quaecumque communi consensu cum legatis atque Vicariis Sedis Apostolicae Orthodoxae ibidem dicta sunt, ea Orthodoxa veneramur atque suscipimus. Quaecumque anathematizaverunt vel damnaverunt, anathematizamus & nos atque damnamus; & universa, sicut ab iisdem Synodis communi consensu cum Vicariis Sedis Apostolicae judicata, aut definita, vel constituta, sive disposita lecta inveniuntur, irretractabiliter, atque impermutabiliter conservamus. Viden, ut non semel, sed iterum ac tertio fidei professionem, & Conciliorum generalium eorumque decretorum susceptionem ad ea limitant & coërcent, quae cum Sedis Apostolicae consensu fuerant in eisdem generalibus Synodis constituta?

Hanc fidei Professionem Vigilius probavit, & Constituto suo inseruit, nec diffitebatur, generalium Conciliorum auctoritatem in eis tantum constitutionibus & judiciis irretractabilem esse & indeclinabilem, quibus Magni Leonis & Apostolicae Sedis consensus accesserat: sed re nondum satis eliquata, contendebat, hujusce generis esse, quae ad tria Capitula pertinebant: *Non dubitamus*: inquit, *omnium fidelium sensibus patefactum, quae Vicariis Beati Leonis Papae, loco ejus Synodo praesidentibus, ab eodem fuerit dispensandarum rerum forma mandata, vel quales ad expugnandum perceperint actiones, vel quae ab illo generali Concilio, praesidente ac consentiente per Vicarios suos Sedis Apostolicae Praesule, fuerint constituta: quae neque minui, neque augeri, neque perfringi, neque posse fas est ab aliquo retractari*. Itaque Vigilio cum Orientalibus Episcopis conveniebat, ea tantum Chalcedonensis Concilii retractari non posse, quae fuerant ab illa generali Synodo, praesidente & consentiente per Vicarios suos Sedis Apostolicae Praesule, constituta. Quare mirandum non est, quod iidem Orientales Episcopi adeo, uti superius ostendimus, adlaborarunt, ut quocumque modo ejusdem Vigilii auctoritatem suis decretis conciliarent. Nempe intelligebant, quod quum ipsorum Synodo neque per se, neque per suos Legatos Pontifex Romanus adesset, nunquam ipsorum decreta habitura erant immobilem firmitatem, nisi eis aut praeluxisset, aut accessisset Apostolicae Sedis auctoritas.

Angustiores terminos Chalcedonensibus decretis, quorum immobilis sit & indeclinabilis firmitas, praefigere videtur Pelagius II. in Epistola ad Eliam Aquilejensem aliosque Episcopos Istriae, pro hac ipsa trium Capitulorum caussa nefario schismate ab Ecclesiae Romanae communione sejunctos: non enim omnia, quae consentientibus

bus Sedis Apostolicae Legatis in Chalcedonensi Synodo gesta fuerant vel judicata, admittenda esse decernit, sed ea tantum, ad quae sancienda, fuerant a Leone Pontifice ad Synodum destinati. Quae quidem ipsius Leonis testimonio ac rationibus probat adserendae fidei limitibus circumscripta fuisse. Inde autem conficit, potuisse Ibae Epistolam retractari, etsi fuisset Patrum & Legatorum subscriptione munita; quod nempe Legati ad eam examinandam non fuerant Chalcedonem ab Apostolica Sede directi: *Si igitur*, inquit, *in actione sexta professio fidei consummatur, moxque Canonum regula figitur; si Beatus Leo negotiis, quae illic privatc mota sunt, contradicit; si hoc, quod ultra fidem gestum est, nec is, qui fecit Thalassius tenuit: cur nos haereticam Epistolam retractasse reprehendimur, qui hac in re cunctorum nos praecedentium auctoritate roboramur? & quamvis ab eadem Epistola alienum se Ibas respondeat; quamvis quia approbata sit, aut difficulter aut nullatenus demonstretur: licenter tamen unusquisque eam reprehenderet*, ETIAM SI EPISCOPI IN EODEM CONCILIO RESIDENTES SUIS ILLAM SUBSCRIPTIONIBUS APPROBASSENT: *quia postquam, Beato Leone scribente, jus retractandi & dijudicandi conceditur, etiam siqua esse poterat eorum, qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas vacuatur*. Videsis integrum locum Epistola laudata num. XIX. quo gravium Theologorum opinio confirmari potest, quae habet, quod si Legati sine Apostolicae Sedis instructione ad Synodum accessere; Synodi judicium non omnino firmum erit & certum, priusquam a Summo Pontifice comprobetur. Vide Canum lib. V. de Loc. Theolog. cap. V.

Ferrandus Ecclesiae Carthaginensis Diaconus consultus a Pelagio Ecclesiae Romanae Diacono, an liceret Ibae Epistolam condemnare; ex eodem principio nefas id esse respondit, quod nimirum retractari non debeant Synodorum generalium judicia, quae Sedis Apostolicae auctoritate firmata sunt: in ea vero tunc innoxie cum Vigilio piissimus ac doctissimus Diaconus versabatur opinione, quod quae de Ibae Epistola disceptata fuerant in Chalcedonensi Concilio, ea Magnus Leo confirmasset: *Ubi*, inquit (a), *majores reperiret in Ecclesia Judices; ante se habens in Legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum*. Et infra: *Universalia Concilia, praecipue illa quibus Ecclesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post Canonicos libros tenent*. Et rursum: *Quae finiuntur judicantibus Episcopis, & ad Beati Petri memoriam producta* DILIGENTIUS EXAMINANTUR, ATQUE FIRMANTUR, *sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt, in retractatione, sub qualibet pietatis occasione, teneri non debent*. Quomodo ergo Adversarii contendunt, retractationi esse obnoxia Romanorum Pontificum decreta, antequam Synodorum generalium consensione & auctoritate firmentur; quum ipsi Romani Pontifices Conciliorum generalium decretis tribuant, ut amplius retractari non debe-

(a) Epist. ad Pelag. num. VI. & VII.

Digitized by Google

debeant? itaque ex adlatis auctoritatibus apertissime constat, communem illo aevo fuisse & pervulgatam in universa Ecclesia doctrinam, nec Synodi generalis decreta irretractabilem vim adsequi, nisi postquam ea Pontifex primae Sedis confirmavit, & nisi quatenus eadem sui examinis trutina approbavit: subindeque quintae Synodi decreta obtinere non potuisse immobilem & indeclinabilem firmitatem, nisi fuissent a Romanis Episcopis confirmata.

Idem etiam non minoris, imo forte longe gravioris momenti argumento demonstravit Vigilius in Epistola ad Eutychium, quam publici juris fecit Illustrissimus Petrus de Marca: qua de re ipsum doctissimum Praesulem disserentem audire praestat: Ceterum ut ad res Vigilii redeam, observandum est, Synodi quintae definitionem editam fuisse anno 553. quarto nonas Junias, anno 27. Imperii Justiniani, post Consulatum Basilii anno 12. ut patet ex Collatione octava; ante vero sextum Idus Decembris ejusdem anni, id est post sex menses a solutione Synodi, Vigilius decretalem Epistolam dedit ad Eutychium, qua tria Capitula condemnat..... Est autem operae pretium expendere, quaenam ille verba in re adeo implicata adhibeat, quibus dignitatem suam tueri possit adversus Synodum Constantinopolitanam sine ulla Principis & Episcoporum offensa. Plane si verum amamus, omnino fateri necesse est, altas in mentibus hominum tunc temporis egisse radices traditam a majoribus sententiam de summa Sedis Apostolicae auctoritate. Cum enim de ceteris Synodis Oecumenicis ea reverentia loqui soliti essent summi Pontifices, ipseque adeo Vigilius in hoc Decreto, scilicet ut se eas suscipere, amplecti, & devota mente venerari profiterentur; utpote quae Sedis Apostolicae suffragio, & universalis Ecclesiae consensione firmatae essent; hanc quintam Synodum ne quidem Synodi nomine cohonestat: nempe illa ratione motus, quod ejus celebrationi, iis conditionibus, quibus facta est, consensum non praebuisset. Deinde vero quod etsi vitium illius ex postfacto dissimulasset, a Constituti sui promulgatione cessatum fuerat, ut monui. Quod vero ad rem ipsam attinet, ipse sua auctoritate, suoque decreto tria Capitula damnat: quoscumque vero, qui jam illa condemnaverant [his verbis Synodum Constantinopolitanam significat] fidem a quatuor Synodis praedicatam amplectentes, eos *Fratres & Consacerdotes esse definit*, id est, eos communioni suae adjungit, eorumque sententiae robur illud impertitur, quod ex consensione cum ipsius decreto trahere debet. Eamdem sententiam superioribus Epistolae verbis sic expresserat: *Quae a nobis definiri debent, revelante Domino, & investigata veritate, salubriter impleta sunt*; quasi diceret, hanc quaestionem, licet ab Episcopis discussam in Synodo & eorum suffragiis decisam, Sedis Apostolicae decreto esse peremtorie definiendam. Unde hoc suum decretum διατύπωσιν appellat ad Principum exemplum.

Haec quidem egregia sunt, & confutandis Bossuetii in hoc Capite observationibus per quam idonea. Observat enim, Synodum post Vigilii Constitu-

stitutum & quaestionem habuisse de tribus Capitulis, eaque, damnasse quamquam ne damnarentur, *pro potestate* idem Vigilius decrevisset; unde colligit, in re maxima, quae totam conturbet Ecclesiam, atque ad caussam fidei pertinere videatur, Pontificiis decretis Sacrorum Conciliorum decreta praevalere. Verum, quemadmodum ex Illustrissimi de Marca observationibus constat, ut Synodus post Vigilii Constitutum quaestionem habuit de tribus Capitulis: ita Vigilius post quintae Synodi adversus eadem Capitula solennem definitionem, eamdem quaestionem retractavit; hoc tamen interest 1. quod, ut ex superius adlatis Ferrandi Diaconi verbis patet, legitime & jure suo Vigilius Synodi decretum ad examen revocavit; at quinta Synodus, ut laudatus de Marca luculenter ostendit, reluctante Vigilio, pro legitimo conventu haberi non potuit. 2. quod Vigilii decretum, quamquam cum potestate prolatum, non erat tamen nisi oeconomicum & fiduciarium, non autem ultimum & peremtorium: At quintae Synodi Canones, quibus anathematis poena erat adjuncta, supremam & absolutam ejusdem Synodi sententiam repraesentabant. Tantum igitur abest, ut hoc exemplo probetur, *Pontificiis Decretis Sacrorum Conciliorum decreta praevalere*; quin potius demonstretur, Synodum, quae Romanum Pontificem praeeuntem non habet, sed eo refragante celebratur, nec Synodi nomine cohonestandam, ejusque decreta convalescere, quum ex Romani Pontificis consensione robur accipiunt.

Haud me latet, P. Garnerium in Dissertatione de quinta Synodo plura producere argumenta, quibus laudatam ad Eutychium Epistolam in νοθείας suspicionem adducere conatur. Non vacat in praesentia hanc aggredi disceptationem, propterea quod quae laudatus Praesul ex ea epistola pro Sedis Apostolicae auctoritate conficit argumenta, eadem elici possint ex vulgato a Stephano Baluzio ejusdem Vigilii adversus tria Capitula solenni Constituto. Nam primo & in hoc insigni monumento nulla quintae Synodi occurrit mentio: quo Pontifex silentio aperte significat, nullo eam a se haberi loco, nec inter legitimas Synodos recenseri. Secundo, perinde atque in ea Synodo nihil de tribus Capitulis actum esset, necessarium judicat, caussae totius discussionem aggredi, totumque hoc negotium de integro retractare: *Necessarium valde credimus, de suprascriptis trium Capitulorum quaestionibus diligenter debere nos cuncta discutere, & cauta promulgatione sententiae definire*. Et primo quidem quae Ibae epistolam pertinent, longissime fusa disputatione pertractat: *Arbitramur ergo esse conveniens primum, sicut proposuimus, quid de epistola, quae ab Iba ad Marim Persam scripta dicitur, apertissima demonstratione declarare*. Deinde ad aliud Caput ventilandum aggreditur, de Theodori Mopsuesteni scriptis & damnatione personae: *Expletis quae de sopienda primi Capituli quaestione, id est de epistola ad Marim Persam, differenda vel deffinienda erant, necesse nobis est, quid de Theodoro Mopsuesteno ejusque dictis, Ecclesiasticae unitatis ratio, vel fidei a Sanctis Patribus traditae cautela, fieri*

exi-

exigi, *expedire*. Denique observat, Ecclesiae utilitatem exposcere, ut etiam Theodoriti adversus Sanctum Cyrillum & primam Synodum scripta damnentur; *eo quod*, inquit, *Nestoriani sub ejus Episcopi nomine*, *qui a beatae recordationis Leone Papa*, *& a sancta Chalcedonensi Synodo legitur fuisse susceptus*, *eadem scripta ad adstruendi sui erroris videntur adhibere suffragium*. Tertio his omnibus discussis ac de integro retractatis, ad eorumdem Capitulorum damnationem adgreditur, quam haberi vult pro ultimo ac peremtorio hujusce caussae judicio. Nam 1. praedicta tria Capitula absolute ac simpliciter damnat. 2. Damnat etiam quoscumque, qui quovis tempore ea propugnanda susceperint, *aut* qui *conatus fuerit aliquando praesentem damnationem resolvere*. 3. Damnatores Capitulorum pro Fratribus & Consacerdotibus habet. 4. Quaecumque sive suo nomine, sive ab aliis pro eorumdem Capitum defensione exarata, nullius roboris esse decernit: *Praesentis*, inquit, *nostri plenissimi Constituti auctoritate vacuamus*. Denique declarat, nullum ejusmodi Capitulorum a praecedentibus Synodis fuisse susceptum, ac nominatim eadem anathematis poena percellit, qui *a praesenti*, inquit, *tempore*, *innotescente sibi hujus nostri serie Constituti*, memoratam Epistolam ad Marim Persam vel a Chalcedonensi Concilio fuisse susceptam, vel orthodoxam ab aliquo ex Patribus pronunciatam, auderet adstruere. Datum hoc Constitutum VII. Kal. Mart. Imperii Justiniani anno XXVII. post Consulatum Basilii V. C. anno XIII. subindeque novem ferme post absolutam quintam Synodum mensibus: a quo proinde tempore absoluta esse coepit & irretractabilis trium Capitulorum damnatio; *a praesenti*, inquit, *tempore innotescente sibi &c.* Quod hac ratione cum superiore ejusdem Vigilii decreto conciliari potest, quod illud ad Eutychium & solos Orientales, apud quos eorumdem Capitulorum obtentu Nestoriana haeresis caput erigebat, directum est; hoc vero, ut patet ex initio Capitis primi, & a primo ejus Editore Baluzio observatum est, ad universam Ecclesiam.

CAPUT XXI.

„ In Synodo sexta generali, quae
„ Constantinopolitana est tertia,
„ caussa Honorii Papae per Syno-
„ dum condemnati: tria effugia
„ proponuntur: Quaestiones ali-
„ quot ex actis suo ordine resol-
„ vendae: brevis Monothelitarum
„ historia praemittitur.

TRia Bossuetius in praesenti Capite proponit, quae ex actis, inquit, in caussa Monothelitarum elucescent. Primum, quas epistolas Honorius, quibusve de causis, & an eas pro privato doctore scripserit: Alterum, cur necesse habuerit sexta Synodus eas condemnare Epistolas, quas Romani Pontifices Honorii successores excusasse videantur: Tertium, an acta sextae Synodi, aut Leonis Secundi Epistolae, aliqua saltem verisimili conjectura, falsi argui possint. Quum autem horum examen in sequentia Capita Illustrissimus Praesul rejiciat, nihil nobis hic speciatim observandum occurrit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

„ Honorius Cyri Alexandrini & Pyrrhi Constantinopolitani scripta dogmatica in sexta Synodo condemnata directe probat : Sophronii Hierosolymitani, ab eadem sexta Synodo, atque ab omnibus Orthodoxis comprobata, improbat : Ejus Legatos a veritate deterret : Consultus a tribus Patriarchis prava rescribit: Ejus litterae toto Oriente vulgatae : his Monothelitae praecipue nitebantur : An haec pro privato Doctore scripserit ? Eae Epistolae dogmaticae habentur, hoc est, decretales. Dogmatis nomen explicatur : confutantur effugia.

DUO in Romanorum Pontificum Epistolis spectari possunt, materia videlicet & forma : materia subjectum exhibet & argumentum, quod in ipsis Epistolis pertractatur ; illudque vel ad fidei dogmata pertinet vel ad Ecclesiasticam disciplinam. Ad formam spectant solennitates, quae si desint aut negligantur, Pontifex non censetur loqui tanquam Pontifex, idest, tanquam Petri successor, ejus Cathedram & locum tenens, ejusque doctrinae a Deo constitutus Interprete. Haeretici, & quicumque Sedis Apostolicae auctoritatem deprimere gestiunt, Honorii lapsum ut altius extollant, ejus Epistolas pro dogmaticis Constitutionibus haberi volunt, tota Sedis Apostolicae auctoritate prolatis, in quibus proinde edendis omnes sollennitates servatae sint, quae ad fidei regulam constituendam praemitti solent. Hinc Synodos comminiscuntur, in quibus Sergii, Cyri, & Sophronii dogmata ab Honorio discussa sint : Honorium ipsum traducunt, & Romanum Clerum, & Romanam Synodum & Ecclesiam tanquam Sergii Cyrique doctrinam solenniter adprobantes, totique Ecclesiae sequendam & amplectendam auctoritate sua proponentes ; Sophronii vero Catholica dogmata repellentes : atque uno verbo, omnes in iis Epistolis characteres & notas agnosci volunt, queis solenniores Romanorum Pontificum de fidei dogmatibus Constitutiones ornari solent. Haec quidem omnia Illustrissimus Bossuetius in praesenti & sequentibus Capitibus sedulo inculcat : eadem tamen, ut verum fatear, vehementius exaggerant sex Episcopi in Responsione Gallica ad Instructionem Pastoralem Eminentissimi Cardinalis de Bissy anno 1723. edita capite XXIV. in plures §§. distributo ; quorum priore probare nituntur, Honorii Epistolas non meram oeconomiae aut disciplinae legem praescribere ; sed esse dogmatica scripta, quae Catholici dogmatis professionem evertunt, haeresim probant, haeresim fovent, & tanquam Haeretica in sexta Synodo damnata sunt, in eaque perinde atque in Cyri, Sergii, aliorumque Haereticorum profanas lucubrationes ultricibus flammis animadversum. In secundo §. pluribus demonstrare contendunt, Honorii litteras non esse inter privatas & familiares Epistolas computandas, sed esse decreta omnibus consuetis formis munita, editaque cum Ecclesiae Romanae consensu. In aliis autem §§. toto pectore ac studio in id

id incumbunt, ut ostendant, fuisse eas litteras toto passim Oriente & Occidente pervulgatas, & ab omnibus cum Orientalibus tum Occidentalibus expresso vel tacito consensu susceptas; & illis quidem probatas, his autem minime improbatas, quin & a plerisque velut innoxias, & Monothelitici erroris puras defensas. Unde conficiunt, Romanorum Pontificum sollennes ac dogmaticas Constitutiones, etsi ad eas expressus aut tacitus majoris partis Episcoporum consensus accesserit, non modo ut irretractabiles & irreformabiles fidei regulas non esse habitas; verum deinceps ab Oecumenicis Synodis, & ab ipsis Romanis Episcopis, velut haeretica doctrina conspersas aut haeresi faventes, explosas, & cum aliis haereticis scriptis damnatas & igni traditas. Quamquam id operis susceperim ad unius Meldensis Episcopi Opus refellendum: attamen in hac de Honorii Epistolis disputatione, quaecumque in ea sex Episcoporum Responsione adnotabo, quibus Illustrissimi Praesulis doctrina confirmari posse videatur, ea nequaquam dissimulabo; sed una eademque opera dejicere ac labefactare conabor. Porro etsi obviae sunt rationes, quibus Ecclesiae Romanae immerito inustas, ob Honorii epistolas, maculas omnes detergere, ab ipsis autem Epistolis maximam invidiae partem propulsare facile possum; earum tamen aliquas malo non meis verbis efferre, sed doctissimorum e Gallia Theologorum; quod eos certe non assentandi blandiendique Romanae Curiae studium, sed unicus veritatis & aequitatis amor de Honorii Epistolis & Honorio ipso mitiora scribere suasit, quam quae vel a Bossuetio, vel a sex Episcopis aliisque Refractariis jactantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Honorii Epistolas partim ad dogmata pertinere, partim ad oeconomiam, & Ecclesiasticam disciplinam: Quatenus ad dogmata referuntur, puram esse & Catholicam earum doctrinam: Quatenus ad disciplinam, improvidam fuisse & inconsultam de tacenda duplici voluntate vel operatione dispensationem.

Mysterium Incarnationis ita in his litteris Honorius exponit, ut non modo Nestorii & Eutychetis haereses damnet; verum, quod ad substantiam dogmatis pertinet, ipsum quoque tunc exorientem Monothelitarum errorem: hoc autem sensu eas Epistolas sexta Synodus Dogmaticas appellavit; quod nimirum iis, ut dictum est, Catholica dogmata confirmentur: quae tamen appellatio eis, ut deinceps probabimus, nullo pacto convenire potest, quatenus οἰκονομικῶς silentium duplicis voluntatis & operationis indicunt. Ceterum Catholicam esse, & a Monothelitarum haeresi immunem Honorii Epistolarum doctrinam, jam convenit inter eruditos, uti Baluzius testatur in vita Petri de Marca; & jam superfluum reputatur, diutius in hoc argumento versari, uti Garnerius animadvertit; cujus hic tamen verba subjiciam, ne omnino intactum hoc nostrae disputationis caput dimittam, unde cetera quodammodo pendent.

Parentum aetate *inquit laudatus* Garne-

Digitized by Google

Garnerius [a], multi quum audirent, Haereticos Honorio crimen haeresis Monothelitarum objicere, & importune congerere testimonia, falsa quidem reipsa, sed probabilia tamen in speciem, crediderunt temere rem ita se habere; opinioque velut contestata obtinuit. Nunc vero postquam agitata est diligentius sanctiusque caussa, pauci numero, iique suspectae aliunde fidei, vel non maximae auctoritatis, Honorium Monothelismi damnant.

Quam illi inconsiderate sentiunt, tam isti circumspecte: Neque enim aliter de quaestione scripsit Honorius, quam S. Leo: nisi quod fidei dogma S. Leo brevius pressiusque, prolixius Honorius exposuit. Ita Sanctus Leo: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, carne exequente quod carnis est*. Honorius [b]: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quae Dei sunt operantem; & humanam quae carnis sunt exequentem*.

Videtur ergo fere superfluum diutius in hoc argumento versari; praesertim quum Epistolae duae Honorii, quae in sexta Synodo prolatae sunt Act. 12. & 13. si conferantur cum ipsa defensione fidei ab eadem Synodo composita, nulla in parte inveniantur differre, nisi quod in priore fit mentio unius voluntatis, & in utraque per quamdam oeconomiam ad coërcendas animorum contentiones, prohibetur, ne unius vel duarum operationum voces inter praedicandum usurpentur.

Verum prior differentia nullius est momenti, posterior parvi ad rem, qua de agitur: Nam una illa voluntas, cujus meminit Pontifex, nihil ad quaestionem Monothelitarum pertinet: fuit enim & humana, & Spiritus propria, excludens eam dumtaxat, quae carnis dicitur, quaeque in nobis originis peccato infectis adversus rationem rebellat. Negavit id unum Honorius, quod & omnes Catholici, assumtam esse a Verbo naturam, in qua pugnantes inter se forent voluntates, & exsisteret fomes, ut ajunt, peccati. Istud aperte ostendunt haec verba [c]: *Unam fatemur voluntatem Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata*. Et postea: *Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legimentis ejus*, sed venit quaerere, & salvare quod perierat, *id est, vitiatam hominis naturam: Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis &c.*

Hunc in sensum accipi debere verba Honorii, docent tres locupletissimi testes: Joannes Abbas qui Epistolam nomine Honorii composuit: Joannes IV. Honorii post annum medium successor, in Apologia; & Sanctus Maximus Martyr, utriusque testimonio

 nio

(a) Append. ad Not. in lib. Diurn. Rom. Pont.
(b) Epist. II. ad Serg. Act. XIII. sext. Synod.
(c) Epist. I. ad. Serg. Act. XII. sext. Synod.

nio Sanctum Pontificem defendens, partim in disputatione cum Pirrho, partim in Epistola ad Marinum.

Abbas igitur Joannes apud Maximum: *Unam voluntatem diximus in Domino non Divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, rescripsimus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem ejus signabat.*

Joannes IV. vel Joannes idem Abbas ipsius nomine: *praedictus ergo Decessor meus docens de Mysterio Incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertens, Divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium.*

Verba illa, quae ex secunda Honorii ad Sergium Epistola, profert Garnerius; *Utrasque naturas cum alterius communione operantes &c.* Orthodoxa videri, Bossuetius fatetur; subjungit tamen, haud facile esse, ea secernere a Monothelitarum simillimis dictis. ,, Tantae, *inquit*, ambages, tantus in verbis perniciosissimae haereseos dolus fuit. Paria enim Honorio proferebat Sergius in Epistola ad Cyrum, & in Ecthesi Heraclius, & in Typo Constans, & alii Monothelitae passim.

Verum laudata verba non modo Orthodoxa videri, verum & reapse Orthodoxa & Catholica esse, & obvium eorum ac naturalem sensum duas Christi Domini operationes repraesentare, & aperte significare; vidit imprimis Cyrus tum Phasidis, postea Alexandrinus Episcopus, & ingenue confessus est in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, quum superius adlata S. Leonis auctoritate paullulum se retentum fuisse significat, ne statim ad Heraclii sententiam accederet, duas operationes in Domino nostro Jesu Christo post unitionem dicere prohibentis: *Quod*, inquit [a], *adnuebam, & proferre tentabam honoratissimam Leonis Epistolam, duas operationes, cum alterutrum scilicet communione, manifestissime proclamantem*. Hunc autem scrupulum ipsi eximere Sergius hac pulcherrima ratione conatus est, quod nullus eorum, qui vel adversus laudatam S.Leonis Epistolam insurrexerunt, vel eam propugnandam susceperunt, duas in illis verbis operationes agnovit [b]: *Quoniam igitur asseruit vestra Reverentia, Leonem Sanctissimum Papam Romanum in eo quod dicit*: Operatur utraque forma cum alterius communione; *duas operationes in Christo vero Deo nostro tradere atque praedicare; oportet scire . . . nullum dixisse, quod in praesenti libro duas operationes Leo Sanctissimus adseruisset*. Id vero falsum esse, docet inferius laudandus S. Martinus Papa.

Sed ut illos omittamus, qui Monothelitarum haeresim praecesserunt, quibus non opus fuit ejusmodi Patrum loca ipsorum nefariae doctrinae adversa

versa

(a) Act. XIII, sextae Synod.

(b) Ubi sup. Act. XII.

versa accuratius enucleare; certum est eos, qui deinde sequuti sunt, Romanos Pontifices & Patres in Synodicis suis Epistolis hunc potissimum S. Leonis locum laudasse, tamquam aptissimum, & maxime idoneum ad Catholicum dogma de duabus in Christo operationibus confirmandum. Ita enim S. Martinus in adlocutione ad Synodum Lateranensem Act. seu Secret. I. *Sed & beatae memoriae Flaviano de operationibus ejusdem Salvatoris nostri in Tomo suo praedictus Pater* (S. Leo) *scribens ait* : Operatur enim utraque forma &c. Ita Sergius Insulae Cypri Metropolita in Epist. ad Theodorum Papam Secret. II. Conc. Lat. *Nos autem a Deo inspirati*, . . . *confitemur*, *atque confessi sumus*, *& ex ipsis cunabulis secundum Sanctum atque Beatissimum Papam Leonem*, *praedicantes omnibus & confitentes*: operatur utraque natura cum alterius communione. *Cum quo beatissimo viro & omnes a Deo inspirati & Sancti Patres fatentur*. Ita Victor Carthaginensis Episcopus in Epistola Synodica ad Theodorum Papam recitata in eodem Concilio Lateranensi Secret. II. *Ut autem ipsius Sedis Apostolicae decretis per omnia confirmemur*, *Leonis Beatissimi Praedecessoris vestri Apostolicae memoriae definitionem inseri pervidimus*, *& continet* : Agit *enim* utraque natura &c. Ita laudata Synodus Lateranensis Secret. V. inter Patrum testimonia, quibus Catholicum de duabus operationibus dogma confirmat, eadem Sancti Leonis verba producit. Ita Agatho Papa, qui eadem recenset in Sylloge testimoniorum subjecta Epistolae ad Imperatores, quae lecta est Actione IV. sextae Synodi. Ita Epistola Synodica Conc. Rom. sub Agathone lecta in ead. Act. *Unus enim ex utriusque* ..... operante utraque forma cum alterius communione quod proprium habet : Verbo operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est: quorum unum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. *Unde consequenter*, *sicut duas naturas* .... *eum habere*, *veraciter confitemur* : *ita quoque & duas naturales voluntates*, *& duas naturales operationes*. Ita ipsa sexta Synodus Actione secunda, in qua ab Antiocho Lectore Imperatoris jussu Chalcedonensis Synodi acta relecta sunt : *Et relegente eo* [Antiocho] *Epistolam*, *quae in eis continetur*, *sanctae memoriae Papae Leonis magnae Civitatis Romae & veniente ad textum*, *in quo scriptum est* : Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium habuit ; Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exsequente quod carnis est ; & horum unum coruscat miraculis aliud vero succumbit injuriis ; *exsurgentes*, *qui ex parte Apostolicae Sedis erant antiquae Romae*, *exclamaverunt* : *Ecce benignissime Domine*, *manifeste duas naturales operationes inconfuse & indivise in Domino nostro Jesu Christo praesens Sanctissimus praedicat Pater*, *cujus praesentem sermonem sancta quarta Synodus firmamentum Orthodoxae fidei inscripsit*, *& Damnationem universae haeresis*, *utpote professioni Beati Principis Apostolorum Petri convenientem*. Quae & rursus universa Synodus adprobat in ipsa fidei definitione : *Duas vero naturales operationes indivise*, *inconvertibiliter*, *inconfuse*, *inseparabiliter in* co-

eodem Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est Divinam operationem, & humanam operationem secundum Divinum praedicatorem Leonem, apertissime asserentem: Agit enim utraque forma &c. Ita denique, ut alios praeteream, & Constantinus Pogonatus in Edicto, quod exstat Act. XVIII. ejusdem sextae Synodi: *Ita ergo pie nobis credentibus, servabitur illud secundum Beatum Leonem*: Operatur enim utraque natura &c. Ex quibus omnibus constat, iis S. Leonis verbis Catholicum de duabus operationibus dogma, quemadmodum Cyrus ait, *manifestissime*, & ut sexta Synodus scribit, *apertissime* contineri; proindeque qui sincere & ex animo ea S. Leonis verba usurpabat, Catholicam fidem, quod ad substantiam dogmatis pertinet, adversus Monothelitas *manifestissime & apertissime* profitebatur.

Sed, inquis, annon eadem verba & Sergius Monothelitarum Coriphaeus usurpavit? Ita est; sed uno in loco eadem temere ac nefarie detorquens ad significandam contra naturalem & obvium eorum sensum, unam Christi Domini operationem: in alio autem subdole iis utitur & fraudulenter, ut, quod solenne omnibus haereticis est, verbis Catholicis utens, facilius Romano Pontifici imponeret: Ita enim scribit nefarius Haeresiarches in Epistola ad Cyrum relata Secret. III. Concilii Lateranensis: *Atque eumdem unum Christum operari Deo decibilia, & humana* UNA OPERATIONE, *quia omnis Divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. Secundum hunc pium intellectum & Leo sanctae memoriae Romanus Archiepiscopus sapuit, & docuit dicens*: Operatur utraque natura cum alterius communione. Hanc vero manifestam esse hujusce sententiae depravationem S. Martinus observat Secret. IV. ejusdem Concilii Lateranensis, ubi Sergium ejusque Symmistas *imprudentes* appellat, *per hoc quod etiam Beati Leonis vocem ausi sunt violare. Nam in Epistola positum memorati Apostolicae recordationis Viri scripta sanctae memoriae Flaviano*: Operatur utraque natura cum alterius communione quod proprium est..... *imprudenter unam Domini significare dixerunt operationem*: confutatque deinceps S. Pontifex quod a Sergio, uti superius animadvertimus, ad Cyrum scriptum est; nempe nec Patres, nec Haereticos duplicis operationis dogma in his verbis esse subodoratos: subjungit enim: *Neque Sanctos in hoc reveriti Patres, neque vecordes Haereticos erubescentes: quoniam profecto utpote duas unius ejusdemque Christi operationes definientem in unitione inconfusa & indivisa, aliqui defensores ejusdem pie, alii autem impie accusantes exstiterunt, quod nec ipsi auctores novitatis ignoraverunt. Studuerunt autem per hoc tam sanctam Chalcedonensem Synodum respuere, calumniari autem & Beatum Leonem propter abundantem eis pro temeritate impudentiam*. Nunc autem operae pretium erit animadvertere, quam diversam scribendi rationem teneat idem Sergius in Epistola ad Honorium, in qua Pontifici significat, se ad Heraclium scripsisse, ut permaneret *in attrita Patrum doctrina*, *quam omnes*, inquit, *consonanter confitentur*

Digitized by Google

tur de hujusmodi quaestione ; & confiteri, Unigenitum filium Dei, qui veraciter Deus simul & Homo est, eumdem operari Divina & humana, & ex eo uno eodemque Incarnato Deo verbo, sicut jam famus effati, inseparabiliter atque indivise omnem Divinam atque humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens : „ Agit enim utraque forma cum alte-„ rius communione, quod proprium „ habet. Quid magis Catholicum & Orthodoxum, quam haec Sergii fidei confessio, qua se credere profitetur, unum eumdemque Dei Filium operari Divina & humana, & ex uno eodemque incarnato Verbo omnem Divinam atque humanam operationem procedere ; idque juxta tritam & pervulgatam veterum Patrum, ac praecipue S. Leonis doctrinam? Quid, inquam, magis Catholicum & Orthodoxum vel ab ipsis fidei Catholicae adversus Monothelitas fortissimis adsertoribus, Martino, Sophronio, & Maximo proferri potuisset? Qui enim unum eumdemque Dei Filium operari divina & humana, & ex eo omnem divinam & humanam operationem procedere, confitetur ; an non reipsa, si sincere & ex animo loquitur, duas in Christo operationes admittit?

Verum quidem est, quod haec sollenni Haereticis more, ad fucum faciendum impius & callidus Veterator usurpavit : sed hoc Honorio officere non debet, qui ea simpliciter accepit, & veluti imprimis Catholica confirmavit, & sedulo ac diligenter inculcavit : *Confitentes*, inquit, *Dominum Jesum Christum, Mediatorem Dei & hominum, operatum Divina mediante humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana . . . & qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est ; & carneus effectus, plene Deus & Homo, passiones & opprobria patitur ; unus Mediator Dei & hominum in utrisque naturis &c.* Et infra : *Dum profecto Divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti, sed propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco & ubique Deus dicitur pati, & humanitas ex caelo cum divinitate descendisse.* Et rursum : *Nam quia Dominus Jesus Crristus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus & idem operans perfecte Divina & humana, sacrae literae luculenter demonstrant.* Haec ex seipsis Orthodoxa sunt, & Catholicam continet professionem ; quare satis esse debent, ut qui ea profert, pro Orthodoxo & Catholico habeatur, nisi aliunde constet, eum haec fraudulenter ac subdole profiteri : quod quidem quam certum est de Sergio, Heraclio, & Constante, tam absonum est & absurdum de Honorio suspicari.

Hinc facile solvitur objectio, quam ex hisce Honorii verbis in fine ejusdem Epistolae ; *Haec nobiscum vestra fraternitas praedicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter praedicamus*; conficit Meldensium Episcopus, ut Honorium ipsum haereticum dogma sollenniter adprobasse & confirmasse, demonstret : „ Haec praedicatio, *in-„ quit laudatus Bossuetius*, quid sit, „ Adversarii edicant :- Nos ex totius „ antiquitatis more, ipsum dogma, „ fidem ipsam tota firmitate constan-„ tem contineri ea voce contendimus.

„ Ho-

„ Honorium vero eadem cum Sergio „ Haeretico atque Haeresiarcha *una-* „ *nimiter* praedicare, ipse jactat Ho- „ norius, ut vel absolvi Sergii, vel „ condemnari Honorii Epistolam ne- „ cesse sit.

Ea praedicatio quid sit, non est cur ex nobis Illustrissimus Bossuetius exquirat; quum id perspicue Honorius ipse declaret: *Haec nobiscum Fraternitas vestra praedicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter praedicamus*. Quaenam porro ea sint, perspicue sequentibus verbis significat; *hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum Divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, & unitate Catholica praedicetis*. Quod profecto nil aliud est, quam praecipere, ut duas reapse in Christo operationes cum Ecclesia Catholica praedicent & agnoscant; hortari autem, ut interim per quamdam oeconomiam ab usurpando duplicis aut unius operationis vocabulo abstineant; id est, ut ipsum Catholicum dogma fateantur & praedicent, sed nondum Ecclesiae solemni decreto sancitam vocem usurpent: qua in re peccare quidem potuit nimia quadam facilitate & per imprudentiam; sed haereticam adprobasse doctrinam, nisi per summam injuriam dici nequit. Quare Sergii & Honorii Epistolas damnandi vel absolvendi dispar ac dissimilis ratio est. Nam Sergius (quod & de Heraclii Ecthesi & Constantis Typo dicendum est) subdole ac vaferrime in epistola sua Catholica verba pronunciat; vult autem, duplicis operationis vocabulum taceri, ut Catholici dogmatis praedicatio interim sileat, & ex Ecclesia removeatur; haereticum autem dogma sensim sine sensu Christiani populi auribus insinuetur. Quod ab Honorii mente longissime aberat, in id unice intenti, ut Catholicum dogma, si fieri posset, sine tumultu & abique ullius offensione praedicaretur; quum contra Sergius, Heraclius, Constans aliique haeretici vellent, ut nefaria ipsorum doctrina sine strepitu, & absque ullius scandalo per Christianum orbem propagaretur.

Jam vero ad alteram propositae quaestionis partem accedamus, ac demonstremus, Honorium, quum ad duplicis operationis vocabulum interim silendum hortatus est, nihil dogmatice statuisse, sed improvida usum esse dispensatione: Id vero cum pluribus aliis, iisque imprimis eruditis ex ipsa Gallia scriptoribus, luculenter docet Cl. Thomassinus Dissert. XX, in Synod. sext. Oecumen. n. XVIII. ubi hanc thesim statuit: *Non tam haeresi, quam dispensationi studebat Honorius, quae quia improvida & inauspicata, proditio fidei habita est*. Id vero sequentibus verbis aperte eleganterque demonstrat: Atque ut ulterius aliquid ad Honorii purgationem tentemus, quantum per oecumenicae hujus Synodi & integritatem & authoritatem, per Pontifices etiam, qui ejus damnationi assensi sunt, licebit: ipsamet ejus Epistolae verba enucleatius pensiculanda sunt. Dispensationi ergo magis, quam errori se se Honorium contemperasse, & intempestivam dispensationem erroris ignominiae subjacuisse, epistolae contextus reique exitus docet; docent & prae-

stan-

Digitized by Google

ftantiſſimi Viri Petrus de Marca Archiepiſcopus ante Toloſanus, poſt denique Pariſienſis, aliique nonnulli (*Baluzius in vita ejuſdem Petri de Marca, Garnerius in Notis ad lib. Diurnum Rom. Pontific. & in Appendice ad eaſdem notas, Pagius ad annum* DCXXXIII. num. XII. & ſeqq., *Combefiſius* in Diſſertat. Apologetica pro Actis ſextae Synodi cap. III., *Tamagninus apud Pagium loco citato, Turnelius de Eccleſ. Quaeſt. III. art. IV. & alii*). Verba epiſtolae haec ſunt, non haereſim adſtruere, ſed oeconomico ſilentio inteſtinum bellum praevertere idonea, & novitates occupare: *Fraternitatem veſtram ea ſcripſiſſe laudamus, novitatem vocabuli auferentem, quod poſſit ſcandalum ſimplicibus generare*. Sic ille ad Sergium contra Sophronium: illum unam vel duas Chriſti voluntates & operationes dici vetantem, pacis alendae praetextu, clam interim unam magis Dei hominiſque voluntatem inſinuantem: hunc duas aperte praedicantem, nec rumores ponentem ante fidei Eccleſiae ſalutem. Et infra Honorius: *Non oportet ad dogmata haec Eccleſiaſtica retorquere, quae neque Synodales apices ſuper hoc examinantes, neque authoritates Canonicae viſae ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis praeſumat Chriſti Dei praedicare: quas neque Evangelicae vel Apoſtolicae literae, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſae ſunt terminaſſe*: Et rurſus infra: *Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una, an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis*. Addit, repudiandas eſſe novas voces, quae *noſcuntur Eccleſiis ſcandala generare: ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offenſi, Neſtorianam nos veſaniam ſapere arbitrentur. Aut rurſus ſi unam operationem cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum dementiam fateri putemur*. Denique Sergium hortatur, *ut inductam vocis novitatem unius aut geminae operationis auſugientes, unum Chriſtum in geminis naturis divinitus atque humanitus operantem praedicetis*. His autem multa interſpergit Honorius de una Chriſti voluntate, ſed humanitatis ſolius, ut qui altera careat ceterorum hominum voluntate, carnalibus cupiditatibus per peccatum ſcatente.

In his perfacile eſt Honorii mentem deprehendere, non tam haereſi novae, quam inconſultae diſpenſationi ſervientem: ex cujus ſucceſſu inauſpicatiſſimo cum permagna per Oriente Monotheletae incrementa feciſſent, haereſis quoque ipſius infamia non immerito aſperſus eſt is, cujus negligentia & imprudentia tantam Eccleſiis labem invexerat. Unam voluntatem praedicat Chriſti Honorius, ſed humanitatis. Voluntatem alteram ab eo arcet, ſed carnis. Unum operantem in duabus naturis ſtatuit, divinitus & humanitus: haec orthodoxa ſunt, & duarum voluntatum operationumque confeſſioni aequiparanda. Dummodo unus credatur volens & operans in duabus naturis, an duae praeterea dicantur voluntates vel operationes, cenſet, has inutiles eſſe minutias, has vocum argutias Grammaticis dimittendas, has novitates verborum tum opprimendas, cum ex eis viderentur illico haereſum bellorum-

que femina pullulatura. Istud vero non ad aliquid statuendum de fide, vel definiendum pertinet, sed ad suspendendam potius definitionem: illud non fidei, sed paci Ecclesiarum temperatur: istud denique non fidei decretum, sed decreti suspendium; denique dispensatio ista est. Quoniam vero haec dispensatio Sergii & Monotheletarum consilia pestemque fidei aluit, etsi praeter Authoris mentem, ea proditio habita est.

Eamdem cum aliis pluribus insignibus Theologis opinionem tuitus est etiam in sua Instructione Pastorali Eminentissimus de Bissy, quam propterea sex Episcopi aliquot, sed inanibus & futilibus conjecturis oppugnant. Observant enim, ideo Eminentissimum auctorem dogmaticas Honorii Epistolas convertere in legem Ecclesiasticae politiae ac disciplinae, quod Honorius totam hanc disputationem in verbis positam fuisse declaret. Verum advertendum, inquiunt, illi erat, Honorium ita post Sergium loqui, cujus etiam voces & phrases usurpat: *Talem*, inquit Sergius, *superfluum verborum conflictum*. Porro quis animum inducat credere, Sergium, *qui (a) exorsus est novitatem vocis cacodoxam, & blasphemam introducere in Ecclesia Catholica doctrinam*, nihil amplius quam simplicem Politiae legem statuere voluisse? Praeterea Honorius Catholici dogmatis professionem de medio tulit, quum duas in Christo voluntates dicere prohibuit. En quod laudatus Cardinalis legem politiae ac disciplinae appellat: Nec tamen hic stetit Honorius: quin & addidit: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa*: ac tandem in ea definit verba quibus Sergium hoc est haereseos Architectum adloquitur: *Haec nobiscum Fraternitas vestra praedicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter praedicamus*. Ad haec, sexta Synodus, inquiunt, Honorii litteras pro scriptis dogmaticis habuit: contra vero Sergius haec omnia ad politiam & oeconomiam (οἰκονομικῶς) revocare in speciem sat agebat: cur ergo Eminentissimus Cardinalis judicio Synodi generalis adversatur, & illud Haeretici hominis amplectitur? Quod autem ad Epistolarum materiem pertinet, eas Synodus damnavit, quoniam comperit, *in unam eamdemque impietatem* cum Monothelitarum scriptis *concurrere*. Et post sextam Synodum, quotquot per plura saecula Petri Sedem adscenderunt, Honorium perinde atque alia Monothelitarum capita condemnarunt, propterea quod *(b) pravis eorum assertionibus fomentum impendit*. Quare etsi Theologi disputent; an proprie haereticus fuerit, ejusque Epistolae haeresim proprie contineant; communiter tamen agnoscunt, nec ipse Cardinalis diffitetur, Honorium nimia sua facilitate ac dissimulatione, ejus autem epistolas vocibus haeresi in speciem faventibus, Haereticis eorumque nefariae sectae incremento plurimum profuisse.

Haec summa disputationis sex Episcoporum §. I. citati Capitis XXIV. a qua in praesentia breviter me expedio, quod eorum argumentorum solutio partim ex jam dictis pateat, partim vero quod

(a) Act. XIII. sext. Synodi.

(b) Ex Diurno Rom. Pont. pag. 41.

Digitized by Google

quod in sequentibus dissolvenda sint; quare unum dumtaxat occurrit, cujus non videtur esse differenda solutio; illud nimirum solvendum est, quod etiam Sergius videri voluit, id unum satagere, ut *superfluus verborum conflictus*, ut ajebat, prudenti oeconomia, οἰκονομικῶς vitaretur; qui tamen alio reapse respiciebat; quod pariter de Honorio dicendum esse videtur, qui, ut habet sexta Synodus Act. XIII., *Sergii mentem per omnia secutus est*. Respondemus tamen, haec potius ad excusandum Honorium plurimum valere: Nam ideo Sergium per omnia sequutus est, quod nefarius homo mentem suam opportune dissimulavit, partim, ut vidimus, Catholicas loquendi formulas usurpando, partim vero silentium duplicis voluntatis & operationis ad eoconomiam referendo, & prudentem quamdam, ut ajunt, dispensationem, retinendae servandaeque inter Catholicos paci, & revocandis in Ecclesiae sinum Acephalis tum temporis opportunam. Quid vero Sergius cum Honorio dissimulavit? Cur non omne in suis ad Honorium litteris haereticae doctrinae virus evomuit? Cur non perinde cum Honorio atque cum Heraclio & Cyro se gessit, si eamdem Honorio ac sibi mentem inesse agnoscebat? Nonne ideo dissimulandum fuit, & status quaestionis invertendus, & iniquitatis negotium pietatis obtentu praetexendum, quoniam ab haeretica Sergii doctrina Honorius omnino alienum gerebat animum, nec ullum ad eum nisi hisce dolis & artibus circumventum parare sibi aditum valuisset? Proinde etsi Theologi communius ab omni culpa Honorium absolvi posse non judicant; attamen praeter Haereticos, uti Garnerius & Baluzius testantur, nullus jam fere est, qui Honorio haereseos crimen impingat.

ARTICULUS II.

In Honorii Epistolis omnia desiderari, quae ad constituendam, juxta illius aevi disciplinam, dogmaticam Constitutionem requirebantur.

IN Epistolis concinnandis, quas ad Sergium misit Honorius, nullam omissam fuisse earum solennitatum, quae pro illius aevi disciplina ad Constitutionem dogmaticam & fidei regulam adornandam, requirebantur, docet Bossuetius, docent, & quidem longe disertius, & sex Episcopi, qui §. II. citati Capitis hanc Thesim statuunt: Honorii litteras non esse privatas & familiares epistolas, verum solennia decreta, in quibus edendis consuetae formae servatae sunt, Clerusque Romanus consultus: *Ce sont des decrets revêtus de toutes les formes accoûtumées & donnez de concert avec l'Eglise de Rome*. Denique, ut alios omittam, docet sed alia mente iisdem laudatus Episcopis P. Marchesius in Opere, cui titulus *Clypeus Fortium* Differt. V. cap. XIV. At contra eas non esse nisi privatas & familiares Honorii ad Sergium Epistolas, non autem sollennia Sedis Apostolicae decreta, quae pro fidei regulis habenda essent, docent Nat. Alex. Differtat. II. in Histor. Eccles. Saec. VII. Thomassinus Differtat. XX. in Synodo sext. Oecum. num VIII. & seqq. & alii: quorum ego opinionem certissimam esse judico, & a Meldensis

Episcopi aliorumque sex Episcoporum objectis vindicandam aggredior. Hunc tamen Articulum majoris claritatis gratia in plures §§. distribuam.

§. I.

Quae olim in edendis Dogmaticis Constitutionibus Romani Pontifices ut plurimum observarent.

ROmani Pontifices in edendis dogmaticis Constitutionibus aliquas omni aevo adhibuere solennitates. Est autem illud imprimis eruditis animadversum, solitos eos fuisse nihil olim solenniter definire, nisi consulto Ecclesiae Romanae Clero; & si res gravioris erat momenti, & ad fidem pertinebat, coacta etiam Episcoporum Italiae Synodo, aut saltem viciniorum Provinciarum, quas Suburbicarias veteres appellarunt. Docet id pluribusque exemplis demonstrat Cl. P. Cutantius Praef. in Epist. Rom. Pont. n. 33. ubi inter cetera sapienter observat, novisse Veteres illos Pontifices, tametsi Petrum sibi peculiariter adesse confidebant, tamen ineundas esse communes vias, quibus ad veritatem pervenire nos Deus voluit. Idoneos ergo ac domesticos Apostolicae traditionis testes consulebant Presbyteros Diaconosque, qui acceptae a Majoribus suis fidei ac disciplinae innutriti fuerant: si quae agitarentur caussae paulo graviores, quae ad insignem aliquam Ecclesiam aut ad totam spectarent, illas ad Episcoporum Italiae Synodum referre non omittebant. Sive autem cum Clero, sive cum Episcopis Italiae convenirent, solebant exterarum etiam regionum Praesules in conventum vocare, si quos Romae tum temporis versari contingeret. Quamquam autem nihil hic Cutantius adfirmet, quod Ecclesiasticae historiae peritis non sit exploratum: quia tamen haec nonnullis gratis dicta videri possent, pluribus ea ut jam diximus exemplis confirmat. Quae tamen ut recte intelligantur, prae oculis habenda sunt quae hic sapienter & erudite monet Cl. Thomassinus (a): Nec est quod quisquam obganniat; Ergo nisi Synodice pronunciet Pontifex, quidquid definierit, errori fore obnoxium. Nam ea in re obsequendum est moribus Ecclesiae, alio & alio tempore variantibus. Ubi in more positum erat, ut Episcopi, Metropolitani, Primates, Patriarchae nihil rei majoris adorirentur, nisi Synodica prius consultatione libratum: tunc Romani Pontificis illa quoque definitio Pontificia, seu ex Cathedra aestimabatur, quam Synodica anteisset examinatio. Ubi vero Christiano toto orbe rariores confluxere Synodi, & Episcopi ceteri, Episcoporumque vertices non jam Synodica, sed qualicumque alia deliberatione uti caepere; tunc quoque par est, Romani Antistitis illam ex Cathedra & ex privilegio Petri censeri Constitutionem profectam, & Sedis ipsius, non Pontificis propriam, quam ea antecesserit deliberatio, quae in usu est pro tempore, quaeque ad alia tum maximi momenti negotia adhiberi solet. Eccur enim Summum Pontificem arctiori quam alios addixeris

xeris

(a) Dissert. XX, in sext. Synod. Oecum. num. XVI.

xeris Synodorum servituti? Adde, quod ut supra jam praelibatum, utque suo loco prolixe rursus demonstrandum est, in Synodi nomine non usque adeo morosa fuit antiquitas: & quorumlibet vel Episcoporum, vel Clericorum maxime doctiorum congregationem cum Episcopo & consultationem, Synodi nomine cohonestavit. Haec Thomassinus, qui statim subjungit, inde nequaquam exprimi, quod non personae ipsi Pontificis, sed ejus quasi Senatui alligetur illa inoffensae semper definitionis authoritas. Contra enim ipsi prorsus Pontifici, sed Pontificem agenti, inhaerere eam dotem, & in fidei dogmatibus definiendis non errandi praerogativam. Sed haec suo loco uberius explanabuntur.

Est etiam illud sedulo animadvertendum, quanta in id olim cura & sollicitudine Romani Pontifices incubuerint, ut ipsorum decretales Epistolae omnibus per universum orbem Episcopis innotescerent. Intelligebant nimirum, uti laudatus Cutantius observat, impositam sibi Catholicae fidei sanctiorisque morum disciplinae non tuendae solum, sed etiam quaquaversum amplificandae curam. Hinc *Liberii generalia decreta*, *& Siricii monita evidentia*, Siricius ipse Epist. I. ad Himerium Tarraconensem num. II. & Innocentius Epist. VI. ad Exsuperium Tolosanum num. II. & IV. commemorant. Hinc celebris illius, Zosimi Papae adversus Pelagium Caelestiumque, Tractoriae *Exemplaria & ad Orientales Ecclesias*, *Aegypti Dioecesim*, *& Constantinopolim*, *& Thessalonicam*, *& Hierosolyma ad Episcopos transmissa fuisse*, tradit Marius Mercator. Hinc Xistus Tertius Cyrillo Alexandrino de scriptis ad eum missis illud mandabat: *Haec ad vicinorum Fratrum notitiam pervenire volo per pietatem tuam &c.* Tum suae ceterorumque Sedis Apostolicae Praesulum vigilantiae caussam hanc adjungebat: *Neque enim premittit nos quietos esse ab ejusmodi curis omnium Ecclesiarum sollicitudo*. Qui plura cupit hujusce rei argumenta, adeat laudatum Cutantium; ex quo etiam discet hunc fuisse promulgandorum Sedis Apostolicae decretorum modum. Per optimae probatissimaeque fidei Clericos, vel etiam Episcopos mittebantur ad Provinciarum Primates, nisi ad alios mitti specialis quaedam ratio suaderet. Tum ipsi Primates, sive alii, quibus id negotii datum erat, eorum apographa cum Episcopis, vel singulis vel in Synodo congregatis, communicari, & *omnium consensu studioque*, ut loquitur Innocentius, *firmari* curabant.

Denique & illud praemoneo, quod est Cl. Thomassino sapienter animadversum, nempe (*a*) „ quod quae a „ Syricio & reliquis deinceps Pontificibus indubitatae supersunt nobis „ litterae decretales, singulis pene „ verbis, non copiam quandam singularem doctrinae, sed exertissimam „ potestatem, & jurisdicendi principatum ostentant, atque adeo parendi necessitatem inferunt. *Sic* qui Siricium praecessit *Damasus Romanae Urbis decus ad justitiam*, quo cum titulo exornat Concilium Chalcedonense (*b*), *literis ad Paulinum datis*

(*a*) Append. ad Synod. Chalced. de subscript. num. II.
(*b*) Prosphonet. ad Marcian. Imperat.

Digitized by Google

datis dispensationis Sacramenta patefecit, admonens, ut his, quae bene decreta sunt, si qui communionis suae participes velint esse, consentiant. Sic Anatolius ceterique per Orientem Metropolitae S. Leonis ad Flavianum Epistolae subscribere coacti sunt; cui etiam in Occidente Galliarum & Mediolanensis Provinciae, & omnes in Chalcedonensi Synodo Orientales Episcopi subscripserunt. Cui etiam ut subscriberetur a Gallicanis Episcopis eumdem S.Leonem praecepisse, conjicere, inquit laudatus Thomassinus, forte quis posset ab exemplo consimili Martini Papae I. qui anno DCL. ad Episcopos Galliarum acta Synodi Romanae contra Monothelitas mittens, ait: *Studeat fraternitas tua eadem omnibus innotescere, ut tam abominandam haeresim nobiscum execrentur, atque Synodali conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem Encyclicae a nobis directae, scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes, atque consentientes eis, quae pro Orthodoxa fide a nobis statuta sunt.* Ita & Leo II. postea ad Patres Concilii Toletani XIV. subscribenda misit acta sextae Synodi Oecumenicae. Alia plura hujusce disciplinae exempla in eadem Dissertatione congerit laudatus Thomassinus, quibus, inquit, exemplis in more positum id fuisse generatim, non immerito persuadetur.

En igitur praecipui characteres, quibus insigniri solebant Romanorum Pontificum decretales ac sollennes de aliquo fidei dogmate Constitutiones. 1. In Synodo Episcoporum Italiae aut saltem viciniorum Provinciarum, vel in Clericorum Ecclesiae Romanae conventu proposita quaestio ventilabatur. 2. Litterae Apostolicae ad Patriarchas, aut Primates, aut Metropolitanos dirigebantur, ut eas ceteris per orbem Episcopis intimarent. 3. Illud etiam plerumque in more positum erat, ut ad earum subscriptionem Episcopi adigerentur; aut saltem singulis pene verbis, ut ait Thomassinus, exsertissimam potestatem, & jurisdicendi principatum ostentabant, atque adeo parendi necessitatem inferebant. Videamus ergo, an quidquam horum in eas, de quibus in praesentia disserimus, Honorii ad Sergium Epistolas conveniat, ut perspicue intelligere valeamus, an pro familiaribus & privatis, an potius pro decretalibus & solennibus Apostolicae Sedis Epistolis habendae sint.

§. II.

Honorii ad Sergium Epistolas non fuisse cum aliqua Romana Synodo communicatas, aut in aliqua Romana Synodo editas.

HAnc Thesim egregie probat ex constanti Veterum hac de re silentio, quem saepius laudavi, Cl. Thomassinus, quod nempe cum Synodi in caussa Monothelitarum habitae singulae diligenter ab antiquis Scriptoribus recenseantur, nullus tamen est, qui aliquam in hac caussa Honorii Romanam Synodum indicet. Praemittit autem, omnes in id consentire, quod Rusticus E. R. Diaconus in disputatione contra Acephalos docet: *Dei Ecclesia familiaribus non inten-*

Digitized by Google

intendit, *neque hypomnisticis*, *neque iis, quae ad unum & domesticum fiunt*: *sed his*, *quae ad Synodos*, *aut a Synodis* [juxta communem & pervulgatam illius aevi disciplinam] *Dogmatice*, *& publice*, *& definitive de his*, *quae in quaestionem veniant*, *conscribuntur*. Privatas autem has fuisse Honorii Epistolas, primo inde probatur, quod unius Honorii nomine inscribuntur cum eo aevo, inquit Thomassinus, moris esset, nihil de fide vel a Romano Pontifice nisi Synodice definiri. Atque ut anteriora omittam tempora, quibus longe frequentiores erant Synodi, nec majoris quidquam momenti tentabatur sine Synodo, ad haec ipsa Monothelicae sectae exordia calamum revoco. Johannes, qui bimestri tantum Severini Pontificatu interjecto, successit Honorio Papae. Synodice rem definivit. Unde Libelli Synodici Author cap. 130. *Johannes Papa*, *qui Honorio Monothelitae successerat*, *Divina & sancta instituta Synodo*, *Sergium*, *Cyrum*, *& Pyrrhum anathematizavit*: *duasque voluntates & operationes Domini & Dei nostri Jesu Christi praedicavit*: *& ad Davidem atque Heraclium Heraclii filios Typum piae doctrinae postea transmisit*. Et idem continuo cap. 131. *Pyrrhus ad proprium reversus est vomitum*, *quod cum B. Theodorus*, *qui Joanni successerat*, *intellexisset*, *universa Ecclesia convocata*, *& sepulcro Apostolorum Principis Petri occupato*, *Divino etiam Calice postulato*, *ex tremendo & vivifico Sanguine Christi*, *atramento affundens*, *propria manu depositionem ejus*, *& eorum*, *qui cum ipso communicarent*, *exaravit*. Et cap. 132. & 133. duas similiter collaudat Romanas Synodos, Martini, qui Theodoro, & Agathonis, qui Martino successerat, novorum dogmatum novatorumque fulminatrices: in utraque *fidei definitionem* scriptam diserte asserit. Quin ergo & Honorii aliqua Synodus, vel Synodica prostat definitio, cum quatuor successorum ejus totidem exstent Synodi, Synodicaeque de fide constitutiones? Nimirum ille privatim quod sensit, scripsit: hi ut Pontifices, quid sentiendum essent, definierunt.

Quin & primates Africani, Stephanus (*leg. Columbus*) Numidiae, Reparatus Mauritaniae, Victor Carthaginis, [adde ex eodem Synodico cap. 126., Stephanus Byzacenae] Synodos totidem collegisse, ibidem memorantur cap. 127. 128. 129. *Sergium*, *Pyrrhum & Paulum anathematizasse*, *duas Christi voluntates & operationes definisse ac praedicasse*. Quin ergo & Honorii Synodus aliqua ostenditur? Libelli ejusdem Synodici capite 121. & 122. Sergius Constantinopolitanam geminam Synodum: cap. 123. Cyrus Alexandrinam: & rursus cap. 125. Pyrrhus Constantinopolitanam Synodum coëgisse proditur, unamque voluntatem & operationem docuisse. Quilibet ergo horum haeresim suam *dogmatizavit*, *exposuit*, *roboravit Synodice*. Honorius ibidem Monotheleta scribitur fuisse. De ulla ejus Synodo ne verbum quidem. Constat ergo, non ut Pontificem male definisse, sed ut privatum immaturas cogitationes inconsideratius effudisse. Ita & Theophanes in Chronographia, Synodos laudat aliorum Romanorum Pontificum in

hac

hac causa, Joannis, Theodori, Martini, Agathonis, nequaquam Honorii.

Alterum nec minus efficax ejusdem Thesis suppetit argumentum liber diurnus Rom. Pont. ubi tres Romanorum Pontificum fidei Professiones referuntur [a], in quibus omnia se recipere profitebantur, ac servaturos promittebant, quae a suis Decessoribus fuerant Synodice constituta. Ita enim habet prima Professio: *Diligentius autem & vivacius omnia decreta praedecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quae* SYNODALITER *statuerunt & probata sunt, confirmare, & indiminute servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire; quaeque, vel quosque simili auctoritatis sententia condemnaverunt vel abdicaverunt, simili auctoritatis sententia condemnare.* Similia habet & secunda Professio: *Sed & hoc vestrae caritati, Christo annuente, pollicemur, cuncta, quae hujus Apostolicae Sedis praefati Pontifices Apostolici Praedecessoris nostri* SYNODALITER *statuerunt, cum toto m ntis studio, & puritate nos esse conservaturos, & ad defendendam rectae fidei puritatem, eorumdem praesidio, coram hominibus esse sequipedam.* Gemina his sunt, quae in tertia Professione leguntur: *Quorum Sanctorum Patrum & Apostolicae Sedis Pontificum autoritate muniti ac freti, quae vel* SYNODICE *susceperunt vel praedicaverunt, sine aliqua diminutione suscipimus, & praedicamus. Simili modo & quaecumque damnaverunt, cum suis autoribus & sectatoribus, sub anathemate damnamus.* Hinc autem aperte colligitur, nihil ab Honorio de unica voluntate & operatione fuisse Synodice decretum ac definitum. Quum enim in his fidei Professionibus Romani Pontifices generatim & indiscriminatim omnia se defensuros ac servaturos promitterent, quae fuerant a suis Decessoribus Synodice statuta & definita; si Honorius unam debere dici & agnosci in Christo voluntatem & operationem Synodice statuisset ac decrevisset: Honorii Epistolae his pariter fidei Professionibus comprehenderentur; quod plane absurdum est; quum in earum una, nempe in secunda, Honorius ipse cum aliis Monothelitis damnetur. Ex quo tamen loco id quo de agimus confirmatur, nempe nihil in hac caussa ab Honorio Synodice actum esse: haec enim inibi habentur: *Autores vero haeretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque & Theodorum Pharanitanum & Cyrum Alexandrinum cum eorum imitatoribus, simulque & hos, qui haeretica dogmata contra veritatem fidei* SYNODALITER *declaratam atque praedicatam pertinaciter defendebant.* Igitur ex Romanis Pontificibus unus Honorius dicitur pravas Monothelitarum assertiones, non quidem Synodice declarasse, aut praedicasse, sed eis dumtaxat fomentum impendisse; quod privatis litteris fieri ab ipso potuit: huic autem ceteri Pontifices opponuntur, qui fidei veritatem, non utcum-

(a) Cap. II. Tit. IX.

Digitized by Google

utcumque, sed *Synodaliter* declarasse ac praedicasse dicuntur.

Ex alia fidei professione, quam in sua Ordinatione Episcopus emittebat, Cl. Pagius Concilium Romanum exsculpit, in quo Heraclii Ecthesis a Severino Pontifice damnata sit. En viri Cl. verba [a]: „ Severinum „ Romanum Pontificem, dum vi- „ veret, Ecthesim damnasse, liquet „ ex libro Diurno Romanorum Pon- „ tificum, in quo cap. 3. tit. 6. re- „ citatur Professio fidei, quae a „ Romano Pontifice (*seu potius ab* „ *aliis Episcopis*) emitti solita erat „ ante sextam Synodum generalem. „ In ea enim fidei professione dici- „ tur: *Profitemur etiam, cuncta* „ *decreta Pontificum Apostolicae Se-* „ *dis, idest Sanctae recordatio-* „ *nis Severini, Johannis, Theodo-* „ *ri, atque Martini custodire: qui* „ *adversus novas quaestiones in urbe* „ *regia exortas, & pro propria do-* „ *ctrina cuncta zizaniorum scandala* „ *amputasse noscuntur, profitentes,* „ *juxta duarum naturarum motum,* „ *ita & duas naturales operationes,* „ *& quaecumque damnaverunt, sub* „ *anathemate damnamus: quaeque* „ *susceperunt, suscipimus, & tota* „ *fidei integritate veneramur*. Baro- „ nius ad annum 639. num. 3. Com- „ befisius in Hist. Haeres. Monothel. „ disput. 1. §. 12. aliique existimant, „ Severinum non congregasse Syno- „ dum adversus Monothelitas, quod „ breviori tempore ab adepto Ponti- „ ficatu vixerit; adeoque Johannem „ IV. proscriptae & reprobatae Sy- „ nodice hujus haereseos gloriam re- „ tulisse. Verum non viderant illi ci- „ tatam fidei professionem, ex qua „ Synodum a Severino, ut jure publi- „ co in Ecthesim decerneret, coactam „ esse colligitur. Cum enim promit- „ terent Pontifices Romani, se de- „ creta a Severino, Johanne, ac „ Theodoro adversus Monothelitas „ edita servaturos, manifestum est, „ ea in aliquo Concilio edita fuisse „ ...... Verba, quae Baronius „ num. 3. ex tertio Secretario Late- „ ranensi in medium affert, ut osten- „ dat, Severinum haeresim hanc de- „ testatum esse, cum laudato loco „ Professionis fidei collata, id in Sy- „ nodo factum fuisse demonstrant. „ Ait enim ibidem S. Martinus, post- „ quam locutus est de Severino Pa- „ pa: *Ceciderunt a sua spe* (Cyrus „ & Monothelitae, qui Ecthesim ad „ Severinum miserunt) *mentiti con-* „ *tra caput proprium. Nec enim sus-* „ *cepta est omnino, aut admissa se-* „ *cundum vanam eorum spem; magis* „ *autem condemnata est & anathema-* „ *tizata ab Apostolica auctoritate,* „ *huc transmissa pessimae & praesum-* „ *ptae novitatis eorum Ecthesis*. Ve- „ rum quidem est, Garnerium in „ Notis ad laudatam fidei Professio- „ nem autumare, Severinum de- „ cretum edidisse, quo eam haere- „ sim condemnaret, & anathemati- „ zaret; Johannem vero, Theodo- „ rum, atque Martinum conventum „ Episcoporum adversum eamdem „ coëgisse. Verum frustra recurritur „ ad distinctionem, ubi nulla in fidei

(a) Ad ann. 639. num. VI. & seqq.

„ Professione exprimitur . Quibus eruditi Viri observationibus ea confirmantur, quae in praecedenti & praesenti §. hactenus dicta sunt. Nempe & sollennia Romanorum Pontificum de fide decreta edita olim in Synodis fuisse: & Honorii ad Sergium Epistolas nec fuisse Apostolica auctoritate munitas, nec habendas esse tamquam sollennes de fide Constitutiones, quum in laudatis fidei Professionibus ab eis apertissime secernantur, quae Synodice Romani Pontifices ediderunt.

Est etiam illud ad majorem praedictorum confirmationem observatione dignum, quod sexta Synodus de Honorii Epistolis loquens, nusquam eas Synodicas vocat, quum tamen ejusmodi appellationem aliis aliorum Epistolis tribuat, qui vel fidei dogma vel haeresim Synodice confirmaverunt. Ita Actione XI. Georgius Apocrisarius Theodori Patriarchae Hierosolymitani, *supplicans petiit ..... ut Synodica Sophronii .... proferrentur in medium atque legerentur*. Et paullo post: *Georgius &c. quorum meminit Synodicorum Sophronii .....prolationem faciat &c. Et prolatus est liber habens Synodica Sophronii*. Act. XIII. fit mentio Regesti, in quo trium Patriarcharum Constantinopolitanorum Synodica continebantur; & Epistolis in eo descriptis Synodicarum appellatio tribuitur: *Regestum, in quo continentur exemplaria Synodicorum, quae facta sunt tam a Thoma, Johanne, & Constantino quondam Patriarchis hujus regiae Urbis, hic mihi praesto est; cum his & authentica Synodica bullata, quae facta sunt a Thoma ad Vitalianum quondam Papam Romanum &c.* Et infra: *Regesta Synodicorum ... nec non & authentica Synodica.....Georgius ad medium proferat &c. Et accipiens Agatho Synodicum authenticum &c. Similiter relectum est ex eodem Regesto exemplar Synodicorum Johannis &c. Item relecta sunt ex eodem Polyptycho atque Regesto exemplaria Synodicorum Constantini*. Et infra: *Auditum accipientes Synodicarum Epistolarum, quae scriptae sunt a Thoma Johanne, & Constantino &c.* Paulo post idem Georgius Cartophylax adfert ad Synodum alteram Honorii ad Sergium Epistolam, quae tamen, perinde ac prior, nunquam Synodica dicitur: *Protuli & alteram Latinam Epistolam Honorii, qui fuit Papa Romanus, praeter illam Epistolam ejus, quae jam prolata est*. Et infra: *Epistolam latinam, quam in praesenti dixit invenisse, ac prae manibus habere, idem ..... Georgius; Honorii quondam Papae Romani cum interpretatione sua ..... contradat ad legendum ..:.. Et prolata est hujusmodi Honorii latina Epistola, &c. Habet autem eadem Epistola, post pauca, haec &c. Habet & circa finem eadem Epistola sic*. Ubi cernere est, nunquam ejusmodi epistolam Synodicam appellari; quamvis eodem loco trium Patriarcharum Regiae Urbis Epistolae, quod reapse Synodicae essent, constanter hoc titulo decorentur. Et Actione XII. ubi simul Honorii prior ad Sergium & Sophronii epistolae memorantur; Sophronii quidem Epistola Synodica nominatur, secus autem illa Honorii: *Relecta sunt tam de Regestis scriptarum a Sergio Epistolarum, quam & authentica Honorii latina, ad haec etiam & de Synodi-*

nodi-

Digitized by Google

nodicis Sophronii. Et rursus Act.XIII. *Retractantes ..... Epistolam* [primam] *ab Honorio rescriptam ad Sergium &c. Pertractavimus autem & Synodica Sophronii &c.* Ex quibus, nisi fallor, manifestissime apparet, Synodum Oecumenicam, quae authentica Epistolarum Honorii ad Sergium exemplaria suis oculis lustravit, & manibus contrectavit, eas neutiquam pro Synodicis habuisse; subindeque ejusdem Synodi judicio, eas non esse profectas a Romano Pontifice, sollenniter ejusmodi quaestionem & *ex Cathedra* definiente, sed fuisse privatas & familiares Epistolas proprium ac privatum Honorii judicium Sergio exponentes: Ut enim monet P. Cutantius sex etiam Episcopis laudatus: *Si quae agitarentur caussae paullo graviores, quae ad insignem aliquam Ecclesiam, aut ad totam spectarent, illas ad Episcoporum Italiae Synodum referre non omittebant*; quum scilicet eas sollenni judicio dirimere instituebant: quae porro gravior caussa, quam haec de una vel duabus in Christo operationibus & voluntatibus, quae tunc tres inter insigniores Orientis Ecclesias disceptabatur; & quae reapse ad totam Ecclesiam pertinebat? Quamquam eam Honorius Sergii fraudibus circumventus in superfluo verborum conflictu positam judicarit; quod in caussa fuit, cur de illa ad Italiae Synodum referre omiserit, sed satis habuerit privatum proferre judicium.

§. III.

Honorii literas non fuisse cum Ecclesiae Romanae Clero in publico & sollenni Conventu communicatas.

SEquitur haec altera thesis satis verosimiliter ex his, quae in praecedentis confirmationem adduximus: Ut enim superius cum Thomassino adnotavimus, *in Synodi nomine non usque adeo morosa fuit antiquitas; & quorumlibet vel Episcoporum, vel Clericorum, maxime doctiorum, congregationem cum Episcopo & consultationem, Synodi nomine cohonestavit.* Quum ergo Honorii ad Sergium Epistolae nullibi, ut ostendimus, Synodicae nominentur, nullaque Synodus memoretur, unde illae prodierint; satis probabile est, eas privatum Honorii foetum exstitisse, nullo pacto Ecclesiae Romanae florentissimo Clero tribuendum.

Verum praeter hanc generalem rationem, sunt aliae, quibus speciatim probari potest, nullum ab Honorio huic negotio discutiendo fuisse adhibitum publicum ac sollennem Cleri Romani Conventum: Publicum, inquam, & sollennem; nec enim negaverim, aliquot ex eodem Clero privatim fuisse conscios Epistolarum, quas ad Sergium Honorius destinaverat; qua de re inferius cum sex Episcopis disseram. Primum autem pro hac sententia & ineluctabile argumentum inde conficitur, quod, ut infra ad Caput XXVII. demonstrabimus, quotquot ea aetate Pontifices, Episcopi, Patres, ac Theologi pietatis ac doctrinae laude floruerunt; quot-

quot ferme in hac caussa per universum orbem celebratae sunt Synodi, tam clare, tam diserte, verbisque adeo gravibus & magnificis, Ecclesiae Romanae indeficientem in fidei doctrina constantiam, & immobilem firmitatem, & inconcussam auctoritatem praedicarunt & celebrarunt; ut nihil luculentius, nihil splendidius pro ipsamet universalis Ecclesiae fide ex Conciliis & Patribus adferri possit. Jam vero si consulto pro more ac sollenniter Romano Clero, ipsoque probante & consentiente, Honorii Epistolae in Orientem transmissae sunt; sequitur, Ecclesiae Romanae eas Epistolas tribuendas, quas sexta Synodus secutique Pontifices tamquam erroneas, haeresique fomentum impendentes reprobaverunt. Id ultro agnoscunt sex Episcopi, & hanc demonstrativam probationem esse contendunt, pro certo habuisse sextam oecumenicam Synodum, a Romano Pontifice atque ab Ecclesia Romana prodire posse erroneas Constitutiones, quae non nisi post longi temporis intervallum revocentur: *Preuve démonstrative que ce Saint Concile tenoit pour certain, que le Pape, aussi-bien que l' Eglise de Rome, peut faire des décisions erronées, & ne lespoint rétracter pendant long-tems*. Quae citato loco demonstraturi sumus, nullo pacto conciliari posse cum magnificis illis notionibus, quas de Sedis Apostolicae & Romanae Ecclesiae fidei integritate illibataque doctrina laudatae Synodi & Patres informarunt. Itaque quum etiam post Honorii lapsum Ecclesiae Romanae fides fideique praedicatio miris encomiis celebretur; profecto fateri cogimur, Ecclesiae Romanae Honorii Epistolas non esse tribuendas; proindeque inconsulto Sedis Apostolicae Clero editas illas fuisse.

Eodem fere recidit aliud argumentum, quod ex iisdem Pontificum, Conciliorum, & Patrum auctoritatibus confici potest. Ut enim citato loco & alibi observabimus, indiscriminatim illae & Apostolicae Sedi sive Romanae Ecclesiae, ac Romano Pontifici tribuunt indeficientem & immobilem in fidei Catholicae sanaeque doctrinae praedicatione constantiam & firmitatem: unde illud consequens est, Pontificem Romanum, quatenus Pontifex est, & in Cathedra Petri sedet, ex eaque oracula fundit, haeresi & errori fomentum impendere, seu patrocinari non posse. Porro certum est, quod suo loco sumus accuratius explanaturi, Romanum Pontificem, quoties idoneos ac domesticos Apostolicae traditionis testes consulit Ecclesiae suae Presbyteros, Diaconos, ac Theologos, qui acceptae a Majoribus suis fidei ac disciplinae innutriti sunt; tamquam Pontificem, & ex Petri Cathedra loqui. Quare si adhibito Romani Cleri consilio, suas ad Sergium Epistolas Honorius conscripsit; nulla, ut deinde ostendemus, erit via, qua tueri possimus firmissimam illam, & nullis obnoxiam defectibus, quam Patres & Concilia Petri successoribus tribuunt in rectae fidei Apostolicaeque doctrinae praedicatione constantiam.

Ecclesiae Romanae Clerum in abjectam illam dissimulationem consensisse, qua Honorii Epistolae scriptae sunt, & quae deinde tanquam fidei pro-

Digitized by Google

proditio habita est, aegrius in animum inducemus, si paullisper consideremus, cujusmodi fuerint, qua doctrina, quo spiritu, quo fidei ardore praediti, qui tunc priores in florentissimo illo Clero partes obtinebant: Ex hisce enim post Honorium, intra paucorum annorum intervallum, Petri Cathedram ascenderunt, Severinus, Johannes IV., Theodorus, Martinus I. doctissimi ac fortissimi Pontifices, qui excelso animo, & infracta pectoris Apostolici fortitudine Orientis Imperatoribus & Patriarchis nefarias & aequivocas fidei formulas obtrudentibus restiterunt, omnesque eorum fraudes, versutias, machinationes mirabili sapientia, fideique lumine perviderunt, atque irritas reddiderunt. Ad S. Severinum qui post Honorium Sedem Apostolicam rexit, transmissa est ab Heraclio Ecthesis, ut ab eo signaretur. Verum, quemadmodum Secret. III. Concilii Lateranensis S. Martinus testatur, Heraclius ipse, aliique Monothelitae ceciderunt *a sua spe: nec enim suscepta est omnino aut admissa; magis autem condemnata est & anathematizata ab Apostolica auctoritate huc transmissa pessimae & praesumtae novitatis eorum Ecthesis*. Id in Synodo factum fuisse, supra cum Pagio demonstravimus. En itaque Clerum Romanum sub immediato Honorii successore Heraclii seu Sergii Ecthesim condemnantem, quae prudentis oeconomiae obtentu duarum operationum silentium indicebat. Idem Cleri Romani vigor emicuit in Apocrisariis, qui post Honorii obitum *in caussa promotionis Papae*, [ut scribit S. Maximus ad Abbatem Thalassium] id est, qui Severino post Honorium electo, Constantinopolim ejus caussa missi sunt. Ait enim Sanctus Martyr, quod, quum ab illis promissum exigeretur, suasuros sese novo Pontifici, ut Ecthesi Heraclii subscriberet, ipsi *nihil reveriti, sed cum omni sacra decentique fiducia stabiles, & firmae revera & immobilis Petrae Ministri, maximae videlicet & Apostolicae Ecclesiae, cum Regiae Urbis Clericis disputarunt.* Quod quam merito de illis celebret Sanctus Martyr, patet ex eorum oratione, quam illic refert, & ex qua haec pauca describo: *Neque enim est, qui cuilibet, maximeque in caussa fidei vim possit inferre. In hac enim & nimis infirmus fortis valde consistit, & valde mitis bellator summus invenitur; verboque divino confortans animam, maximis etiam invectionibus magis durus quam dissolutus quodammodo reperitur: quanto magis Romanorum Ecclesiae & Clero, quae ab olim huc usque, utpote senior cunctarum, quae sub Sole sunt, Ecclesiarum, omnibus praeest?*

Severino post duos Pontificatus menses defuncto successit Johannes IV., qui statim atque Catholicam Ecclesiam gubernandam suscepit, coacto Romae Concilio, nihil veritus Imperatoris iram, & Exarcharum Romanis imminentium furorem & minas, Monothelitarum, haeresim & Heraclii Ecthesim condemnavit; de quo in Actis S. Maximi dicitur: *Conventum Episcoporum Episcopus Romae, ut communi cum consilio absurdum dogma exsecrationi & anathemati subjiceret*: quae de Johanne Papa esse intelligenda, ex sequentibus verbis aperte colligitur: *non mul-*

Digitized by Google

o post Johannes Romae Praesul ad Dominum migrat, Theodorusque ejus locum conscendit, non minus Praesulatus, quam Orthodoxiae heres. Epistolam hujus Concilii Synodicam, ut ex eodem S. Martyre habemus Johannes misit ad Pyrrhum Constantinopolitanum Patriarcham, & post Sergium nefariae sectae antesignanum: ut autem ex Synodico colligitur, & ad ipsum fortassis Imperatorem, vel ei saltem per eumdem Pyrrhum communicata est; quare illius auctoritate coactus est, data ad ipsum Johannem Papam epistola, Ecthesim, quam tanto studio defenderat, abdicare: *Ecthesis non est mea: neque enim ego vel dictavi, vel jussi ut fieret: sed quum hanc Sergius Patriarcha composuisset .... deprecatus est me .... ut nomine meo proponeretur cum subscriptione, & suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea. Hanc jussionem*, ut est in actis S. Maximi, *fecit* [Heraclius] *ad B. Johannem Papam condemnantem Ecthesim in his, quae scripserat tunc ad Pyrrhum*. Ex quibus S. Martyris verbis colligit Pagius, eam Heraclii ad Johannem Papam Epistolam datam esse, postquam is Synodum celebravit; ideoque & eam Heraclio adhuc vivente, & aliquot post dies, quam Johannes ad Pontificatum evectus est, celebratam; alioquin ejus Epistola ad Pyrrhum ante Heraclii mortem non pervenisset; quum Heraclius die XI. Februarii anni 641. e vivis abierit; Johannes autem die XXIV. Mensis Decembris anni praecedentis Romanus Pontifex fuerit ordinatus: neque verosimile videatur, Johannem ad Pyrrhum scripsisse, damnatam a se Ecthesim, nisi postquam eam suo in Concilio proscripserat.

Johanni IV., cujus etiam fuit brevis Pontificatus, subrogatus est Theodorus, qui adversus Monothelitas non minus fortiter, quam ejus Decessores, cum Romano clero se gessit. Duplicem is Synodum celebravit; alteram initio sui Pontificatus, cujus Synodicam, vigoris Apostolici plenam, ad Paulum transmisit, qui ejecto Pyrrho, Constantinopolitanam Sedem occupaverat; in qua eum gravissime increpat, quod haereticam Chartam a Pyrrho suspensam nondum dejecerat; quod ejusdem Pyrrhi nondum canonice ejecti locum praeter Canones occupaverat; quod Episcopi, qui ipsum consecraverant, Pyrrhum suis in litteris *Sanctissimum* nominaverant. Praecipiebat autem, ut Synodus, suis praesentibus Apocrisariis, Constantinopoli haberetur, ad eumdem Pyrrhum Constantinopolitano Throno canonice dejiciendum; propterea quod *Heraclium, qui*, inquit, *anathematizavit inviolabilem Orthodoxorum Patrum fidem, diversis laudibus extulit; & sophisticam jussionem ipsius, in qua quasi Symbolum fidei composuit, subscribendo firmavit; furtivisque surreptionibus quosdam Sacerdotes apud se singulatim praedictam Chartam roborare coegit; & in publicis locis suspendere, ad destructionem Chalcedonensis Concilii, audaci transgressione praesumsit*. Nec modo praecepit, ut eam Chartam Paulus dejiceret, irritam redderet, & cum suo auctore *destrueret*; verum & illi in ejusdem damnatione praeivit:

Digitized by Google

vit: quare in eadem Epistola subjungit: *Verum tamen praedictam Chartam, quae contra Orthodoxam fidem & Chalcedonense Concilium sophistice probatur exposita, cunctis viribus irritam esse deliberamus, & vinculo anathematis refutatam, atque ut a nobis, & ab omnibus Orthodoxis Episcopis abbominatam respuimus*. Et infra: *similiter anathematizantes omnes haereses & auctores earum &c.* Similia repetit in Epistola ad Episcopos Pauli consecratores directa: exstatque speciale decretum Constantinopolim transmissum, quo ejusdem sophisticae & haereticae chartae damnatio continetur. In altera autem Synodo quum Pyrrhum, quem Romam confugientem receperat, haeresique abdicata, Ecclesiae Catholicae reconciliaverat, Ravennae ad vomitum reversum S. Pontifex comperisset, *plenitudine convocata Ecclesiae*, quemadmodum Theophanes narrat ad annum Heraclii XX., *ad sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & divino Calice expostulato, ex vivifico Sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depopositionem Pyrrhi excommunicati facit*. Eadem refert libelli Synodici auctor. Neque hîc stetit Theodori zelus; verum & Paulum, Pyrrhi vestigiis insistentem, & saepius admonitum, quum per suos Apocrisarios desperatum ejus vulnus accepisset, neque amplius lenociniis, sed ferro & igne anathematum curandum, depositionis ultione perculsit; ut habet Anastasius in ejus vita; quod & Graeci Abbates & Monachi in libello oblato Concilio Lateranensi, & Secretario II. recitato, testantur.

In Theodori locum anno 649. successit S. Martinus inclytus Confessor & Martyr, qui usque ad confessionis & Martyrii gloriam adversus Monothelitas fidem Catholicam propugnavit: cujus omnes Epistolae, crebraeque in magno illo Concilio Lateranensi ad Patres allocutiones hominem exprimunt Spiritu-Sancto plenum, Apostolica libertate & fortitudine praeditum, fidei ardore succensum, & omnibus, quae Romanum Pontificem decent, virtutibus cumulatum. Cujusmodi autem ipso Pontifice Romana Ecclesia Clerum habuerit, discere possumus cum ex ejus vita apud Anastasium Bibliothecarium, tum ex hisce S. Anastasii Monachi Discipuli S. Maximi Abbatis & Martyris verbis in Epistola ad Monachos Caralitanos, qua eos hortatur, *si possibile est, transire citius, quasi pro alia caussa*; reapse autem pro caussa fidei, *ad Senioris Romae pios, & firmos ut petram viros, qui videlicet vobiscum tutores nostri sunt semper, & propugnatores fortissimi veritatis*. Honorii priores ad Sergium litterae datae sunt anno 634. Posteriores anno 636. Sanctus autem Martinus Pontificatum iniit anno 649. proindeque satis probabile est, hoc Pontifice Romanum Clerum majori ex parte adhuc iisdem ac sub Honorio Episcopis, Presbyteris, Diaconis aliisque Clericis constitisse; quos ait Anastasius, non fidei proditores aliquando, sed ejus *semper* tutores, & veritatis propugnatores fortissimos exstitisse. Quis ergo credat, Severinos, Johannes, Theodoros, Martinos, aliosque *firmos ut Petram viros*; *& stabiles & firmae revera & immobilis Petrae Ministros*, Honorii Epistolis subscribendo, esse aliquando

do

Digitized by Google

do praevaricatos; haeresique, quam totius viribus acerrimoque zelo, nequicquam furentibus Imperatoribus, insectati sunt, fomentum impendisse? Ut hanc sanctissimis Viris, & fortissimis fidei Catholicae Athletis maculam inuramus, opus est non inanibus conjecturis, sed firmis ac solidis monumentis, qualia profecto non sunt, quae ab Adversariis producuntur: quae si recte expendantur, meae potius, ut jam ostendo, opinioni favent. His enim quas mox adfero conjecturis nituntur.

§. IV.

Solvuntur Adversariorum objecta, eademque Thesis uberius confirmatur & illustratur.

1. SOliti erant Romani Pontifices fidei quaestiones ad se delatas cum Episcopis Italiae in Synodo congregatis, aut saltem cum Romano Clero communicare. Verum id quidem, sed quum rei gravitate percepta, quaestionem sibi propositam Apostolica definitione dirimere, & universae Ecclesiae fidei regulam proponere instituebant. Honorius autem propositam sibi quaestionem, de qua Orientis Patriarchae digladiabantur, in mero & inani verborum conflictu positam judicavit; ideoque sat esse credidit suum de illa privatum judicium, familiaribus ad eosdem Patriarchas & domesticis datis litteris, aperire. Vos dicitis, morem fuisse Romanis Episcopis Italiae Episcopos aut Sedis Apostolicae Clericos consulendi, indeque Synodicas ad Ecclesias epistolas transmittendi: nos autem contra Synodicas non fuisse Honorii Epistolas demonstramus; ideoque cum morem in iis condendis litteris Honorium tenuisse negamus.

2. Ab Honorio consuetum ac sollennem in Epistolis dogmaticis conscribendis morem esse servatum, Marchesius sex Episcopis laudatus liquido constare adfirmat ex hisce S. Sophronii verbis ad Stephanum Episcopum Dorensem: *Donec ad Apostolicam Sedem pervenias, non semel non bis, sed multo saepius, aperiens sacris Viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quae in istis partibus mota sunt, donec ea Apostolica prudentia, quae in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant.* Quae tamen nullo pacto ad priorem Epistolam referri possunt, sed solum ad posteriorem; ad quam etiam pertinent, quae ex hac ipsa Epistola sex Episcopi adjungunt: *Quamquam hos, quos ad nos praedictus Frater, & Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur, quod instantissime promiserunt, praedictum Virum esse facturum, si etiam Cyrus Frater & Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.* Possumus ne, inquiunt sex Episcopi, cogitare, Sophronii Legatos, juxta quae in mandatis habebant, cum Romano Clero neutiquam contulisse? aut si alterius ab Honorio opinionis Romanos Clericos comperissent, conditionibus fuisse consensuros, quae in hac secunda Epistola memorantur? Haec itaque non erat privata Honorii sententia: sed hoc facto cum Honorii & Legatorum Sophronii, tum Pontifi-

cis

Digitized by Google

eis suique Cleri commune consilium communisque deliberatio demonstratur.

Si omnia suis temporibus adsignentur, adlata testimonia non modo Adversariorum opinioni non suffragantur, verum & nostram valide confirmant & illustrant. Ut ergo res tota in optimo lumine collocetur, quaerere oportet, an verba Honorii ex secunda Epistola descripta ad legationem référenda sint, quam Stephano Dorensi S. Sophronius injunxit; quod quidem ex tempore pendet, quo eam Dorensis obivit. Post Baronium & Pagium, Marchesius & sex Episcopi ad Stephani legationem ea verba pertinere arbitrantur; at nullas opinionis suae retiones seu conjecturas proferunt. Sed Abbas Fleurius pariter sex Episcopis citatus, Sophronii Legatos, de quibus Honorius loquitur, ab Episcopo Dorensi aperte distinguit, cujus in Urbem adventum post Honorii obitum frositan differendum existimat: *Il arriva a Rome peut-être après la mort du Pape Honorius*. Verum & ipse nullam, cur a Baronio & Pagio dissentiat, rationem adfert. Quare sex Episcopi nescire se fatentur, *on ne sait pour quoi*, hanc opinionem laudatus Historicus praeferat. Ergo rationes & conjecturas exponam, cur Fleurii sententiam amplectendam existimem.

Primam & alteram colligo ex verbis, quibus Sophronius Episcopo Dorensi suam hac de re legationem injunxit; quae refert Stephanus ipse Dorensis in libello supplici, quem Secret. II. Lateranensi Synodo obtulit: *Beatae memoriae Sophronius ..... zelo Dei & fiducia repletus, duxit me indignum, & statuit in Sancto Calvariae loco ..... & ibi alligavit me vinculis indissolubilibus, dicens*: „ Tu „ dabis rationem ipsi, qui propter „ nos secundum carnem in hoc san„ cto loco sponte crucifixus est Deus, „ quando cum gloria in terribili ejus „ adventu judicaturus est vivos & „ mortuos, si distuleris & postposueris „ fidem ejus periclitantem; licet ego „ hoc facere corporaliter, propter „ emersam ex nostris peccatis incur„ sionem Sarracenorum praepedior. „ Quantocyus ergo de finibus terrae „ ad terminos ejus deambula, do„ nec ad Apostolicam Sedem, ubi „ orthodoxorum dogmatum funda„ menta exsistunt, pervenias; non „ semel, non bis sed multo saepius „ aperiens sacris Viris ibidem consi„ stentibus omnia secundum verita„ tem, quae in istis partibus mota „ sunt & non quiescas, instantius ex„ petens atque exorans eos, donec „ ex Apostolica prudentia, quae in „ Deo est, ad victoriam judicium „ perducere debeant, & noviter in„ troductorum dogmatum perfectam „ faciant secundum Canones destru„ ctionem. 1. Haec verba extraordinariam quamdam legationem indicare videntur propter hoc unum negotium Dorensi Episcopo injunctam; quod & ipse Stephanus eodem loco disertis verbis testatur: *Studuit meam humilitatem sine mora pro hujusmodi tantummodo Capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam magnamque dirigere Sedem*. Hanc autem praecessisse videtur alia ordinaria Legatio, qua ex vetusto more primarum Sedium Episcopi recens consecrati suam ceteris Patriarchis ac potissimum Ro-

mano Pontifici electionem, Synodicis suis litteris nunciare soliti erant: Ad quem morem respiciebat Sergius, quum Honorio Papae scribebat: *Sophronius venerabilis Monachus, qui (ut nunc ex uno auditu didicimus) Hierosolymorum Praesul est ordinatus (necdum enim hactenus ejus more Synodica suscepimus &c.)* Non diu tamen distulit, qui huic erga Constantinopolitanum Episcopum officio Sophronius satisfaceret, missa per Leontium Diaconum, & Polyeuctum Synodica Epistola, quae deinde Actione XI. sextae Synodi lecta est. Easdem litteras, cum simili & abs dubio etiam ampliore Legatione, ad Honorium fuisse transmissas, ex libello Synodico constat: *Sophronius, mellitus veritatis propugnator, qui quum Hierosolymorum summus esset Sacerdos, divina & sancta convocata Synodo, duas voluntates & operationes declaravit: actaque sua Synodica Honorio Papae Romano & Sergio Constantinopolitano misit*. Quare & Abbas Fleurius testatur (a), eam Epistolam in quibusdam Exemplaribus ad Honorium Papam esse directam. De hac itaque legatione Honorim loqui existimo in sua posteriore ad Sergium Epistola: quum nempe nondum in summo discrimine fides Catholica in Oriente versabatur; in quo tamen posita erat, ut ex adlatis Sophronii verbis apparet, quum alteram Dorensi Episcopo legationem injunxit: 2. Quum Synodicas litteras ad Sergium & ad Honorium daret, & nondum Sanctissimus ille Hierosolymorum Episcopus spem omnem abjecerat, posse se suis litteris, lacrymis, legationibus, orationibus saniora Sergio consilia inspirare: quare illum suavibus blandisque verbis alloquitur, ejus sapientiam & pietatem commendat, ipsius se judicio subjicit, nihilque omittit eorum, quae ad ipsius animum demerendum apta & idonea videri poterant. Quum autem Dorensem Episcopum legatum ad Sedem Apostolicam destinavit, spem omnem deposuerat ad leniora consilia Constantinopolitanum Episcopum revocandi; qua de re Stephanus ipse rursum nobis audiendus est: *Quippe nam & ipse dum adviveret, superius dictis temeratoribus in Oriente validissime contradixit, contestans eos & admonens, ut a propria haeresi quiescerent, & ad rectam Patrum fidem remearent*. Id ille egregie praestitit Synodicis suis ad Sergium litteris, quo tempore, ut jam diximus prior ad Sedem Apostolicam legatio directa est. Quae autem subjungit, ad ipsius Dorensis Episcopi pertinent legationem: *Quos quidem revocare minime valuit; commovit autem eos contra se ad insidias & malignam detractionem: sed nullo modo propter hoc reveritus est omnino ille, nec timuit timorem, ubi non est timor, quoniam* justus sicut Leo confidit: *zelo autem Dei & fiducia repletus, duxit me indignum &c.* Diverso itaque loco res erant, quum Synodicas litteras Sophronius Romam misit, & quum Stephanum Dorensem ad Sedem Apostolicam destinavit. Quum Synodicas Romam misit, Sergium omnium officiorum genere demereri stude-

(a) Hist. Eccles. lib. 38. num. VI.

studebat, & ab eo instrui, corrigi & emendari cupiebat: *Vestram quaeso*, ajebat Sergium adloquens, *paternam sanctitatem has a mea humilitate suscipientem jure Synodico literas, paternis oculis conspicere, & fraternis obtutibus cernere: & si quid per ignorantiam offensum est sive per oblivionem praetermissum est &c. adjectionibus & dictionibus adimplere, ex paterna procedentibus plenitudine, & emendationibus corrigere, & robur amicissimum tribuere, fraternis operatum studiis, paternisque irrigatum propositis..... Quod quum amicabiliter a vobis fuerit factum, me quidem locupletabit atque salvificabit; vobis autem beatissimis testificabitur de compassionis caro affectu, hoc idem est dicere, de filii atque fraternitatis dilectione*. Haec eadem Honorio iisdem litteris significabat: quare non mirum si in eam conditionem eum Honorius consensurum sperabat ut duae ab ipso ita disposito silerentur voluntates & operationes modo nec a Cyro una voluntas & operatio praedicaretur: nec mirum quoque, si priores Legati, quum hoc loco res erant, id Sophronii nomine promiserunt, idque ratum ab ipso habitum iri judicarunt. At quam de prioribus legatis creditu id facile est, tam est incredibile de Stephano Dorensi post terribilem illam, ut Theologi loquuntur, adjurationem, & sollennem ipsius Stephani promissionem, quod nunquam sibi requiem daturus esset, donec Sedes Apostolica judicium ad victoriam perduceret, & perfectam facerent secundum Canones novorum dogmatum destructionem; id est, donec peremtorie de controversiis, quae Orientis Patriarchas committebant, Apostolica Sedes statueret. Nec Stephanus Dorensis, cui Sophronii mens & voluntas optime perspecta erat, & cui Sophronius suum zelum ac spiritum adflaverat, unquam Sophronii nomine spopondisset, cessatum ab eo iri a duarum voluntatum & operationum praedicatione, idest ab aperta & minime fucata Catholici dogmatis professione. Itaque quae de Sophronii Legatis in posteriore Epistola narrat Honorius, ad Stephani Dorensis legationem nullo pacto referri possunt.

Sed quid conjecturas sequimur; quum id ex ipsius Stephani verbis apertissime conficiatur? Postquam enim narravit insidias, quae ipsi ab haereticis in itinere positae fuerant, haec subjungit: *Sed Dominus auxiliatus est mihi, & liberavit me ab omnibus persequentibus me, ideoque & ad propositum currentem, & ad bravium properantem vestrae Apostolicae Sedis. Neque despexit Deus preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitavit non equidem mediocriter Praecessores Apostolicosque Praesules in commonitione, nec non contestatione praedictorum Virorum, licet nullo modo eos flectere potuerunt. Excitavit autem & nunc, ex Dei voluntate qui praesidet, Dominum nostrum Martinum ter Beatissimum Papam*. Quibus verbis Dorensis Episcopus diserte tradit non frustra fuisse susceptos ab eo labores, non frustra ipsum ad Sedem Apostolicam properasse, & Martini Decessores adiisse, quod hi divinitus excitati nihil omiserint, ut a fide devios ad veritatis semitam revocarent. Pontifices ergo, quos

Episcopus Dorensis adiit, eodem ac Sophronius ipseque Stephanus spiritu praediti erant & in haereticos animati, eodemque fidei ardore flagrabant; ac proinde alii ab Honorio fuerunt, qui Sophronii Legatis suasit, ut cum Sergio Cyroque de silendis duabus voluntatibus & operationibus convenirent; recteque a Fleurio traditum, non nisi post Honorii mortem Romam Dorensem Episcopum pervenisse.

Jam vero ut eo se referat, unde huc defluxit oratio; ex dictis facile evincitur, Honorii litteras non fuisse cum Romano Clero, juxta illius aevi morem in concinnandis dogmaticis Epistolis observatum; non fuisse, inquam, cum Romano Clero in publico ipsius & sollenni conventu communicatas, sed habitas eas a Sophronio & Dorensi Episcopo fuisse pro domesticis ac privatis epistolis. Nam primo Stephanus Dorensis tanquam doctrinam Sophronii praedicat, quod solus Romanus Pontifex claves a Deo accepit ligandi atque solvendi, & cum auctoritate ac potestate de fide Catholica statuendi: *Quippe quoniam hoc potestative olim & ab antiquitus facere per Apostolicam sive Canonicam consuevit auctoritatem, dum aperta lucubratione non solum claves regni Caelorum creditae sunt ei, atque* IPSE TANTUMMODO *ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiae credentibus juste claudere, magnus secundum veritatem & Princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam & pascere primus jussus est oves Catholicae Ecclesiae, quum Dominus dicit*: Petre ames me? Pasce oves meas. *Et iterum ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spiritales meruit fratres; utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & Sacerdotalem auctoritatem. Quod utique sciens beatae memoriae Sophronius &c.* Secundo sciens pariter idem B. Sophronius, tunc solum Romanos Pontifices supremam hanc in fidei controversiis dirimendis exerere auctoritatem, quum aliorum Episcoporum consultationibus non privato sensu, sed ex Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus, traditione respondent, esse autem hujusce traditionis, quae semper integra in ipsa & inviolata permansit, domesticos & imprimis idoneos testes ejusdem Ecclesiae Clericos, qui acceptae a Majoribus fidei ac disciplinae fuerant innutriti: ideo Stephanum Dorensem ad Apostolicam Sedem dirigens, *ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta exsistunt*, non modo Romano Pontifici, sed & *sacris Viris ibidem consistentibus* Orientis de fide disceptationes aperire praecepit. Qua loquendi formula, inquit Marchesius, non Pontificem dumtaxat, sed etiam Clerum Romae Pontifici assidentem, per legatum certiorem fieri, Sophronius indicabat: haud aliter quam modo Romae servari comperimus ab iis, qui ad Apostolicam Sedem caussarum decisionem reportaturi accedunt. Cum praeter Pontificem, caeteros quoque Romanae Ecclesiae primarios diversis Congregationibus deputatos informare

re

Digitized by Google

re consueverunt. Tertio monuit Legatum suum Sophronius, ne quietem sibi daret, donec Apostolica Sedes judicium ad victoriam perduceret, & perfectam faceret & Canonicam novorum dogmatum destructionem, id est, ultimo & peremtorio judicio controversiam dirimeret: quo aperte significat, tum ejusmodi caussam non fuisse ab Honorio Canonice judicatam, tum certum esse & irreformabile prolatum juxta Canones ab Apostolica Sede de fidei controversiis judicium.

Duabus rationibus, quas hactenus examinavimus, tertiam hanc sex Episcopi adjungunt, quam tanta fulgere luce jactitant, & rem hanc ad eum perducere claritatis & evidentiae gradum, ut nemo deinceps futurus sit, qui ad eam obscurandam animum adjiciat. Quaenam vero illa est? Elicitur, inquiunt; illa ex S. Maximo, celebri illo & insigni fidei propugnatore, cui tam duras Catholici dogmatis defensio concivit persecutiones. Quum aegre Sanctus Martyr audiret, Monothelitas Honorii litteras in sui erroris confirmationem proferre, nullum non lapidem movit, ut suaderet, non fuisse ab Honorio Christum exutum duabus voluntatibus, quae divinae humanaeque naturae appendices habentur; sed negatas ab eo duntaxat duas solius carnis sive humanae naturae voluntates, quarum una adversus alteram concupiscat. Hanc vero Honorii litterarum interpretationem sanctissimi Presbyteri & Abbatis auctoritate confirmat [a]: *Sanctissimus Presbyter Dominus Abbas Anastasius e Seniore Roma reversus, Vir, si quis alius, Divina virtute ac prudentia ornatus; qui & dixit, diu se multumque cum magnae illic Ecclesiae sacratissimis Viris sermonem contulisse, ejus, quam ad Sergium scripserant, Epistolae gratia.* Profecto, inquiunt laudati Praesules, haec verba observatione digna sunt! Ipsi sacratissimi Viri, qui Ecclesiae Romanae Clerum constituunt, de Honorii litteris cum sancto illo Presbytero sermonem habent, & ingenue fatentur, eas a se exaratas. Potestne testimonium proferri, quod sit aut verbis disertius, aut commendabilius auctoritate? Abbas Anastasius suam prosequens narrationem adjungit: *Sciscitando, quid causae esset, ac quomodo una illis voluntas inserta esset, invenisse ejus rei caussa dolentes, & excusantes.* Adfert praeterea Abbatis Johannis testimonium, qui Honorio a secretis fuerat, quique hac in parte interpolatam fuisse epistolam querebatur: *Praeteraeque, qui jubente Honorio hanc* (epistolam) *latine dictaverat, sanctissimum Abbatem Johannem, ei in Epistolis adjutorem, affirmantem, nullo modo in ea per numerum unius prorsus voluntatis mentionem fecisse.* En, inquiunt Adversarii, definitionem tota Pontificis auctoritate munitam, quam dedit ab Orientis Patriarcha, ejusque Concilio consultus, auditisque partibus; de qua & Ecclesiae Romanae sacratos Viros consuluit; cujus denique & hi ipsi Viri defensores erant.

Verum si Romanus Pontifex, si Sedes Apostolica, si ipsa Romana Ec-

(a) S. Maxim. Epist. ad Marin.

Ecclesia, si denique sacratissimi Viri, qui ejusdem Ecclesiae Clerum constituebant, una cum Romano Pontifice adeo sollennem & Canonicam, tulerant de hac fidei controversia in Honorii Epistolis definitionem; quid est, quod S. Sophronius & Stephanus Dorensis ad Honorii Successores convolant, ut ad eos, quibus *tantummodo* in Apostolorum Principe collata potestas & auctoritas esset de fidei rebus canonice decernendi? quid est etiam, quod idem Beatus Sophronius ad Sedem Apostolicam Dorensem Episcopum destinat, quod ibi *Orthodoxorum dogmatum fundamenta exsistant*; & eum cum sacris Viris ibidem consistentibus conferre jubet? Denique quid est, quod iidem sanctissimi Viri adhuc expetunt canonicum ab eadem Apostolica Sede judicium, quo perfecte, idest, firmiter & irretractabiliter recens introducta dogmata destruantur?

Haec profecto longe majoris momenti sunt, quam quae ab Adversariis proferuntur, quae etiam si accurate seduloque expendantur, nostram potius roborant & confirmant opinionem. Nam interrogati ab Anastasio sacratissimi Ecclesiae Romanae Viri, ob emissas ab Honorio epistolas dolebant, easque, ut poterant, excusabant: solus autem ille, qui Honorio ab epistolis fuerat, testis adducitur in *unius* voluntatis articulo interpolatae a Grecis Epistolae. Itaque non fuerant communi consilio conscriptae Honorii ad Sergium litterae: alioquin non unum privatum Scriptorem, sed universum Ecclesiae Romanae Clerum hujusce interpolationis testem producere debuissent: nec varia fuisset, ut Anastasius apud S. Maximum indicat, sed omnium concors sibique constans, quam adornabant litterarum Honorii defensionem. Porro nullius momenti est, quod sex Episcopi observant, nempe contulisse Anastasium cum Ecclesiae Romanae sacratissimis *Viris ejus, quam scripserant, epistolae gratia*: Nihil enim magis usitatum, quam ut quae privatim ab uno Principe aut cum paucis consciis scribuntur aut fiunt, generatim ejus Curiae ac Ministris tribuantur.

§. V.

Dogmaticas non fuisse Honorii ad Sergium Epistolas.

HUjus quoque theseos fundamenta in superioribus §§. jacta sunt. Non enim, ut ostendimus, moris erat Romanorum Pontificum Dogmaticas Epistolas in lucem emittere, nisi antea rem aut cum Synodo Episcoporum Italiae, aut cum Romanis Clericis in publico & sollenni ipsorum conventu communicassent: quod neutiquam ab Honorio praestitum esse, solidis jam, ut puto, conjecturis & rationibus demonstravimus. Sunt tamen & aliae speciales rationes, quibus eadem thesis confirmari potest: Et prima quidem inde conficitur, quod sexta Synodus Honorii Epistolas, ubi de illis speciatim loquitur, nusquam Dogmaticas appellat; quum tamen aliorum opusculis & epistolis ejusmodi titulum adjungat. Sic pag. seu col. 978 (a) *Retractantes dogmaticas*

(a) Tom. VII. Concil. Venet. edit.

ticas Epistolas, *quae tamquam a Sergio .... tam ad Cyrum*, *qui tunc fuerat Episcopus Phasidis*, *quam ad Honorium quondam Papam antiquae Romae*. *Similiter autem & Epistolam ab illo*, *id est*, *Honorio rescriptam ad eumdem Sergium*. Ubi advertere est, Sergii quidem Epistolas dogmaticas dici, secus autem Honorii litteras. Col. 979. petunt Judices, Georgium Chartophylacem proferre in medium, quaecumque reperire poterat Pyrrhi, Pauli, Petri Patriarcharum Regiae Urbis, & Cyri Alexandrini, ac Theodori Pharanitani, *sive Synodica*, *sive dogmatica opuscula*, *vel Epistolas*. Georgius autem variis eorum Opusculis & Epistolis recensitis, *Regestum* citat *diversarum Epistolarum*, *in quo est* inquit *epistola ejusdem* (Petri) *dogmatica scripta ad Vitalianum*. Col. 994. *Antiochus relegit tomum dogmaticum Pyrrhi*. Col. 995. *In medium venientibus tam dogmaticis epistolis quam scriptis*, *quae fecerunt Pyrrhus*, *Paulus*, *& Petrus*, *quondam Patriarchae hujus Regiae urbis*, *nec non quae a Theodoro*, *qui fuit Pharan Episcopus*, *& Cyro*, *qui fuit Papa Alexandriae &c.* Col. 1002. Georgius Cartophylax alia profert monumenta, *in quibus & alteram*, id est, secundam, *Latinam epistolam Honorii ..... Item & librum membranaceum habentem exemplaria diversarum dogmaticarum epistolarum*, *in quo jacet epistola dogmatica Pyrrhi ..... quam scripsit ad Johannem sanctae memoriae quondam Papam Romanum*. Quo in loco nec Honorii epistola dogmatica dicitur, quemadmodum epistolae Pyrrhi, & ex alio Codice profertur ab eo, quo Dogmaticarum Epistolarum exemplaria continebantur. Quare unus tantum ab Adversariis proferri potest locus, qui eorum opinioni in speciem favere videri potest, extatque Actione XII. col. 966. & quidem decretorius esset, si se ita reapse haberet, quomodo eum sex Episcopi referunt: Ita enim illi: *Oportet ad nos afferri regesta ac dogmatica scripta ab Honorio ad Sergium facta super praesenti dogmatica quaestione*; nulla autem, ut fieri solet, interpunctione notant, aliquid in medio ab ipsis omitti, quo profecto vis hujusmodi testimonii admodum elevatur: *Oportet*, inquiunt Judices, *ad nos afferri regesta*, *ac dogmatica scripta*, *quae exposita sunt a Sergio quondam Patriarcha hujus Regiae Urbis*, *sive ad Honorium*, *vel Cyrum*, *vel Sophronium*, *aut etiam ad alias personas*; *seu ab Honorio ad Sergium facta &c.* quo pacto non cogimur epithetum *dogmatica* etiam ad Honori scripta referre; quum ut superius animadvertimus, ubi de Honorii litteris Synodus singillatim loquitur, nusquam eas dogmaticas vocet.

Secunda ratio ex eo petitur, quod supra cum Thomassino statuimus; nempe Summorum Pontificum Epistolas decretales singulis pene verbis exsertissimam potestatem, & jurisdicendi principatum ostentare, atque adeo parendi necessitatem inferre: Honorii autem Epistolae vehementem quidem & instantem exhortationem continent, sed nullum praeceptum, nec ullius poenae interminationem: Ita enim priorem Epistolam Honorius concludit: *Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet*, *sicut & nos ea vobiscum unanimiter praedicamus*; HORTANTES

VOS,

vos, *ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes &c.* Et in Epistola secunda: *Et hoc quidem*, inquit, *beatissimae fraternitati vestrae insinuandum praevidimus: . . . . scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio Antistitibus, ne novae vocis, id est unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur . . . . . Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater & Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur: quod instantissime promiserunt, praedictum Virum esse facturum, si etiam Cyrus frater & Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.* Haec simplices meraeque instructiones sunt, exhortationes, admonitiones, non praecepta, non dogmata, non decreta. Quis porro vel fando audiit, dogmaticis Romanorum Pontificum Constitutionibus promitti obedientiam, hac tamen clausula seu conditione adjecta, si Adversarius eis pariter morem gerat; quomodo hîc Sophronii Legati promittunt, omissum iri a Sophronio duplicis voluntatis & operationis vocabulum, dum Cyrus ab unius voluntatis & operationis vocabulo, abstineat? Nam Romani Pontifices simplicem & absolutam suis dogmatibus ac decretis obedientiam firmiter, & constanter, ut jam superius ostendimus, exigere consueverunt; scribentes Ecclesiis, *ut his, quae decreta sunt, si qui communionis suae participes velint esse, consentiant.*

Hinc autem alia oritur ratio, qua probari potest, Honorii Epistolas non esse dogmaticis Romanorum Pontificum Constitutionibus adscensendas. Hae namque, ut jam praemonuimus, & cum Cl. Cutantio late probavimus, ut in omnium notitiam pervenirent, eorumdem Romanorum Pontificum cura erat & vehemens sollicitudo; *ut nimirum omnium consensu*, quemadmodum loquitur Innocentius I., *studioque firmarentur*. Quapropter ut idem adnotat Cl. auctor, per optimae probatissimaeque fidei Clericos vel Episcopos ad Provinciarum Primates aut Patriarchas transmittebantur, nisi ad alios mitti specialis quaedam ratio suaderet. Tum ipsi Primates, sive alii quibus id negotii datum esset, eorum apographa cum Episcopis, vel singulis, vel in Synodo congregatis communicari curabant; ac saepe etiam eisdem Epistolis cum ipsi subscribebant, tum etiam ad subscribendum subjectos Episcopos adigebant. Nihil autem horum de suis ad Sergium, Cyrum, & Sophronium litteris Honorius praecepit, quod nimirum domesticae essent & familiares Epistolae. Id vero Sergius ipse, ejusque successores Pyrrhus & Paulus animo advertentes, non quidem Honorii epistolas, sed Heraclii Ecthesim, aut Constantis Typum subscribendum Epistolis obtulerunt, omnique studio curarunt, ac dolis, minis, persecutionibus effecerunt, ut a quamplurimis Graeciae & Orientis Episcopis subscriberentur: quum tamen vetus mos obtineret plurium Imperatorum exemplo confirmatus, ac Romanis ipsis Pontificibus & Oecumenicis Synodis probatus, ut dogmaticis ipsorum Romanorum Praesulum Constitutionibus, & Synodorum decretis Imperialia quidem decreta vel Epistolae, si opus esset, adjun-

Digitized by Google

adjungerentur ; non tamen ipsis, sed Pontificum aut Synodorum decretis subscriberetur. Nec objici possunt Justiniani de tribus Capitulis Constituta, quibus ab Orientalibus Episcopis subscriptum est. Nam nulla adhuc erat ullius Romani Pontificis aut Synodi formula, quae ad subscribendum proponeretur. Quod autem pro Romani Pontificis dogmatica Constitutione Imperialis formula subscribenda Episcopis exhibeatur, quum Apstolicae & Imperiales litterae in unam eamdemque sententiam conspirare creduntur, id vero exemplo carere existimamus. Quid est ergo, quod Ecthesim Heraclii, aut Constantis Typum pro Honorii epistolis Sergius, Pyrrhus & Paulus aliique Monothelitae subscribenda Episcopis obtruserunt? Nimirum absurdum plane & absonum judicarunt, ut, praeter Honorii mentem, domesticae ac familiares Epistolae tanquam fidei formulae, sollennibus Episcoporum subscriptionibus firmarentur.

Hinc autem mirum non esse intelligimus, quod neque Orientis neque Occidentis Episcopi adversus Honorii Epistolas ante sextam Synodum reclamarunt. Eminentissimus quidem de Bissy apud sex Episcopos hujusce silentii, quod ad Occidentales pertinet, hanc caussam adfert, quod illis adhuc ignotae essent: alioquin cur, inquit, non perinde adversus illas, atque adversus Heraclii Ecthesim, & Constantis Typum reclamassent, si, ut adversariis placet, haud secus Monothelitarum haeresi suffragantur? Reponunt sex Episcopi, discrimen ex eo esse petendum, quod ad subscribendum Imperatorum Edictis Episcopi cogebantur: Esse autem violentiae effectum, ut ei fortiter ac viriliter resistatur: Nemo autem, inquiunt, ad subscribendum Honorii litteris Episcopos cogebat. At nos rursum quaerimus, cur ad subscribendum Imperatorum Edictis, secus autem Honorii litteris Episcopi cogebantur: Nec aliam putamus hujusce rei adferri posse rationem, quam quod Edicta Imperatorum edicta erant, hoc est, decreta, dogmata, leges; secus autem Honorii Epistolae. Alioquin ad confirmandam & propagandam Monothelitarum haeresim, nonne magis idoneum & aptum, ac vetustis moribus consentaneum fuisset, ut vel solis Honorii litteris, aut his una cum Imperatorum Edictis subscriberetur?

CAPUT XXIII.

„ Bellarmini ac Baronii effugium;
„ quod haec Honorius dispensatorie
„ pacis gratia scripserit, quoad rem
„ exactius definiret: id ipsius Ho-
„ norii verbis confutatur; docetur-
„ que, Honorium cum Monothe-
„ litis a Romanis Pontificibus, ac
„ praesertim a S. Martino, presso li-
„ cet nomine condemnatum.

De Honorii litteris quid sentiamus, quidve sentiendum existimemus, superiori Capite declaravimus; quare de Bellarmini ac Baronii verbis aut verborum apicibus trutinandis, non est, quod admodum soliciti simus: neque est etiam, quod amplius in eisdem litteris vindicandis laboremus, postquam semel ostendimus, eas nequaquam ex Honorio Pontificem agente, seu (quod in idem redit, ut suo loco demonstrabimus,) ex Cathe-

dra aut Sede Apostolica prodiisse. Inferius quoque rationes excutiemus, ob quas Romani Pontifices, qui sextam Synodum praecesserunt, ab Honorii damnatione abstinuerunt, secus autem ipsa Oecumenica Synodus. Quare id tantum hoc loco breviter adnotabimus, haud recte ab Episcopo Meldensi jactari, Honorium a Romanis Pontificibus, ac praesertim a S. Martino, cum Monothelitis presso licet nomine condemnatum „ quod Honorii proxi-
„ mi successores, Severinus, Johan-
„ nes IV. Theodorus, S. Martinus,
„ & alii, ac S. Agatho, pari sen-
„ tentia proscripserunt, quique unam
„ operationem dicerent, quique duas
„ aeque ac unam tacendam esse
„ indicerent. Non enim eadem mente geminae voluntatis & operationis vocabulum taceri volebat Honorius, ac professi Monothelitae. Ille enim quae ad Catholici dogmatis οὐσίαν seu substantiam pertinent, sincere & ex animo praedicabat, suadebatque illius vocis silentium, ut Ecclesiarum paci consuleret, & emergentia scandala submoveret; quare illius caussa adfinis erat eorum caussae, qui olim quum recte sentirent & Catholica mente praediti essent, attamen ut Orientis scandala mitigarent, & ad Ecclesiarum pacem ineundam faciliorem aditum sternerent, ab ὁμοούσιος vocabulo abstinebant; quorum aliquos inter Sanctos veneramur; neque cum iis damnamus, qui ut Catholicis fucum facerent, alias quidem Catholicas voces usurpabant; hanc vero sileri volebant, qua ipsorum haeresis evidentius confodiebatur. Qua etiam mente Monothelitae duplicis voluntatis & operationis vocabulum supprimebant; aliis autem Catholicis Sancti Leonis uti vocibus, nequaquam recusabant. Quapropter non est, quod ex horum damnatione Honorii quoque per laudatos Pontifices damnationem conjiciamus.

CAPUT XXIV.

„ De Synodo sexta generali: ea post
„ Romanorum Pontificum, atque
„ imprimis S. Martini exquisitissi-
„ mas definitiones est habita: in
„ ea de S. Agathonis totiusque Oc-
„ cidentalis Synodi Litteris rite
„ deliberatur: Quo sensu Synodus
„ suscipiat quae a S. Agathone de
„ Sede Apostolica praedicantur.

Mira profecto in hoc Opere Meldensis Episcopi dexteritas est, qui in rem suam convertere novit, quae universum illius systema funditus evertunt, & Sedis Apostolicae irretractabili auctoritati apertissime suffragantur. Quid enim evidentius, quam Monothelitas per universam Ecclesiam pro Haereticis habitos esse, antequam Synodus Oecumenica celebraretur? Ipse tamen hoc exemplo probare contendit, opus fuisse Synodo Oecumenica ad Monothelitarum doctrinam irretractabiliter proscribendam. Quid clarius, quam Agathonis & totius Occidentalis Synodi litteras, tanquam certas & immobiles fidei regulas ab eadem generali Synodo fuisse susceptas? Ipse tamen probare nititur, fuisse de illarum susceptione deliberatum. Postremo, quid magis perspicuum, quam ab Agathone inerrantiam in fidei dogmatibus definiendis Sedi Apostolicae vindicari? Ipse tamen pro arbitrio, nullaque solida ratione hujusce

testi-

Digitized by Google

testimonii vim elevare conatur. Itaque operae pretium erit haec tria adcuratius examinare, suamque illis vim adserere, & nativo ea splendori restituere.

ARTICULUS PRIMUS.

Ante Oecumenicam Synodum sola Romanorum Pontificum auctoritas valuit, obtinuitque, ut Monothelitae eorumque dogmata ab omnibus Ecclesiis, quae Catholica communione gaudebant, pro haereticis haberentur.

MOnothelitas eorumque dogmata, etiam longe antequam Oecumenica Synodus celebraretur, totam qua late patet, Catholicam Ecclesiam pro haereticis habuisse, ex iis quae adhuc supersunt illius aevi monumentis compertum est. Quare supervacaneum est in iis singillatam recensendis immorari. Itaque ea tantum afferam & expendam, quibus diserte probatur, solius Romanae Sedis auctoritatem valuisse in illis absque retractatione damnandis.

Primus, qui nominatim ab Apostolica Sede anathemate perculsus est, Pyrrhus fuit Sergii in Urbis Regiae Patriarchatu Successor; in quem, uti superius diximus Ravennae in haeresim relapsum, damnationis sententiam mixto cum Christi Sanguine atramento S. Theodorus Papa perscripsit. Quae vis autem fuerit prolatae a Romano Pontifice damnationis, colligere possumus ex luculento ac praeclaro S. Maximi Abbatis & Martyris testimonio in Epistola ad Petrum illustrem; quod etsi aliquanto prolixius, integrum tamen huic loco inserere libet: *Si enim*, inquit, *Romana Sedes non solum reprobum Pyrrhum, sed & male sentientem & male credentem non nescit, perspicuum profecto est, quia omnis, qui eos qui Pyrrhum reprobaverunt anathematizat, Sedem Romanam idest Catholicam Ecclesiam anathematizat. Omitto enim dicere, quia utique & seipsum, qui talis est, si dumtaxat Sedi Romanae communicat Catholicaeque Dei Ecclesiae. Obsecro igitur, benedicte Domine mi, praecipere omnibus, ne Pyrrhum sanctissimum vel almificum nominent: neque enim tale quid sacra regula eum vocari permittit: a cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab Ecclesia Catholica sponte prosiliit; non enim fas est, illum ex quacumque laude cognominari, qui jam olim damnatus est & abjectus ab Apostolica Sede Romanae Urbis ob externae sensum opinionis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam, imo ad Dominum nostrum per piam confessionem & Orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat sanctumque vocabulum. Itaque si vult haereticus neque esse, neque audiri, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc & irrationabile est: quia sicut uno contra eum scandalizato, omnes scandalizati sunt; ita quoque uno satisfacto, omnes proculdubio satisfient. Festinet pro omnibus Sedi Romanae satisfacere; hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc & Orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos & surripiendos putat; & non satisfacit & implorat sanctissime Romanorum Ecclesiae Beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem, quae ab ipso incarna-*

Digitized by Google

to Dei Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis secundum sacros Canones & terminos, universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit & habet imperium, auctoritatem & potestatem ligandi atque solvendi. Cum hoc enim ligat & solvit etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & Beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii, vel alterius cujusdam criminis redarguitur, & insontem se non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat; sed tantum inutiliter & sine lucro aliis & privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se solvendi a crimine potestatem. In quibus verbis notandum est, perinde esse juxta S. Martyrem, cum Romana Sede & cum Ecclesia Catholica communicare; perinde esse, Romanae Sedis, & Ecclesiae Catholicae communione excidere; denique perinde esse, Romanae Sedi, & Ecclesiae Catholicae satisfacere. Unde jure colligitur, Ecclesiae Catholicae judicium a judicio Romanae Sedis pendere: quod esse prorsus irretractabile Sanctus Martyr perspicue docet, quum ait, quod cum Romano Pontifice ligat & solvit etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus principatur; indeque conficit, nullius auctoritate solvi posse quod a Romano Pontifice ligatum est: proindeque frustra illos agere, qui se apud alios purgare satagunt, nec Romano Pontifici interim satisfaciunt; haud secus atque illi frustra laborant, qui se insontes non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat; sed aliis, qui nullam habeant eum solvendi a crimine potestatem: quod nimirum Romanae Ecclesiae Beatissimus Pontifex ille sit, qui ab ipso incarnato Dei Verbo universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit imperium, & cum imperio conjunctam ligandi atque solvendi summam & a solo Deo pendentem auctoritatem & potestatem.

Post Pyrrhum, qui Heraclii Ecthesim adoptavit ac propugnavit, ab eodem Theodoro Papa depositus & damnatus est Paulus Constantinopolitanae Sedis invasor, qui Constanti Imperatori auctor fuit, ut aliam haereticae doctrinae formulam publicaret. Adversus hunc Paulum lecta est Secretario II. Concilii Lateranensis Victoris Carthaginensis Synodica Epistola ad Theodorum Papam, in qua ipsius quidem Pauli haereticam doctrinam damnat ac detestatur, sed ipsum tamen Fratrem & Coepiscopum vocat. Qua in re S. Martinus ejus commendat *humilitatem*, quod, inquit, *minime praesumens abrogatum eundem Paulum habere, sed consacerdotem appellans, donec judicium de eo nostrae Apostolicae auctoritatis, hoc est, Principis Apostolorum Petri cognoscat: ut pote quoniam* SOLUS, *atque prae omnibus creditus est atque accipere meruit a Rege regum Christo Deo claves Regni caelorum ad aperiendum recte credentibus in eumdem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus haereticis.*

Consona sunt his quae superius ex Stephano Episcopo Dorensi retulimus, & quae hoc loco iterum inculcare non piget: *Annunciemus haec omnia*

om-

Digitized by Google

omnium praepositae Sedi, dico autem summae vestrae & principali ad medicinale consultum universi vulneris: quippe quoniam hoc potestative olim & ab antiquitus facere per Apostolicam sive canonicam consuevit auctoritatem, dum aperta lucubratione non solum claves regni caelorum creditae sunt ei, atque IPSE TANTUMMODO *ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiae credentibus juste claudere magnus secundum veritatem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus, sed etiam & pascere primus jussus est oves Catholicae Ecclesiae, cum Dominus dicit:* Petre amas me? Pasce oves meas.

Itaque duos hic habemus insignes Martyres Maximum & Martinum, & egregii Confessoris ac fidei defensoris Legatum Stephanum Dorensem, qui ex ejus mente se loqui profitetur; qui omnes disertis verbis docent, solum Romanum Pontificem, accepisse in Petro ligandi atque solvendi potestatem & auctoritatem; ac propterea totius Ecclesiae judicium ab ejus judicio pendere, nec quemquam solvere posse quem ipse ligaverit, nec ligare quem non ipse ligandum judicaverit. Hanc doctrinam Academia Parisiensis e suis Scholis eliminavit, Parlamenta e Regno Gallico proscripserunt, & ab utrisque variis notis ac censuris inuritur: eam tamen inclyti Martyres non modo verbis docuerunt, verum & exemplo sanxerunt, & sanguine consecrarunt. Nam idem S. Martinus post damnatum in Synodo Lateranensi Sergium, & proscriptam Heraclii Ecthesim ac Typum Constantis, confirmatamque Pyrrhi & Pauli damnationem, Roma per vim abstractus, & Constantinopolim veluti captivus abductus, quum Imperator extorquere ab eo vellet, ut Ecclesiae Constantinopolitanae Pyrrhoque communicaret, his verbis furentis Principis sacrilegos Ministros adlocutus est (a): *Verumtamen, quid volumus plurima quaerere? Ecce in manibus vestris retinetis me, & quodcumque vultis consummare in me, Deo indulgente, in vestra est potestate. Utique si membratim inciditis carnes meas, sicuti Praefecto jussistis, quum me traderetis, non communico Ecclesiae Constantinopolitanae. Ecce hic sum, examinate me, & tentate, & invenietis experimento gratiam Dei, & fidelium servorum ejus. Interim Tyrrhus in medium venit, qui totiens anathematizatus est & nudatus divino honore.* En membratim incidi vult, quam ut Ecclesiae Constantinopolitanae cui Pyrrhus iterum incubabat, Pyrroque ipsi communicet, postquam eum semel Theodorus ejus Decessor, ipseque in Synodo Lateranensi damnaverat. Eodem Spiritu animatus & S. Maximus Martyr, in simili conflictu quaesitus, an Throno Constantinopolitano communicaret, se non communicare respondit, propterea quod a Romanis damnati essent, qui thronum illum occupabant (b). *Et post totam narrationem dicunt ei:* non communicas throno Constantinopolitano? *Et dixit*: non communico. Quamobrem non communicas? *dixerunt. Respondit*: Quia sancta quatuor Con-

(a) Epist. Anonym. Tom. VII. Concil.
(b) Collat. S. Maximi cum Princip. Ibid.

Digitized by Google

Concilia ejecerunt &c. *Et infra*: „ Illi igitur, qui a se ipsis damnati sunt, „ & a Romanis, atque a Synodo, „ quae post haec per octavam indi„ ctionem facta est, sunt depositi, „ & Sacerdotio denudati, qualia ce„ lebrant rogo mysteria? Antea vero dixerat S. Martyr, doctrinam, quam ipse adversus Monothelitas propugnabat, propriam ejus non esse, sed commune dogma totius Ecclesiae Catholicae. Quum enim ab eo quaereretur: *Dic nobis, Domine Abba, motionem dogmatum, quae inter te & Pyrrhum Romae & in Africa facta est; & quibus ei verbis persuaseris anathematizare proprium dogma, & tuo pacisci*, enarravit eis omnia per ordinem, quaecumque retinere memoria valuit. Addidit autem & hoc dicens: *Ego dogma proprium non habeo, sed commune Catholicae Ecclesiae: neque enim movi vocem quamlibet, ut proprium meum dicatur dogma*. Itaque jam per universam Ecclesiam ea doctrina obtinebat, cujus prae omnibus, & ut Stephanus Dorensis ajebat, *potestative, & per Apostolicam sive Canonicam auctoritatem* vindices erant & adsertores Romani Pontifices, eorumque etiam auctoritate fiebat, ut omnes Catholici a Monothelitis eorumque communione, tamquam ab Haereticis abstinerent.

In eumdem sensum & alii ex diversis Christiani orbis partibus ad Apostolicam Sedem, sedente in ea Theodoro Papa, scripserunt, quorum Synodicae epistolae Secret. II. Concilii Lateranensis relectae sunt. Quid enim his luculentius, quae ad laudatum Pontificem Sergius Cypriorum Metropolita scribebat? *Firmamentum a Deo fixum & immobile, atque tituli seu columnae fidei formam lucidissimam*, ςηλογραφίαν διαφανῆ τῆς πίςεως *vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut Divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiae columnae confirmatae sunt; tibi & claves caelorum commisit, atque ligare & solvere potestative* κατ' ἐξουσίαν, *quae in terra, & quae in caelis sunt promulgavit. Tu profanarum haeresum depositor exsistis, ut princeps*, ὡς κορυφαῖος, *& doctor orthodoxae & immaculatae fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum* (Graece Πατρῶν ὑμῶν nostrorum) *fidem aestuantem, & ab aliquibus haereticis ventis violentatam, nec non periclitantem. Resolve nebulam insipientium lumine tuae Divinae scientiae o sanctissime*. Et infra *Multiloquium autem & contradictionem adversariorum non admittimus, quia parati sumus pro orthodoxa fide, auxiliantibus vobis sanctissimis & orantibus, Martyrium suscipere .... si noluerint hoc facere* (hoc est pravam doctrinam deponere) *Apostolicos vos Patres sequentes, in scripto & sine scripto eos anathematizamus*. Et rursum: *Nam & nos, jubentibus vobis Dominis nostris, & a Deo inspiratis Patribus, percutimus eos anathematibus; & tunc motiones de quaestionibus eorum & certamina faciemus, sperantes in vestram Deo placitam & beatam protectionem ..... sic enim & sanctissimae memoriae Divinus noster Arcadius sapuit, vestram orthodoxam sequens doctrinam: cujus vestigia & nos omni virtute sequi oramus, consonantes orthodoxae & a Deo inspiratae doctrinae* ve-

Digitized by Google

vestrae sanctissimae dominationis atque Paternitatis .... Hi sunt nostri sancti Concilii intellectus .... Vestris Divinae scientiae laetatur dogmatibus, nihil omnino minuens, & cum ea orthodoxa confessione proficisci ad Dominum, & terribili ejus exorat assistere judicio. Poterant ne Cyprii gravioribus ac magnificentioribus verbis exponere quid ipsi de Sedis Apostolicae auctoritate sentirent? Nimirum esse penes Apostolicam Sedem immobilem & indeclinabilem in sanciendis fidei dogmatibus & evertendis erroribus potestatem. Nam si nutare posset Ecclesiae Romanae fides, si haeresibus concuti ac depravari; quomodo, aut quo jure Sedes Apostolica diceretur firmamentum fixum & immobile, & columna lucidissima fidei, & fundamentum super quod ipsae Ecclesiae columnae cofirmatae sunt; ipse autem R. Pontifex haeresum depositor praedicaretur, tanquam orthodoxae & immaculatae fidei princeps, doctor, & coriphaeus? Huic autem fixo & immobili fundamento innixi Adversariorum dogmata secure damnant, pro Ecclesiae Romanae doctrina, quam sine augumento sine diminutione suscipiunt, Martyrium subire parati sunt, ejus demum confessione muniti ad Dominum proficisci desiderant. Potissimum autem notanda verba illa sunt: *Jubentibus vobis Dominis nostris & a Deo inspiratis Patribus, percutimus eos anathematibus; & tunc motiones de quaestionibus eorum & certamina faciemus .... praeposito Deo, & orthodoxa fide.* Quibus verbis irretractabiles esse Sedis Apostolicae de fide sanctiones, aperte significant: Prius enim haereticos jubente Romano Pontifice, damnare parati sunt, ac deinde cum eis in certamen descendere non recusant; ne videlicet suscepta cum haereticis disputatio ex dubitatione procedere videatur. Quum tamen si Romani Pontificis dogmaticas constitutiones retractationi obnoxias judicarent, prius cum haereticis disceptare, ac deinde illos damnare & anathematis configere debuissent.

Non minoris momenti sunt, quae *Domino beatissimo Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri Patrum, Theodoro Papae, & summo omnium Praesulum Pontifici*, scribunt *Columbus primae Sedis Episcopus Concilii Numidiae, & Stephanus primae Sedis Episcopus Concilii Byzaceni, & Reparatus Episcopus primae Sedis Concilii Mauritaniae, & universi Episcopi de tribus Conciliis antedictis Africanae Provinciae*. Ita enim habet communis eorum e tribus praedictis Synodis Epistolae inscriptio; quam iis verbis auspicantur: *Magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis Dei rebus, quae omnino & sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso Praesulum examinari Vertice Apostolico, cujus vetusta solicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae Sedis vestrae fuis-*

fuisset deductum, ut hujus auctoritate juxta quae fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae velut de natali suo fonte praedicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis. Si ex Apostolica Sede prodire possunt, atque ut Adversarii contendunt, aliquando prodierunt noxiae ac veneficae Constitutiones; quomodo apud eamdem Apostolicam Sedem indeficientem manere fontem, unde salubris & incontaminatae doctrinae rivuli per universum fundantur orbem, nullus ambigere potest? Si in Ecclesia Romana fides deficere potest, ejusque doctrina pollui & haeretico fermento contaminari; an non quaeso absurdum est, ut ex omnibus mundi partibus emergentes quaestiones probandae vel improbandae ad Sedem Apostolicam referantur, ut inde velut ex natali fonte sumant ceterae Ecclesiae praedicationis exordium, indeque per universum corpus vena fluat immaculatae fidei & incorruptae puritatis? Quid ergo, si in ipso Capite, si in ipso natali fonte haeretico veneno Apostolicae traditionis unda inficiatur, si terrenae abjectaeque doctrinae caeno contaminetur; an non inde consequens erit, ut vel omnium pariter Ecclesiarum doctrina polluatur, aut aliunde quam ex hoc natali fonte sumere debeant Ecclesiae fidei rivulos & praedicationis exordium, praeter id, quod antiquis regulis fuisse sancitum, Africani Patres testantur? Qui deinde enixe petunt, ut si Paulus regiae Urbis Antistes dissimulaverit a nefanda se novitatis adinventione ad integram reformare orthodoxae fidei praedicationem; *auctoritas*, inquiunt, *almae Sedis vestrae, juxta Patrum sanctiones salubri consilio pertractet a sano corpore separare vulnus insanum, remotoque morbi saevientis flatu, cautius quae sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali contagione spiritali vestri culminis ferramento purgetur*. Quamquam non ignorabant, longe jam lateque grassari per Asiam & Aegyptum haereticam pestem; probeque perspectam habebant Regiae urbis Antistitis dominationem; nec ipsis ignotum erat, Imperialem auctoritatem totis viribus in impiae sectae propagationem incumbere; attamen non opus esse Synodo oecumenica judicant, sed unius Romani Pontificis auctoritate, ut e sano corpore amputetur vulnus insanum, & ab universo grege saevientis mali contagium amoveatur. Quod etiam, ut jam vidimus, persuasum erat & Sergio Cypriorum Metropolitae.

Eadem quoque mens erat Victoris Carthaginensis Episcopi ejusque Synodi, quum haec ad Theodorum Papam scribebant: *Vestrum est itaque, Frater sanctissime canonica discretione ευνήθως solite contrariis Catholicae fidei obviare, nec permittere noviter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim humiles corde, quae recta sunt, adjutore Domino sapientes, uno vinculo caritatis vobiscum sumus constricti, veram fidem ac religionem Catholicam in omnibus fortiter defensantes. Studiosius itaque a Catholicis improbis posse resistere, imminendum est, ne torpore desidiae oppressi, culpae taciturnitatis teneamur obnoxii &c.*

His adjungendus est Maurus Ravennatensis Episcopus, qui quum Concilio

lio Lateranensi adesse non posset, Epistolam misit, in qua inter cetera profitetur; *in his, quae moventur, & contra Patrum Orthodoxorum decreta proponuntur, se non aliter sentire, nisi quomodo sancta*, inquit, *vestra Apostolica doctrina, & orthodoxa tenet Ecclesia: & omnem novitatem repellens atque respuens, non solum Ecthesim, quae a Pyrrho Constantinopolitano Episcopo defendebatur, abjicio; quippe quia ut haeretica de aedibus Constantinopolitanae Ecclesiae est deposita: sed & quae ad ejusdem defensionem noviter conscripta sunt, omni modo nec consentio, nec suscipio, sed cum anathemate repello.*

Denique huc pertinent quae S. Martinus scribit in Epistola e Synodo Lateranensi transmissa ad universas Ecclesias: *Propterea enim ea, quae a nobis pro Catholica Ecclesia Synodaliter gesta sunt, omnibus direximus, ut nostri studii perficientes opus, nos quidem ipsos innoxios esse approbemus coram Deo & electis Angelis, ante quos ab eo judicandi sumus cum eis qui haec a nobis susceperint, in terribili ejus adventu: inexcusabiles autem eos, qui non obediunt, demonstremus, utpote nullam habentes occasionem pro sua perfidia post veritatis ostensionem, Domino dicente:* „ Si non venissem, „ & locutus eis fuissem, peccatum „ non haberent: nunc autem excusa„ tionem non habent de peccato suo. *Sed & Apostolus iterum perhibet ....* „ Voluntarie enim peccantibus nobis „ post acceptam notitiam veritatis, „ jam non relinquitur hostia pro pec„ catis: terribilis autem quaedam „ exspectatio judicii, & ignis aemu„ latio, quae consumtura est adver„ sarios. Ergo post Apostolici decreti promulgationem evadit statim inexcusabilis error, & parendi necessitas omnibus incumbit fidelibus, & contumaces ac rebelles terribile manet judicium, & ignis inextinguibilis aemulatio. Haec Martinus cum universa Lateranensi Synodo docuit & gloriosa deinde confessione firmavit; haec ejus decessores Severinus, Johannes IV. & Theodorus; haec Maurus Ravennatensis in Italia; haec Sergius & Arcadius in Cypro; haec Sophronius & Episcopus Dorensis in Oriente; haec denique universae Africae Episcopi; quibus non venit in mentem, post Apostolicae Sedis solennem definitionem, adhuc opus esse Synodo oecumenica, ut omnino inexcusabilis & irretractabilis esset Monothelitarum damnatio.

Haec ipsa, quae in praesenti articulo adtuli monumenta, etiam paucis attigit in hoc Capite Illustrissimus Bossuetius: „ Sancti Martini, *inquit*, La„ teranense Concilium celeberrimum „ fuit legatione Africanarum, multa„ rumque Orientalium Ecclesiarum in „ eamdem fidem consentientium: ac„ cesserunt ducentorum fere Episcopo„ rum, una cum ipso judicantium, „ subscriptiones: denique missa San„ ctae Synodi ad omnes Christi fide„ les toto terrarum orbe Encyclica E„ pistola: tum illud maximum, a „ Sancto Pontifice pro ea definitione „ multa perpesso, fidem orthodoxam „ etiam martyrio consignatam.

Quis ergo judicet, fidem, quam tot Pontifices, tot per universum orbem Episcopi, tot jam Synodi confirmaverant; & non modo S. Martinus, sed & alii Confessores martyrio suo con-

consignaverant, adhuc adeptam non esse immobilem & irretractabilem firmitatem, sed opus adhuc fuisse ut ad legitimum Synodi oecumenicae examen revocaretur?

Ita est, subjungit Illustrissimus Bossuetius: ,, Post eam tamen, *inquit*, ,, definitionem toto Oriente commoto ,, per Imperatores, atque Patriarchis ,, Constantinopolitanis haeresim praedicantibus, Macario quoque Antiocheno Patriarcha in partes transeunte; necesse visum est sub Sancto Dono Papa, eoque mortuo, sub ,, Sancto Agathone, Synodum Oecumenicam sextam haberi Constantinopoli a Constantino Pogonato Imperatore convocatam.

Ut haec Meldensis Episcopi verba intelligantur, prae oculis habere oportet, quod supra ab eo de Chalcedonensibus Patribus observatum est, quod nempe *vere & proprie rem examinabant ut nondum exploratam*; reprehensos autem ab eo fuisse, qui docent, *examen illud*, quod a Synodis Oecumenicis instituitur, *non ex dubitatione, sed ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem pertinere*. Ergo post triginta & amplius annos a magna illa Synodo Lateranensi, post quadraginta & amplius a prima Monotheliticae Sectae sub Severino vel Johanne IV. Synodica damnatione; post quadraginta sex a Pseudo Synodo Alexandrina sub Cyro Patriarcha, cui statim a Sancto Sophronio contradictum est; Denique sexaginta fere post annos, ex quo prima jacta sunt nefariae doctrinae semina; adhuc Synodo Oecumenica opus erat, quae vere & proprie rem examinaret ut nondum satis exploratam, eoque genere examinis, quod non ad ampliorem jam notae & creditae veritatis elucidationem pertineret, sed ex dubitatione procederet, & quo demum adhibito, *jam nullus dubitationi aut disputationi locus* superesset. Id quidem ex Bossuetii doctrina consequens est; alia tamen, ut mox videbimus, Agathonis Papae & totius Occidentalis Synodi mens erat atque sententia.

ARTICULUS II.

Sanctus Agatho, & Synodus Occidentalis dogma de duabus voluntatibus & operationibus ut certam & inviolabilem Catholicae fidei veritatem Imperatori ac sextae Synodo proponunt.

SAnctus Agatho Papa post expositum in Epistola sua ad Constantinum Pogonatum & ad Tiberium Imperatores de duabus in Christo voluntatibus & operationibus Catholicum dogma, haec subjungit, quibus manifeste demonstrat, hanc esse certam & inconcussam, irretractabilem & irreformabilem totius Ecclesiae Catholicae fidem atque doctrinam: *Haec est*, inquit, *Apostolica atque Evangelica traditio, quam tenet spiritalis vestri felicissimi Imperii mater Apostolica Christi Ecclesia. Haec est mera confessio pietatis. Haec est Christianae Religionis vera atque immaculata professio, quam non humana adinvenit versutia, sed Spiritus Sanctus per Apostolorum Principes docuit. Haec est firma & irreprehensibilis Sanctorum Apostolorum doctrina .... Haec est Apostolorum Christi viva traditio, quam ubique ejus tenet Ecclesia,*

quae

quae praecipue diligenda atque fovenda, & fiducialiter praedicanda est, quae per veridicam confessionem Deo conciliat.

Quin & disertis verbis doctrinam a se expositam *purae & evangelicae confessionis regulam* vocat; *integram orthodoxae fidei rectitudinem*; *traditionis formulam a beato Petro Apostolo acceptam*; *Regulam veritatis*; *irreprehensibilem Apostolici dogmatis regulam*: *Regulam veritatis orthodoxae atque Apostolicae nostrae fidei*; *Apostolicam atque Evangelicam rectae fidei regulam*: quam Constantinopolitanus Antistes integram & inviolatam amplecti debet, si cum Sede Apostolica pacem & communionem inire vult, fratrisque loco censeri. *Sin autem* (*quod porro*, inquit, *longe sit*) *novitatem nuper ab aliis introductam amplecti maluerit, & alienis a regula veritatis orthodoxae atque Apostolicae nostrae fidei sese irretire doctrinis..... ipse noverit, quid de tali contemtu in divino Christi examine satisfaciet &c. Nobisque (quod suppliciter exoro) liceat, Apostolicam atque Evangelicam rectae fidei regulam, ut ab exordio percepimus, inconfuse & libere, cum simplici puritate integram atque illibatam servare.*

Porro tam longe aberat, ut hanc eamdem fidem atque doctrinam Synodi judicio permitteret, eamque retractari ac reformari sineret, ut suis ad Synodum Legatis nullam prorsus hac de re facultatem dederit, ut sequentibus verbis aperte ipse Pontifex luculenterque testatur: *Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicae Sedis, ut a Praedecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare.*

Nec tamen ipse Pontifex renuebat, ut haec ipsa Apostolicae Sedis doctrina, quam omnino irreformabilem esse pronunciat, cum veterum Patrum testimoniis conferretur; imo ipse varia ejusmodi testimonia huic Epistolae adnectit, excerptaque plura cum ipsis eorum libris Legatis se se tradidisse, Imperatori & Synodo ostendenda, eodem loco significat: *Quibus portitoribus & testimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos haec Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut facultatem suggerendi a benignissimo vestrae Christianitatis Imperio consecuti, ex his dumtaxat satisfacere studeant, dum Imperialis mansuetudo praeceperit, quid haec spiritalis Mater eorum, ac a Deo propagati Imperii, Apostolica Christi Ecclesia credat & praedicet.* Hanc, inquam, collationem in Concilio fieri, Pontifex non refugiebat; non quidem ut ad eorum instar fides Apostolicae Sedis reformaretur, sed ut iis, qui de hac re in Oriente adhuc ambigebant, aut pertinaciter altercabantur, hoc pacto manifeste constaret, quam esset illa irretractabilis prorsus & irreformabilis.

Eadem, nec minus luculenter exposita, in alia ejusdem Agathonis & Occidentalis Synodi Epistola continentur. Imprimis enim pluribus Patres declarant, quam nullo pacto transgredi liceat terminos fidei auctoritate Apostolica constitutos: *In hoc enim*, inquiunt, *tam Apostolicae Sedis, quam-*

quae nostri exigui famulatus Praedecessores, usque adbuc non sine periculis desudarunt, nunc decretali commonitione cum Apostolicis Pontificibus consulentes, nunc Synodali definitione, quae veritatis regula continebat, omnibus innotescentes : ET SEMPITERNOS TERMINOS, QUOS TRANSGREDI NEFAS EST, *usque ad animae ipsius exitum constanter defendentes; non seducti blanditiis, non periculis territi &c.* Et infra : *Haec est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicae atque Apostolicae fidei, quos usque adbuc Apostolica Sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis custodia conservemus : Credentes in Deum Patrem &c.* Huic fidei confessioni adjungunt & articulum de duabus in Christo operationibus & voluntatibus, quem credere ac tenere, *pietatis*, inquiunt, *nos regula instruit : quia hoc nos Apostolica atque Evangelica traditio, sanctorumque Patrum magisterium, quos sancta Apostolica atque Catholica Ecclesia, & venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstratur ..... Hoc enim credimus quod per traditionem Apostolicam accepimus, cujus auctoritatem in omnibus sequimur ..... Hanc igitur merae Catholicae atque Apostolicae confessionis regulam, & sanctum Concilium, quod in hanc Romanam Urbem ..... sub Apostolicae memoriae Martino Papa convenit, praedicasse Synodicae, ac constanter defendisse, omnes nos, quisquis ubique est, humillimi Ecclesiarum Christi Antistites cognoscimus : in qua & nostrae parvitatis Praedecessores convenientes, Apostolicam confessionem, quam a principio perceperunt, etiam Synodali praeconio praedicarunt, & absque cujuspiam novitatis errore citra ambiguitatem determinarunt*. Denique quemadmodum Sanctus Leo ad Synodum Chalcedonensem, ita ipsi ad hanc sextam Synodum Legatos mittunt, non qui de fide disputent, aut quae definita sunt retractent; sed qui fidei definitionem adferant penitus irretractabilem & immutabilem, & quatenus opus sit, Imperiali etiam auctoritate omnibus praedicandam : *Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ..... quae omnium nostrum, id est, universorum per Septemtrionales vel Occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua & Apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, offerre debeant; non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre : suppliciter obsecrantes, ut a Deo coronato vestro Imperio favente, haec eadem omnibus praedicari, atque apud omnes vim obtinere jubeatis*.

Quis ergo inquies futurus erat Synodi oecumenicae fructus, si fides ab Apostolica Sede semel sancita, amplius retractari, ac si opus fuisset, ejus auctoritate reformari non poterat? Id statim sequentibus verbis iidem Patres exponunt : *Pietatis itaque zelo, atque amore verae Apostolicae confessionis, vestrae Serenitatis benignitas mota, amplius declarare eam, ut regali fomite multo magis fulgeat, elaborare procuret : cujus votum, quia ex Deo est, a Deo perficitur*. Quae certe ex eorum sententia non alio pertinere, quam ad ampliorem jam notae & creditae veritatis manifestationem, nemo ut puto, sanus negaverit : *Ut & veritas adhuc in ancipiti positis clareat, & eam sinceriter amplectentibus robur accres-*

Digitized by Google

crescat. Quod ergo sinebant dogma jure suo prorsus irretractabile in Synodo examinari, & cum veterum Patrum doctrina conferri, ex indulgentia erat, qua se se infirmis adtemperabant; ut hominibus ab Apostolica Sede segregibus, ejusque contemnentibus auctoritatem, hac saltem via consuleretur. Denique, ut *& zizaniorum genimina spirituali falce, ut offensionis ac deceptionis occasio, de medio Christi Ecclesiarum tollatur, abscindantur*; id est, ut in errore & schismate pertinaces ab Ecclesiae communione etiam Oecumenicae Synodi auctoritate pellantur, ac nomina eorum, qui totius scandali auctores fuerant, eorumque Symmystarum e sacris Ecclesiae diptychis expungantur.

Ceterum quod ad ipsosOccidentales pertinet, quo jam loco illos haberent, qui non hanc fidei Catholicae confessionem in nullo prorsus apice reformatam admitterent, sequentia ipsorum verba declarant: *Quicumque proinde Sacerdotum haec, quae in hac nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderant, ut nostrae Apostolicae fidei concordes, ut Consacerdotes, ut Comministros ejusdem fidei, & (ut simpliciter dicamus) ut spiritales fratres, & Coepiscopos nostros suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint, ut infestos Catholicae atque Apostolicae confessioni, perpetuae condemnationis reos esse censemus: nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio, nisi correctos suscipere patimur. Nec transgredi nos quisquam eorum arbitretur quod a Praedecessoribus nostris percepimus*.

Haec adeo clara & perspicua sunt, ut ipse Meldensis Episcopus fateri cogatur, quod „ Agatho & Occidentales ita sua dogmata proferebant, „ ut qui vellent de iis, non tamquam „ de incertis contendere; sed ut certa atque immutabilia compendiosa „ definitione proferre. Profecto ergo quantum in ipsis erat, rem definiebant. Quaerebatur, an reliquae „ per orbem terrarum Ecclesiae consentirent, nec nisi Episcopali exami„ ne res tanta constitit. Ut ex superius adlatis testimoniis apertissime constat, nemo ex Occidentalibus ambigebat, quin omnes Ecclesiae, quae Catholico nomine gloriabantur,in unam eamdemque cum Sede Apostolica fidem atque doctrinam consentirent; & has dumtaxat in suam communionem recipiebant. Quare nihil magis absonum & absurdum dici potest, quam ideo habitum fuisse Concilium & Episcopale examen, ut quaereretur, an reliquae per orbem terrarum Ecclesiae consentirent, atque ut de re tanta constaret.

ARTICULUS III.

S. Agathonis Epistola tanquam certissima, & divinitus inspirata, & ipsius Petri veluti ore prolata, fidei Catholicae regula ab oecumenica Synodo suscepta est.

Haec Thesis probatur 1. ex subscriptionibus Episcoporum, qui, paucis exceptis, de quibus infra disseremus, ita se credere profitentur, quemadmodum habent litterae, quemadmodum continent suggestiones ab Agathone ad Imperatorem directae, illasque se se recipere, sequi, ac sectari pure ac simpliciter protestantur. Alius enim inquit: *Suscipio, & sequor di-*

rectas

rectas suggestiones ab Agathone ..... & sic credo, & sic profiteor &c. Alius: *Audiens suggestiones Agathonis Sanctissimi Papae Romae, ita credo, & harum virtutem sequor, & credo, & sic profiteor &c.* Alius: *Audiens suggestiones &c. credo sicut credit ipse Pater noster Agatho &c.* Alius: *Ita Domine profiteor, & sic credo, quemadmodum habent suggestiones &c.* Alius: *Sic confiteor, & sic credo secundum virtutem suggestionum directarum ab Agathone &c.* Alius: *Profiteor, & ita credo duas naturas, & duas operationes &c. super his autem sequor & suggestiones directas ab Agathone &c.* Alius: *Secundum virtutem relectarum suggestionum sanctissimi Papae Romanae Urbis, sic credo, & confiteor ..... duas naturales voluntates, & duas naturales operationes.* Potissimum autem notanda est subscriptio Domitii Episcopi Prusiados, quae sic habet: *Suggestiones directas a Patre nostro Agathone .... ad .... Imperatorem tanquam ex Spiritu Sancto dictatas per os sancti ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito praedicti ter beatissimi Papae Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio &c.* Huic re ipsa concinit & haec Sergii Episcopi Selymbriae subscriptio: *Sequor suggestiones Patris nostri Agathonis sanctissimi Papae Romae, & ita suscipio & amplector eas tanquam Epistolas sanctae memoriae Leonis praedecessoris ejus beatitudinis; & profiteor &c.* Nemo autem nescit, S. Leonis Epistolam habitam fuisse tanquam fidei titulum & columnam, & certissimam regulam, perinde ac Petrus ipse & Spiritus-Sanctus per os Leonis locuti essent. Denique *surgentes ceteri omnes Deo amabiles Episcopi, qui sub Sedem Constantinopolitanam fuerant, exclamaverunt dicentes: Et nos piissime Domine notionem accipientes suggestionis directae ad mansuetissimam vestram fortitudinem ab Agathone sanctissimo ac beatissimo Papa antiquae Romae, & alterius suggestionis, quae facta est a subjacente ei Concilio, & sequentes sensum, qui in ea continetur, sic sapimus, & profitemur, & credimus &c.*

Probatur 2. ex eadem sexta Synodo in Prosphonetico ad Imperatorem Act. XVIII. *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: Illius enim imitatorem & Sedis Successorem habuimus fautorem, & divini sacramenti Mysterium illustrantem per literas: Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit: charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.*

Probatur 3. ex litteris ejusdem sacrae Synodi ad Agathonem, quae ita auspicantur: *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis, ut scitis, beatissimi: atque idcirco Christus verus Deus noster, virtus vere rerum omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hareticae luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiae, ac valetudinis robur membris Ecclesiae largientem. Itaque tibi, ut primae Sedis Antistiti & universalis Ecclesiae, stanti super firmam fidei petram, quid agendum sit, relinquimus; perlectis verae confessionis literis a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas ut a Summo*

Apo-

Digitized by Google

Apostolorum Vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus.

Probatur 4. ex litteris Imperatoris ad S. Leonem II. Agathonis successorem: *Quum protinus suggestionem Sancti Papae Agathonis ad potestatem nostram ii, qui vice ejus fungebantur, obtulissent ..... eam Serenitati nostrae porrexerunt, quam quum jussissemus omnibus audientibus recitari, sanae nec adulteratae fidei characterem in ea perspeximus ..... ac veluti ipsum Principem Apostolici Chori, primaeque Cathedrae Antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, verbaque haec per eas literas Christo facientem:* Tu es Christus filius Dei vivi: *Nam ipsum totum Christum sacrae ejus literae differendo exprimebant; quas omnes libentibus animis sincereque accepimus, & veluti Petrum ipsum ulnis animi suscepimus.*

Probatur 5. ex litteris ejusdem Imperatoris ad Synodum Episcoporum Occidentalium, quos ait Imperator & partem ipsius Oecumenici Concilii fuisse: *Interfuistis namque & vos*, inquit, *cum universali Principe Pastorum, simul cum ipso divinitus loquentes tam in spiritu, quam in litera: Suscepimus enim non tantum ex beatitudine ejus, verum etiam a Sanctitudine vestra directas nobis literas, quae prolatae, lectae sunt, & veritatis verum stylum declaraverunt, orthodoxamque fidem depinxerunt ..... Idcirco & omnes consonanter mente & lingua concredidimus, & similiter confessi sumus: & tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis Relationem supermirati sumus: nemo enim discrepavit, nisi unus.* Scilicet Macarius Antiochenus in ipsa Synodo propterea depositus.

Denique probatur ex Leone II. in Epistola ad eumdem Imperatorem, qua editam a sexta Synodo fidei definitionem confirmat: *Hanc igitur rectae atque Apostolicae traditionis normam praedecessor meus Agatho, Apostolicae memoriae Papa, cum sua Synodo praedicavit: Hanc scriptis percurrentibus suae suggestionis pagina vestrae pietati per suos Legatos emisit; approbans & confirmans testimoniis Sanctorum ac probabilium Ecclesiae Doctorum; quam sancta nunc & magna Synodus, Domini & vestro favore celebrata, suscepit & in omnibus nobiscum amplexa est, utpote Beati Petri Apostolorum Principis sinceram doctrinam in ea agnoscens, & immutilatae pietatis in hac signa contrectans.* In quibus omnibus testimoniis claris disertisque verbis traditur ac docetur, quod probare institueram; nempe Agathonis Epistolam tanquam certissimam, ac divinitus inspiratam, atque ipsius Petri veluti ore prolatam, fidei regulam ab Oecumenica Synodo fuisse susceptam.

Observat tamen Bossuetius, illudque singulis fere hujusce libri paginis objectum, hic pariter ingerit & inculcat; nimirum in iis litteris suscipiendis „ servatam esse firmam & ubique „ constantem in deliberandi ordine ac „ ritu sanctarum Synodorum tradi- „ tionem. Quo enim ritu & ordine „ S. Cyrilli & S. Leonis Epistolae in „ tertia & quarta Synodis; eodem or- „ dine rituque S. Agathonis in Syno- „ do sexta probantur Epistolae: *Paulus*

„ *ma-*

„ *magnificus a Secretis dixit: Dicat*
„ *Georgius Archiepiscopus hujus Re-*
„ *giae urbis, & qui cum eo &c. si*
„ *convenit sensui suggestionum directa-*
„ *rum ab Agathone sanctissimo Papa,*
„ *& sua Synodo. Georgius dixit. In-*
„ *spiciens omnem virtutem*, [id est,
„ significationem ac vim] *earum lite-*
„ *rarum, & scrutans libros Sancto-*
„ *rum probabilium Patrum; cuncta*
„ *quae continent inveni consonantia*
„ *eis; & sic profiteor, & credo*. Alii:
„ *Inveni in nullo eas a Sanctis Patri-*
„ *bus discrepare, & consentio*. In
„ eum sensum omnes sigillatim di-
„ cunt, nec nisi eo examine proba-
„ tae Epistolae S. Agathonis & Sy-
„ nodi totius Occidentalis.

Haec objectio, quae toties confutata est, nullo exemplo evidentius demonstrari potest, quam futilis nulliusque momenti sit, quam quod haec ipsa sexta Synodus suppetit. Nam primo Constantinus ipse Imperator in Edicto pro sexta Synodo fidei definitionem ab ipso Concilio editam amplectitur ac probat ut Apostolicis Evangelicisque sanctionibus, ac praecedentibus Synodis universalibus consonam: *Sanctum Concilium ..... definitionem a Deo institutam, & sanctas Dei Ecclesias in unitate congregantem constituit; Evangelicas quidem & Apostolicas consequentem sanctiones, sanctis autem & universalibus quinque Conciliis consonantem. Idcirco & nos quae ab eis definita sunt, corroborare atque firmare cupientes, praesens pium Edictum edidimus &c.* An igitur Oecumenicae Synodi definitionem vi sua valere, & irreformabilem esse negabat Imperator, quum eam tanquam praecedentium Synodorum sanctionibus consonam amplectebatur, suoque Imperiali edicto corroborabat?

Deinde, si hoc argumento probatur, Pontificum Romanorum de fide sanctiones irretractabiles & irreformabiles non esse, antequam a Synodis Oecumenicis examinentur, & examinatae approbentur; eodem pariter demonstrabitur, nec editas a Conciliis generalibus fidei definitiones irretractabilem & irreformabilem consequi auctoritatem, antequam a Romano Pontifice discutiantur & confirmentur. Nam Leo II. in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem diserte scribit, omnia se se sextae Synodi acta recensuisse: ideo autem illa probare, & Beati Petri Apostoli auctoritate confirmare, quoniam ea repererat Sedis Apostolicae doctrinae, & Agathonis Epistolae consentire: *Igitur gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula quaeque gesta sunt flagitantes, eadem quae Apostolicae Sedis Legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim, quod sancta, & universalis, & magna sexta Synodus ..... eadem, quae & universum Concilium assidens huic sanctae Sedi Apostolicae, cujus ministerio fungimur, senserit atque decreverit sub orthodoxae fidei integritate regulisque majorum, atque concorditer nobiscum confessa est, unum esse &c. Per quae revera probavimus, hanc sanctam & laudabilem atque praedicabilem sextam Synodum, per misericordiam Dei, qui Christianae fidei veritatem suis fidelibus reserat, Apostolicam praedicationem inoffenso pede fuisse secutam, sanctorumque & universalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus consentientem; nihil*

super

Digitized by Google

super statuta orthodoxae fidei augentem, aut minuentem, sed regiam & Evangelicam semitam rectissime gradientem; & in his atque per eos sacrorum dogmatum lima, & probabilium Catholicae Christi Ecclesiae Patrum doctrina servata est, & regularis lima ad omnium aedificationem prolata ..... Hanc igitur rectae atque Apostolicae traditionis normam praedecessor meus Agatho cum sua Synodo praedicavit ..... quam sancta nunc & magna Synodus, Domini & vestro favore celebrata suscepit, & in omnibus nobiscum amplexa est ..... Et quia definitionem rectae fidei, ut dictum est, plenissime praedicavit, quam & Apostolica Sedes Beati Petri Apostoli (cujus licet impares ministerio fungimur) veneranter suscepit; idcirco & nos, & per nostrum officium haec veneranda Sedes Apostolica concorditer ac unanimiter his quae definita sunt ab ea consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat. His verbis Leo II. omnem se se gestorum Synodalium seriem recensuisse, eaque probasse & confirmasse testatur, quoniam curiosa adhibita diligentia, consona ea repererat praecedentium Conciliorum fidei, & quoniam in iis concinnandis sequuta fuerat Oecumenica Synodus Concilii Romani decreta, & Agathonis Epistolam: Ergo edita ab Oecumenica Synodo fidei definitio irretractabilis non erat, antequam a Romano Pontifice diligenti adhibito examine confirmaretur. Si negant Adversarii ejusmodi consecutionem; quo pacto & ipsi tueri poterunt palmare hoc argumentum, quo probare contendunt, retractationi obnoxias esse Romanorum Pontificum dogmaticas Constitutiones, quoniam in Oecumenicis Conciliis relectae sunt, nec ante probatae aut subscriptae, quam Patribus constaret, eas cum praecedentium Conciliorum decretis fideique sanctionibus consentire?

Porro & illud ex praecedentibus S. Leonis verbis elicitur, Synodi Romanae decreta & S. Agathonis Epistolam habita ab eo fuisse tanquam certissimam & immobilem firmamque regulam, ad quam sextae Synodi definitionem exigeret. Inde enim se se probasse docet, Catholicam esse & orthodoxam laudatae Synodi definitionem, quoniam inoffenso pede sequuta fuerat Apostolicam praedicationem, seu Apostolicae traditionis *normam*, quam decessor ejus Agatho cum sua Synodo praedicaverat; nihil ex ea minuens, nihil augens, sed eam per omnia suscipiens & amplectens, tanquam ipsius Principis Apostolorum aut ore prolatam, aut calamo exaratam. Id vero qui negat satis esse, ut a Sexta Synodo Agathonis Epistola pro fidei regula haberetur; negare quoque debebit, & praecedentium quinque Conciliorum definitiones, aut constantem veterum Patrum traditionem pro fidei regulis habitas fuisse, quoniam ad illam perinde atque ad istas exacta est edita a sexta Synodo Catholici dogmatis definitio.

Nec modo Romanus Pontifex, verum & ipsa Oecumenica Synodus perspicuis verbis fatetur, Agathonis & Synodi Romanae decretis perinde se se ac praecedentium Conciliorum sanctionibes adhaesisse: Ita enim ait in Prosphonetico ad Imperatorem: *Proinde inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes atque consentientes, & Agathonis*

sanctissimi Patris nostri & Summi Papae dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctae, quae sub eo est, Synodi CXXXV. Patrum concordantes, unum &c. Et infra, suorum decretorum aequitatem ac rectitudinem hac ratione Patres tuentur, quod ipsi Agathonis, Agatho vero paternas & Apostolicas traditiones secutus fuerat: *Et ne forte quidam reprehendant seu Sanctissimi Papae divinam aemulationem, sive praesentem Angelicum conventum: Nos enim illius, & ante nos & nobiscum ille Apostolicas & paternas traditiones sumus secuti.* Et in Epistola ad Agathonem, ipsius se se doctrina & auctoritate Patres profitentur, infaustam haeresim profligasse: *Literas a vestra Beatitudine ad Imperatorem missas, ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus.* Et infra: *Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus, rectissimam orthodoxiae semitam complanantes.* Denique Imperator ipse in Epistola ad Agathonem gloriam prostratae impietatis & erectae fidei ad Sedem Apostolicam refert, super quam veluti firmam Petram Ecclesiam Christus aedificaverit nullis depravandam haereticorum insidiis; & ex qua velut e caelorum convexis Agathonis Epistola tamquam caelestis quaedam lux ac divinus ignis effulserit: *Gloria Deo, qui gloriosa facit, & fidem apud nos integram conservavit. Quomodo enim id factum non erat in ea Petra, super quam ipse Ecclesiam fundavit, ac praedixit, nunquam fore, ut portae inferi, hoc est, haereticae insidiae adversus eam praevalerent? A qua tanquam e caelorum convexis verae confessionis sermo effulsit, animas diligentium Christum illustravit, suscitavitque refrigeratam orthodoxiam.* Quibus omnibus, si quae superius adlata sunt, adjiciantur, manifeste constabit, sextam oecumenicam Synodum, Agathonis Epistolam veluti caelitus ac divinitus inspiratam, & Principis Apostolorum ore pronunciatam, subindeque tanquam certissimam & immobilem fidei regulam suscepisse. Qua in re, ut Agatho ipse docuerat, nihil ab hac Synodo praestitum est, quod non aeque & reliquae Oecumenicae Synodi jam praestiterant; quae omnes in Romanis Pontificibus, eorumque de fide decretis, Apostolorum omnium Principis auctoritatem, ejusque doctrinam veneratae sunt, eam in omnibus amplectentes eique indivulse ac fideliter adhaerentes: *Petrus spiritales oves Ecclesiae ab ipso Redemtore omnium trina commendatione pascendas suscepit: Cujus adnitente praesidio, haec Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: Cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt.* Cujus testimonii vis, quam Bossuetius infringere ac labefactare conatur, adserenda hic esset ac vindicanda. Verum id commodius ad XXVII. Caput praestabimus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

„ Sextae Synodi in Honorium dicta „ sententia : Ejus sententiae frequens repetitio : Cur Synodus „ eum damnatum voluerit, quem „ Romani Pontifices excusare vi- „ deantur.

CAPUT XXVI.

„ Actio falsi intentata Synodalibus „ gestis, ac duabus Leonis II. E- „ pistolis temeraria & absurda : re- „ pugnantibus omnibus scriptoribus „ actisque publicis.

IN his duobus Capitibus nihil habeo quod adjungam Eruditorum hoc de argumento disputationibus ; quorum hodie vix est , qui Honorium in sexta Synodo reapse damnatum fuisse neget ; aut sextae Synodi acta , aliaque vetera monumenta adulterata fuisse contendat. Quo pacto autem dicta in Honorium damnatio cum Sedis Apostolicae inerrantia , & suprema , quam tuemur , auctoritate conciliari valeat, dictum jam nobis superius est, ac videri possunt cum Garnerius in Appendice ad Observationes in lib. Diurn. Rom. Pont. tum Baluzius in vita Petri de Marca : quorum observationibus unam hic & alteram adjicimus.

1. Nihil valituram pronunciatam a sexta Synodo in Honorium damnationem, nisi eam Leo II. comprobasset.

2. Eatenus reapse valuisse aut valere dictam in Honorium sententiam , quatenus eam laudatus Pontifex comprobavit.

Quod pertinet ad primum , manifeste id constat ex iis , quae superius de tribus Capitulis ac potissimum de Ibae Epistola disputavimus. Non enim plus valet Conciliorum generalium auctoritas in damnandis quam in absolvendis aliorum scriptis : Ostendimus autem citato loco , variisque testimoniis ac potissimum Pelagii II. in Epistola ad Episcopos Istriae probavimus, nullius momenti habitum iri datam a Synodo Chalcedonensi Epistolae Ibae absolutionem , si eam reapse innoxiam declarasset , quoniam ad solum fidei negotium Legatorum auctoritatem , & gestorum Synodalium adprobationem S. Leo coërcuerat . Id vero & S. Agatho caverat, quum suos Legatos ad Synodum destinaverat : *Licentiam proinde eis , sive auctoritatem dedimus .... simpliciter satisfaciendi , in quantum eis dumtaxat injunctum est ; ut nihil profecto praesumant augere , minuere , vel mutare &c.* Porro de Honorii damnatione nihil Agatho Legatis injunxerat ; imo eum potius , ut etiam Bossuetius observat , excusare videbatur . Itaque juxta traditam regulam , nihil valitura erat in eum dicta damnatio , nisi eam Sedes Apostolica comprobasset.

Alterum autem propterea monendum censui, quoniam si sextae Synodi verba pressius accipiantur ; Honorii Epistolas velut haereticas , & Honorium ipsum tamquam haereticum damnasse videri potest. Quod quamquam hodie viri eruditi negent , alioque Synodi verba detorqueant , ut videre est apud laudatum Garnerium ; attamen Actione XVI. expresse habetur , *Honorio haeretico anathema* . Id vero nimium esse , nemo sanus ne-

Digitized by Google

gaverit. Quare ejusmodi sententia ex Leonis Epistola & verbis intelligenda & temperanda, seu mitiganda est: ut nimirum propterea damnatus intelligatur, quoniam, ut ipse Leo ad Episcopos Hispaniae scribit, *flammam haeretici dogmatis, non ut decuit, Apostolica auctoritate incipientem exstinxit, sed negligendo confovit.*

CAPUT XXVII.

„ Potissimum argumentum falsitatis
„ ex Agathonis epistola ductum:
„ quam vanum illud sit: Agatho &
„ Leo II. inter se componuntur:
„ Etsi Honorius de fide prava do-
„ cuerit, haud minus Ecclesiae
„ Romanae permanere inconcus-
„ sam fidem.

QUae etiam hoc Capite Bossuetius differit, in Bellarmini quidem opinionem aliquid momenti habent negantis damnatum a sexta Synodo Honorium, ejusque damnationem a Leone II. confirmatam; nostrum autem systema qui utrumque fatemur & admittimus, nihil prorsus adtingunt. Nos enim ex Agathonis verbis mox referendis nequaquam probare nitimur, Honorio in sexta Synodo non fuisse dictum anathema; quae Bellarmini mens est & conatus: sed, quod nec ipse Meldensis Episcopus hoc loco aperte negare audet, adsertam Apostolicae Sedi ab Agathone in definiendis fidei dogmatibus indeficientem & indeclinabilem auctoritatem; unde & illud consequens esse contendimus, Romanos Pontifices quum *ex Cathedra* pronunciant, in fide errare non posse.

ARTICULUS UNICUS.

Sancti Agathonis testimonium expenditur; indeque adseritur Sedis Apostolicae inerrantia; cum eaque conjunctam esse demonstramus indeficientem Romani Pontificis ex Cathedra pronunciantis auctoritatem.

SAnctus Agatho Papa in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem haec de sua Sede *praeclare*, ut ipse ait Bossuetius, ac *magnifice, & vere* scripsit; quod nempe Beati Petri *annitente praesidio nunquam a via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt; omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiae Christi luminaria claruerunt: & sancti quidem Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; haeretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti.* Et infra: *Haec est enim verae fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter, θερμῶς, tenuit ac defendit haec spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitatio-*

tio-

Digitized by Google

sionem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: ..... Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit.*

Qui his verbis negant Sedis Apostolicae inviolabilem in retinenda praedicandaque fide constantiam praedicari; dicant quaeso quibus hoc ejusdem Sedis privilegium verbis efferri velint. Quid enim volumus, aut quid aliud contendimus, quum Sedi Apostolicae in fide Catholica, in fidei dogmatibus adserimus inerrantiam, nisi quod totidem verbis perspicue ac luculenter laudatus Pontifex docet? nempe, quod nunquam Sedes Apostolica a via veritatis in quamlibet erroris partem deflexa est: Quod ejus auctoritatem velut ipsius Principis Apostolorum, semper omnis Catholica Ecclesia, omnes Oecumenicae Synodi, omnes Venerabiles Patres, omnes sancti & orthodoxi Doctores venerati, secuti, & amplexi sunt; soli autem Haeretici variis eam criminationibus lacessere adgressi sunt: Quod eadem Apostolica Ecclesia & in prosperis & in adversis, hoc est, semper fidei regulam retinuit, strenueque defendit: Quod nullo argumento, nullo exemplo probari ac demonstrari potest, eam aliquando ab Apostolicae traditionis tramite deviasse: Quod ut ab exordio fidei Christianae ab Apostolorum Christi Principibus instituta est, eadem hactenus illibata & inviolata permansit, & adhuc permanet: Denique, quod ejusmodi praerogativae ac dotes eidem Sedi Apostolicae ex divina ipsius Christi pollicitatione conveniunt, qua se orasse pro Petro testatus est, ut non deficeret fides ejus. Proindeque quemadmodum deficere non potest Divini Verbi promissio, ita nec Petri, nec Sedis Apostolicae fides. Haec, ut dixi, & ex adlato ipsius testimonio constat, totidem verbis docuit Agatho; haec & nihil amplius post Agathonem & nos docemus, quum Sedi Apostolicae in his, quae ad fidem pertinent, vindicamus & adserimus inerrantiam. Igitur quod Sanctus Agatho praedicavit, & quod sexta oecumenica Synodus, Agathonis suscipiendo Epistolam adprobavit, id nos hodie tuemur ac propugnamus.

Respondet Bossuetius: „ Dictum „ Agathonis non ad strictos apices exi„ gendum, sed civiliter intelligendum „ esse; & *semper* ideo dictum, quod „ plerumque id factum sit; quod unius „ culpa Pontificis aliorum opera sar„ ciatur, nihilque detrimenti patiatur „ fides. Solemus enim homines ma„ gna & illustria, & consueta secta„ ri; quod rarum fuerit, & statim „ mutatum, nulla rerum conversione „ memorabili, nec factum cogitamus. „ Ita quidquid ab Honorio peccatum „ est, id Sanctus Severinus Honorio „ proximus, id Sanctus Johannes IV. „ Sanctusque Theodorus, Martinus, „ Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, „ Donus, Agatho, Honorii Succes„ sores cumulatissime repararunt; ut „ officio defuisse Honorium Ecclesia „ Romana vix senserit. Hinc *Eccle„ siam Romanam non fuisse deprava„ tam, neque errori succubuisse, sed „ in fide mansisse*, Agatho praedica„ vit, & nos confitemur, neque in

„ Petri

„ Petri Sede visos esse Sergios, Pyr-
„ rhos, Paulos, Petros, Theodo-
„ ros sibi mutuo errorem quasi haere-
„ ditarium cum sede tradentes, neque
„ Romanos Pontifices sibi invicem
„ succedentes, a fidei unitate abru-
„ ptos fuisse. Quod si Honorius vel
„ pejora ausus esset, non Romana
„ propterea succubuisset fides, sed
„ eum ut mortuum Ecclesia projecis-
„ set, & ex Ecclesia Romana Ponti-
„ fex Catholicus surrexisset.

Haec quidem ad Agathonis mentem non omnino quadrare, mox ostendam. Interim tamen observari diligenter velim, qua una ratione Bossuetius existimet, propugnari ac defendi posse, quod, ut suo loco cum ipso Meldensi Episcopo demonstrabitur (*a*), ab omnibus est Patribus traditum, deficere non posse Sedis Apostolicae, & Ecclesiae Romanae fidem: quod nempe unius culpa Pontificis aliorum statim opera sarciatur: quod ita quidquid ab Honorio peccatum est, id S. Severinus Honorio proximus, aliique Honorii Successores cumulatissime repararunt: quod in Petri sede visi non sint Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Theodori sibi mutuo errorem quasi hereditarium cum sede tradentes &c. Haec, inquam, sedulo ac diligenter observari velim ab iis, qui Constitutioni *Unigenitus* aliisque Romanorum Pontificum adversus Jansenianos, & Bajanos sollennibus decretis adhuc pertinaciter obluctantur; perinde atque iis Catholica & sincera, & ab antiquis Patribus, & Conciliis, & Romanis Episcopis definita, de Christi gratia & caritate doctrina prorsus labefactetur, eademque illi labes inferatur, quam de duabus in Christo voluntatibus & operationibus avito dogmati Honorii Epistolae intulerunt. Quod si ita est, ut ipsi contendunt, nullus adhuc post Clementem XI., nullus post Urbanum VIII. nullus post S. Pium V. surrexit Pontifex, cujus opera horum culpa Pontificum sarciretur: neque quod a S. Pio V. peccatum est, id S. Pio proximus Gregorius XIII. neque quod ab Urbano VIII. Innocentius X. neque quod a Clemente XI. Innocentius XIII. aliique eorum Successores cumulatissime repararunt; quinimo & validissime probarunt: ut jam multo ampliorem seriem Pontificum in Petri Sede, quam olim in Regiae Urbis Patriarchatu, videamus sibi invicem succedentium, & sibi mutuo, ut Jansenianis, Bajanis & Quesnelianis libet, errorem quasi hereditarium cum sede tradentium. Quod, auctore Bossuetio, conciliari non potest cum iis, quae hoc loco Agatho, & alibi alii Patres, Concilia, & Romani Pontifices de Sede Apostolica vere, praeclare ac magnifice praedicarunt.

Verum, ut in orbitam redeamus, neque ipsius Meldensis Episcopi interpretatio ad Mentem Agathonis, ut jam diximus, omnino quadrat. Non enim Agatho id solum docet, quod unum Bossuetius admittit; nempe quod nunquam omnino periit Catholicorum Pontificum in Romana Sede successio; quod Sedes ipsa Apostolica funditus eversa non est; quod in ea penitus extincta non est ab ipsis Apostolorum temporibus sacrorum dogmatum derivata traditio; verum quod Sedes ipsa Apo-

(*a*) Vid. inf. lib. XV, cap. VI. & seqq.

Apostolica nunquam in aliquam erroris partem deflexa est, quod nunquam ab Apostolicae traditionis tramite deviavit, quod illibata adhuc permanet, qualis ab Apostolorum Principibus sub ipsum Christianae religionis exordium instituta est. Quae profecto vera esse non possunt, si vel ad modicum tempus in aliquem errorem deflexit, aut ab Apostolorum doctrina deviavit, aut aliqua haeretica contagione polluta est.

Deinde tantum abest, dictum Agathonis non esse ad strictos apices exigendum, ut Bossuetius ait, sed *civiliter* intelligendum; & *semper* ideo dictum, quod plerumque id factum sit; ut quum Apostolicos Pontifices *semper* juxta Domini admonitionem, & confidenter fratres suos firmasse, Agatho docet, clare ac perspicue Honorium ipsum hoc nomine comprehendat; quum tamen hoc potissimum Pontifice & auctore Romanam Sedem ab Apostolica traditione modicum deviasse, & haeretici erroris consortio pollutam & maculatam fuisse contendant: Ait vero laudatus Pontifex: *Unde & Apostolicae memoriae meae parvitatis Praedecessores, Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanae Ecclesiae Praesules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore, saltem tacendo desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiae facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo*. Verba illa, *saltem tacendo desisterent*, ad Honorium pertinere, nec ipse Bossuetius diffitetur. Porro non quaerimus, an id satis haberi debeat, ut Honorius inter eos Pontifices merito recenseatur, qui fratres suos, juxta Domini admonitionem, confidenter confirmasse dicuntur: sed quaerimus, quaenam fuerit Agathonis mens; & an ejus dictum sit ad strictos apices exigendum, aut solum *civiliter* intelligendum; & *semper* ideo dictum, quod plerumque id factum sit. Si enim vel Honorium ipsum ab eo numero ac serie non eximit, profecto constat, Agathonis dictum esse ad strictos apices exigendum; & *semper* ideo dictum, quod semper reapse, non autem plerumque id factum sit, quod sane juxta adhibitum ab ipso temperamentum verissimum est; nec aliud hic fere objici potest, nisi Liberii lapsus, de quo suo loco disseremus.

Utcumque tamen est de ipsa Honorii persona; attamen quod ad Sedem Apostolicam spectat, esse Agathonis dictum ad strictos apices exigendum, illud etiam suadet, quod ratio, qua suam sententiam confirmat, id ipsum aperte significet; quod nempe *Apostolica Christi Ecclesia per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur*. Qui ergo volunt, Agathonis dictum, quod ad Sedem Apostolicam adtinet, esse *civiliter* intelligendum, & non ad strictos apices exigendum, ii probare debent, Sedem ipsam Apostolicam ante Agathonem aliquando ab Apostolicae traditionis tramite deviasse; hoc est, probare debent, Severinum, Johannem quartum, Theodorum, Martinum, aliosque doctissimos, sanctissimos, & *fortissimos ut vetram viros*, qui sub Honorio praecipua & nobilissima erant Cleri Romani portio, tradi-

traditionem Apostolicam ignaviter prodidisse, & Honorio auctores fuisse, aut Synodice consensisse, ut duplicis in Christo voluntatis & operationis traditio intempestivo silentio obrueretur: quod certe gravissimis argumentis, & non inanibus conjecturis probari debet, ne temere hanc maculam sanctissimis illis ac fortissimis viris inuramus. Deinde, si Honorio Pontifice, Romana Sedes ab Apostolica traditione in errorem deflexit; qua fronte Agatho, qua fiducia, quum recens adhuc erat funesti casus memoria, scribere ausus esset, quod ab Apostolicae traditionis tramite nunquam errasse probabitur? Quamquam enim, ut ait Bossuetius; solemus homines magna & illustria & consueta sectari, & quod rarum fuerit & statim mutatum, nulla rerum conversione memorabili, nec factum cogitamus: attamen id solum verum est, quum rerum praeteritarum recordationem longa annorum series obliteravit; non autem quum adhuc ob oculos, & in ore omnium versatur rerum perperam gestarum tristis imago, aut lugubris memoria. Quum autem praeter Honorii ignavam dissimulationem, nihil nobis Adversarii frequentius objiciant, ex his, quae Agathonis tempora praecesserunt, quam Liberii lapsum; ut laudati Pontificis, qua de agimus, rationem elevent, & hanc quoque maculam Sedi Apostolicae inurant, probare pariter debent, Romanam Ecclesiam in τῦ ὁμουσίυ silentium, & S. Athanasii damnationem cum Liberio Synodice consensisse. Quod certe, ut suo loco videbimus, probare non possunt. Ac proinde ratio, qua suam sententiam Agatho confirmavit, aperte suadet, ejus dictum, quod ad Sedem Apostolicam pertinet, non esse *civiliter* intelligendum, sed ad strictos apices exigendum; & *semper* ideo dictum Romanam Sedem in Apostolica fide ac traditione perseverasse, quod *nunquam* reapse ab ea in aliquam erroris partem deflexit: idque juxta divinam ipsius Christi pollicitationem, quae quum deficere non possit, neutiquam Agatho dubitabat, Sedem Apostolicam ita & deinceps & *fine tenus* virginem permansuram & illibatam, qualis ab exordio fidei Christianae *ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus* instituta est.

Superest, ut & illud breviter demonstretur, quod supra propositum est; nempe cum Apostolicae Sedis inerrantia, & constanti in Apostolorum traditionibus ac fide perseverantia conjunctum esse, ut Pontifex ipse qua Pontifex, & quum *ex Cathedra* quidquam definit, in fide errare non posse. Demonstrabimus alibi luculentius, quam haec duo invicem connexa sint, & indivulse conjuncta. Interim autem breviter animadverto, tum Romanum Pontificem quidquam *ex Cathedra* definire, quum adhibita, quae in rebus magni momenti adhiberi solet diligentia, primum sedulo ac sollicite inquirit, quae sit reipsa Sedis & Ecclesiae suae ab ipsis Apostolorum temporibus ducta traditio, eamque universae Ecclesiae tenendam sua auctoritate proponit; sua, inquam, auctoritate, quoniam ut supra ex S. Martino Papa, & ex Stephano Dorensi Episcopo probatum est, ipse *solus* Romanus Pontifex, ipse *tantummodo* claves regni caelorum accepit, & cum clavibus conjunctam docendi potestatem & supremam auctoritatem.

Quare

Digitized by Google

Quare una eademque semper est Ecclesiae Romanae & Pontificis *ex Cathedra* docentis seu definientis fides atque doctrina; quam in Ecclesia ipsa Romana velut in tuto ac fideli deposito servatam Pontifex ipse tanquam ex communi & natali fonte in alias omnes Ecclesias sua auctoritate derivat. Quare, ut egregie hic Thomassinus observat (num. XVII.): Ut Pontifex erret, at errare Sedes negetur, quia Plebs & Clerus Romanae Ecclesiae abhorret ab eo errore, praeposterum id quidem est. Cum ita Plebi & Clero, hoc est, membris plus induatur sapientiae, quam Capiti. Cum exadverso si quae sunt dotes corporis & membrorum egregiae, a Capite illae derivari censendae sint: & *fidei Romanae* Paulli elogio consecratae, sanctis Patribus honori & miraculo habitae, gloria principalis & palma ipsi Pontifici, ut magistro, prae Clericis & Laicis, hoc est, prae discipulis necessario adseratur. Neque illud praeposterum tantum, ut Pontifex qua Pontifex erret, at errare Sedes negetur; verum & absurdum, cum Pontifex tum Pontificem agat, quum, ut laudatus Auctor subjungit: Cleri, vel Ecclesiae suae ita suffragia sententiamque expressit, sicut eo tempore familiare est & usitatum in rebus magni momenti, quae olim Synodice ventilabantur.

CAPUT XXVIII.

„ Quaestio de Honorio concluditur, „ atque utcumque illius res se habent, invictum manet ex his petitum argumentum.

IN praesenti Capite Bossuetius adversus Bellarminum contendit Honorii Epistolas non esse Honorio tamquam privato homini tribuendas; eidemque in sexta Synodo pariter non qua privato homini, sed qua Pontificem agenti dictum anathema. Quod superius latissime a nobis confutatum est, omniaque pespicue soluta, quibus hanc suam opinionem Adversarii statuminare nituntur. Quod autem Baronius ac Bellarminus, & ante ipsos Anastasius Bibliothecarius, alias purgandi Honorii, vel ab hoc naevo Sedem Apostolicam liberandi, vias inierint; salva ea quae tantis nominibus debetur reverentia, non admodum nostra referre debet, qui non aliorum hypothesibus servimus, sed res ipsas ad proprios calculos revocamus.

CAPUT XXIX.

„ Patres Toletani Concilii decimi „ quarti Synodum VI. pro Oecumenica non habent, eo quod „ Hispani ad eam vocati non essent; neque eam probant nisi „ facto examine, tametsi a Leone II. probatam constitisset.

DUo in hoc Capite nobis objicit Illustrissimus Bossuetius, primo Hispanos Episcopos sextam Synodum pro Oecumenica non habuisse, quod

Digitized by Google

Occidentali Concilio ab Agathone collecto nulli ex eis interfuerant, neque ad sextam Synodum fuerant invitati, imo eam non nisi ex Leonis II. Epistolis noverant.

Secundo, eosdem Hispanos Episcopos laudatae Synodi Acta, nonnisi facto examine suscepisse; etsi ea a Romano Pontifice confirmata neutiquam ignorarent: unde colligit, esse retractationi ac iterato examini obnoxia Romanorum Pontificum de fide decreta, quantum in his duobus Capitibus pro Adversariorum opinione momenti sit, sequentibus Articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Romani Pontifices, & reliqui omnes Occidentis Episcopi sextam Synodum pro Oecumenica agnoscunt, etsi nulli ei ex Hispanis Episcopis interfuerunt.

AD Synodum Oecumenicam constituendam illud omni aevo satis superque habitum est, ut quum Synodi in Oriente habebantur, eis per suos Legatos Sedes Apostolica, & generalis totius Occidentis Synodus interessent. Imo, quod pertinet ad praecedentia Concilia, non nisi Sedis Apostolicae legati illis interfuerunt; qui tamen totius Occidentis nomine adesse censebantur, quod in unius Apostolicae Sedis auctoritate & fide acquiescerent omnes Occidentis Ecclesiae, idque omnibus compertum esset. Quare susceptis Romanae Synodi actis ad Nestorium scribebat Cyrillus Alexandrinus (a) illius *Decreto omnibus modis parendum esse illis, qui a totius Occidentis communione excidere noluissent.* Sextae autem Synodo non modo Sedis Apostolicae, quod satis fuisset, verum & totius Occidentalis Synodi Legati interfuerant, aut interfuisse censebantur, etsi Concilio Romano sub Agathone nullus ex Hispaniis Episcopus adfuerat. Patet id primo ex inscriptione Epistolae Synodicae ad Constantinum Imperatorem: Ita enim inscribitur: *Agatho Episcopus servus servorum Dei cum universis Synodis subjacentibus Concilio Apostolicae Sedis.* Patet id etiam ex ejusdem Epistolae subscriptione: *Agatho Episcopus &c. huic suggestioni, cum generalitate totius Apostolicae Sedis Concilii ..... consensi, & subscripsi.* Porro ad Concilium Apostolicae Sedis totius Occidentis Synodi pertinebant. Quare huic eidem sub Agathone Concilio subscribunt non modo plurimi ex universa Italia & Sicilia Episcopi, verum & aliquot ex Galliis, tanquam *Legati Venerabilis Synodi per Galliarum Provincias constitutae*, & Wilfridus Eboracensis Episcopus tanquam *Legatus Venerabilis Synodi per Britanniam constitutae.* Itaque quum scribit Agatho cum omnibus Synodis Apostolicae Sedis Concilio subjacentibus; & quum Epistolae subscribit cum generalitate totius Apostolicae Sedis Concilii, totius Occidentis universale Concilium hoc nomine ab ipso repraesentari, nulli dubium esse potest.

Idem etiam non minus aperte ac perspicue in ipsa Epistola universi Patres testantur, quum eam omnium Oc-

(a) 1. Par. Conc. Ephes. cap. XXI.

Occidentalium nomine scriptam haud obscure significant: *Omnes non exigui Ecclesiarum Praesules, vestri Christiani Imperii famuli, in Semptemtrionalibus vel Occiduis partibus constituti &c.* Et longe clarius versus Epistolae finem aliquot se mittere docent ex suo ordine tanquam totius Occidentalis Synodi legatos: *Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum, id est, universorum per Septemtrionales vel Occiduas regiones Episcoporum suggestionem, in qua & Apostolicae nostrae fidei confessionem praelibavimus, offerre debeant.* Itaque quum Sedes Apostolica & universale totius Occidentis Concilium sextae Synodo per suos Legatos adfuerint; nihil ei profecto deerat, ut ex Agathonis & omnium Occidentalium sententia, pro Oecumenica haberetur.

At quomodo, inquis, Concilium Romanum sub Agathone celebratum, universalis totius Occidentis Synodus dici poterat; quum ei ex universa Hispania nulli Episcopi adfuerint? Quomodo item sexta Synodus ab Hispaniis pro Oecumenica haberi poterat, quum ad eam, uti Bossuetius pro certo habet, vocati nec fuerint? Quare, inquit laudatus Auctor cavisse Hispanii videntur, ne quis existimaret, Concilii talis, quasi universalis, auctoritate teneri Hispaniam, tantam Ecclesiae partem, etiam non vocatam. Unde consequens est, neque ad Synodum Romanam vocatos fuisse Hispanos, quum ad eam propter sextam Synodum Episcopi vocarentur.

Respondemus, id quod Meldensis Episcopus pro certo habet, falsum omnino esse; nimirum, ad Synodum Romanam cum aliis totius Occidentis ac Septemtrionis Episcopis vocatos Hispanos non fuisse. Id enim ipsius Romanae Synodi clarissimo testimonio manifeste repugnat. Testantur enim apertissime Patres, se se omne studium adhibuisse, ut non pars Occidentis, sed universus Occidens conveniret, indeque se Principi excusant, quod tam sero petitos Episcopos destinarent: quod nempe diu exspectare debuerant, dum ex longinquioribus Provinciis, & usque ad ipsum Oceanum fusis, Episcopi advenirent: *Praeterea*, inquiunt, *satisfaciendum est . . . . . pro tarditate missarum ex nostro Concilio Personarum . . . . . Primum quidem, quod numerosa multitudo nostrorum usque ad Oceani regiones extenditur, cujus itineris longinquitas in multi temporis cursum protelatur. Sperabamus deinde de Britannia Theodorum, consamulum atque Coepiscopum nostrum, magnae insulae Britanniae Archiepiscopum & Philosophum, cum aliis qui ibidem usque hactenus demorantur, exinde ad nostram humilitatem conjungere, atque diversos hujus Concilii Episcopos in diversis regionibus constitutos, ut a generalitate totius Concilii nostra suggestio fieret; ne si tantum pars quod agebatur cognosceret, partem lateret: & maxime, quia in medio gentium tam Longobardorum, quamque Sclavorum, nec non Francorum, Gallorum, & Gothorum, atque Britannorum plurimi Consamulorum nostrorum esse noscuntur, qui & de hoc curiose satagere non desistunt, ut cognoscant quid in caussa Apostolicae fidei peragatur.* Non poterant certe clarioribus verbis exponere, nihil a se omissum, ut Romae totius Occidentis

universalis Synodus haberetur. Hinc vocatos Episcopos testantur, non modo in Italia Orientis Imperio subjectos, verum & in medio gentium positos, Longobardorum, Sclavorum, Francorum, Gallorum, Gothorum, Britannorum, quos omnes docent ad Concilium Sedis Apostolicae pertinere: Episcopi autem in medio Gothorum positi, quinam alii tunc erant, nisi Hispani, Gothorum tunc dominationi subjecti? Itaque & ipsos ad Synodum vocatos fuisse Patres significant, ut fidei confessio in Orientem transmittenda, ab omnibus Episcopis ad Concilium Sedis Apostolicae pertinentibus, subscriberetur. Eadem fere habet & peculiaris Agathonis Epistola ad eumdem Imperatorem: *Et nisi longus Provinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostrae Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem nunc fieri potuit, studiosa obedientia noster famulatus impleret. Sed dum de diversis Provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi Principatus Romana Urbe, vel de proximo dirigere procuramus, quasdam de longe positis Provinciis, in quibus verbum Christianae fidei ab Apostolicis exiguitatis meae Praedecessoribus missi praedicabant, remeare praestolamur, non parvus temporum cursus elapsus est.* Quaecumque igitur ratio fuerit, cur Episcopi Hispani Romam ad Concilium vocati non adfuerint; nulla tamen ratio reddi potest, cur minime vocatos eos fuisse credamus: quare & iis absentibus, perinde Romanum illud Concilium pro universali totius Occidentis Synodo habitum est, & sexta Synodus, cui per Legatos interfuerunt, tamquam Oecumenica ab Agathone, Leone II. & Benedicto II. & a ceteris omnibus Occidentalibus Episcopis celebrata.

Non est ergo, cur nobis Bossuetius tantopere jactet Toletanorum Patrum auctoritatem. Nos enim septemdecim Toletanae XIV. Synodi Episcoporum judicio, judicium opponimus trium Romanorum Pontificum, & reliquorum omnium Occidentalium Episcoporum. Quamquam nec illud admittimus, diserte negatam sextae Synodo a Patribus Toletanis Oecumenici Concilii praerogativam. Quamvis enim hunc illi titulum initio non tribuant, attamen nec denegant; & postmodum septimo Canone consentiunt, ut *post Chalcedonense Concilium, dedito honore, loco & ordine collocetur; ut cujus*, inquiunt, *glorioso themate fulget, ei & loci & ordinis coaptetur honore.*

ARTICULUS II.

De Sedis Apostolicae auctoritate totius Synodi Occidentalis judicium: Ab eo discrepasse Toletanos Patres, Bossuetius non probat.

PLura docent Occidentalis Synodi Patres in Epistola jam saepius laudata ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, quae cum Parisiensium & Meldensis Episcopi opinionibus facile conciliari non possunt.

Primo enim docent, Apostolicae Sedis Romanorumque Pontificum, utique ex Cathedra docentium, doctrinam nullis unquam fuisse non modo haeresibus constupratam, sed neque falsa-

falsarum opinionum, aut alicujus erroris caligine ac nebulis infuscatam. Quid enim ad id adstruendum his eorum verbis disertius ac luculentius? *Credimus*, inquiunt, *quia quod paucis raroque concessum est, a Deo coronato vestro Imperio divinitus concedetur, ut per ipsum Catholicae atque Apostolicae verae nostrae fidei splendidissimum in omnium mentibus emicet lumen: quod ex veri luminis fonte tanquam de radio vivifici fulgoris, per ministros beatos Petrum & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos & Apostolicos Successores gradatim usque ad nostram parvitatem, Dei opitulatione servatum est, nulla haeretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatum nebulis confoedatum, nec intermixtis haereticis pravitatibus velut caliginosis nebulis perumbratum, immune atque sincerum, & suis radiis perlustratum.*

Secundo illud etiam confirmant, quod superiori articulo observatum est; nimirum in unius Romanae Sedis auctoritate ac fide ita acquiescere tunc solitas fuisse omnes Occidentis Ecclesias, ut quidquid Romanus Pontifex, pro illius aevi disciplina, cum sua peculiari vel totius Italiae Synodo definiret, ea censeretur omnium Occidentalium Ecclesiarum fides. Hoc autem ex sequentibus eorum verbis haud obscure colligitur: *Hoc enim credimus, quod per traditionem Apostolicam accepimus, cujus auctoritatem in omnibus sequimur, a qua & institutos nostrae humilitatis Praedecessores cognovimus, quam & usque ad finem servari nobis sive per vitam, sive per mortem optamus. Hanc igitur merae Catholicae atque Apostolicae confessionis regulam, & sanctum Concilium, quod in hanc Romanam Urbem servilem vestri Christianissimi Imperii sub Apostolicae memoriae Martino Papa convenit, praedicasse synodice, ac constanter defendisse, omnes nos, quisquis ubique est, humillimi Ecclesiarum Christi Antistites cognoscimus: in qua & nostrae parvitatis Praedecessores convenientes, Apostolicam Confessionem, quam a principio perceperunt, etiam synodali praeconio praedicarunt, & absque cujuspiam novitatis errore citra ambiguitatem determinarunt.* Concilio Romano sub S. Martino Pontifice & Martyre nulli ex Galliis, nulli ex Hispaniis, nulli ex Britannia Episcopi interfuerant; & tamen plenaria haec totius Occidentis Synodus perinde ad Imperatorem scribit, ac si omnes hujusce Synodi Praesulum Decessores illi Concilio adfuissent, & Catholicae fidei regulam synodice pronunciassent. Quod nimirum in una Petri Sedis auctoritate ac fide, quemadmodum dictum est, Ecclesiae omnes Occidentis acquiescerent, & quidquid a Romano Pontifice cum sua vel Italica Synodo decernebatur, id commune omnium Occidentalium decretum censebatur. Quod & ipsi perspicue sequentibus verbis testantur: *Haec est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicae atque Apostolicae fidei, quos usque adhuc Apostolica Sedes nobiscum & tenet, & tradit, tota mentis custodia conservemus.*

Tertio, illud etiam iidem Patres clare nobiscum ac diserte docent; id quod semel a Romano Pontifice, sive cum sua, sive totius Italiae, vel Occidentis Synodo definitum est; retractationi vel examini, jure suo obnoxium non esse. Significant enim Impe-

peratori per suos Legatos Apostolicae fidei confessionem transmittere, quam ipsi ac Synodo offerre debeant; *non tamen*, subjungunt, *tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia, compendiosa definitione proferre*. Adjungunt & illud, quod supra ex S. Cyrillo traditum est; nempe, hisce Sedis Apostolicae decretis omnino parendum esse illis, qui ab omnium Occidentalium communione excidere noluerint: *Quicumque proinde Sacerdotum haec, quae in hac nostrae humilitatis confessione continentur, nobiscum sinceriter praedicare desiderant, ut nostrae Apostolicae fidei concordes ut Consacerdotes &c. suscipimus. Qui vero haec confiteri noluerint..... perpetuae damnationis reos esse censemus, nec aliquando tales in nostrae humilitatis collegio, nisi correctos, suscipere patimur*.

Hi ergo tunc temporis erant totius Occidentalis Synodi de Apostolicae Sedis auctoritate sensus: Ab his autem longe abfuisse Hispaniae Praesules, nec facile creditu est, nec Bossuetius efficaciter probat, quum id unum objicit, sextae Synodi acta a Romanis Pontificibus confirmata, non nisi praemisso examine, eoque ad certam regulam exacto, ad Patrum scilicet & antiquiorum Conciliorum fidem, Hispanos Episcopos suscepisse. Jam enim saepius ostendimus, hoc argumento nequaquam demonstrari, de dogmate, aut dogmatica Constitutione, quae examini subjiciatur, reapse dubitari, aut eam nequaquam pro certa & immobili fidei regula haberi. Quod enim Bossuetius animadvertit: Quod „ Universalium Conciliorum, quae ut talia sint agnita, doctrinam ac fidem „ nemo unquam examini aut retractationi submisit; si generatim ac de quocumque examinis genere intelligatur, quam falsum sit, jam pluribus exemplis demonstravimus: & de hac ipsa sexta Synodo, quam utique Leo II. pro oecumenica habebat, aperte constat, fuisse tamen ejus acta *curiosa diligentia* ab hoc Pontifice *recensita*, antequam ab ipso Apostolica auctoritate firmarentur; eaque etiam ad certam regulam exacta fuisse, nempe ad Agathonis Epistolam, & praecedentium Conciliorum fidem, uti superius adlatis ejus verbis probavimus.

Id igitur unum superest, ut ex ipsis Toletanis Patribus demonstremus, non quodlibet rerum gestarum aut ante definitarum examen ex dubitatione prodire; aut argumentum esse, quod res velut adhuc non satis firma & incerta, retractationi obnoxia judicetur; vel ad eam quasi adhuc latentem eruendam disceptatio & inquisitio instituatur. Id vero inde facile probatur, quod ipsi Hispaniarum Praesules antequam in Synodum convenirent, suis singuli sedibus residentes, jam sextae Synodi acta probaverant; doctrinam de duabus in Christo voluntatibus & operationibus amplexi fuerant; ac fidei suae sensum copiosa ac dilucida & purissima verborum expositione Romano Pontifici aperuerant: En ipsorum verba: *Sed licet in unum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium Praesulum societas nequivisset; sparsis tamen sedibus atque locis, praefatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de utramque Jesu Christi Filii Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas & operatio praedicatur*,

Digitized by Google

tur, recti dogmatis sensum, inculpandae disputationis edictum, Apostolicae traditionis stylum. Placuit proinde illo tunc tempore, Apologeticae defensionis nostrae responsis satisfacientes Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare, nostraeque fidei sensum purissima verborum enodatione depromere. Et quia illic de hac gemina voluntate & operatione Jesu Christi Filii Dei copiose & dilucide insigniuntur quae vera sunt, quae jam utique Romanis partibus per legatos Hispaniae destinata sunt &c. Quis credat, Hispanos Episcopos, quum post haec eadem acta, id est eumdem recti dogmatis sensum, & inculpandae disputationis edictum, & Apostolicae traditionis stylum, Synodico examine dirimenda, & communis judicii auctoritate firmanda decernunt, de gemina Jesu Christi voluntate & operatione dubitasse; subindeque examen hujusmodi alio pertinuisse, quam ad jam notae & creditae veritatis elucidationem? Nam fidei suae sensum de duabus in Christo voluntatibus & operationibus pro duarum differentia naturarum, jam Romano Pontifici significaverant. Id ergo unum satagebant, ut jam nota & credita veritas, ampliore elucidatione innotesceret: ac proinde ex synodico illorum examine nihil pro sua opinione extundere Meldensis Episcopus potest.

FINIS.



Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Pag. 11. col. 2. lin. 11. adſertam	nondum adſertam
pag. 37. col. 2. lin. 35. Arianos	Aſianos,
pag. 76. [a] L. VII. C. V. n. III.	L. IV. C. III. n. V.
pag. 125. col. 2. lin. 34. plurimum	plurimarum
pag. 157. col. 1. lin. 2. invitato	invito
pag. 164. col. 2. lin. 6. frueretur	ſtrueretur
pag. 177. col. 2. lin. 24. 1523.	1723.
pag. 200. col. 1. lin. 2. totius	totis

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus prior paginam, posterior cum littera c. columnam primam, vel secundam paginarum notat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Digitized by Google

L

Digitized by Google

9.1. Fuitque Apostolicum ejus praeceptum communi consensu executioni mandatum. *ibid.* c. 2. *et seq.* Eorundem Patrum jus & libertatem minime violavit proponendo subin universo Concilio suam Epistolam tanquam regulam fidei irretractabilem, novasque super illa quaestiones vetando. 136. c. 2.

Epistola haec celeberrima, totoque Orbe notissima 90. c. 2. Scripta ab ipso S. Leone ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum adversus Euthychetis haeresim. 90. Magna *orthodoxae fidei luce praefulgens*. 151. c. 2. Utpote *plenissime, et lucidissime declarans, quae sit de Sacramento Incarnationis* D.N.J.C. *pia, et sincera confessio* 136. c. 1. Pseudo-Synodi Ephesinae scandalum inde maxime natum, quod perversitate Dioscori non fuerit publicata. 109. c. 2. *et* 128. c. 1. Secus in Chalcedonensi Conc. ubi sub initium publice lecta. 120. c. 2. Et a maxima Episcoporum parte mox approbata. *ibid. et* 134. c. 2. Qui in ipsa ad profligandam Euthychianam haeresim agnoverunt authoritatem prorsus aequalem Decretis trium priorum Synodorum oecumenicarum. 119. c. 1. Ac S. *Petrum per Leonem locutum esse* fassi sunt. 120. c. 2. Quid quod, antequam in Concilio legeretur, plerique Concilii Patres eam habuerunt pro irreformabili fidei regula? 118. c. 2. *usq. ad* 124. Imo ante ipsum Concilium ut talem agnovit Ecclesia Orientalis 124. c. 2. Necnon Occidentalis, praesertimque Gallicana. 124. c. 2. & 128. c. 1. Ex mera indulgentia ad eximendos scrupulos permissum Episcopis perpaucis illam privatim, ac maturius perscrutari intra 5. dies. 121. c. 1. *et* 134. c. 1. Hinc tamen nullum praejudicium Pontificiae inerrantiae, & authoritati. 130. c. 1. *et* 134. c. 1. Quod vero a Concilio deinceps factum fuit examen Epistolae, illud non spectasse ad rei quasi adhuc dubiae declarationem, probatur adversus Bossuetianas animadversiones. 137. 139. *usq. ad* 142. *et* 152. *usq. ad* 157. In edenda solemni fidei definitione debuerunt sese conformare eidem Epistolae Patres Concilii. 140. c. 2. *usq. ad* 143. Quonam sensu ipse Pontifex dixerit, *irretractabili assensu firmatam* fuisse in Concilio. 130. c. 2. *et* 131. In eadem porro Epistola manifeste expressit S. Leo Catholicum dogma de duplici Christi natura, & operatione. 179. c. 1. *et* 181. 182. Ejusdemque verba fuerunt postmodum adoptata animo sincero & catholico ab Honorio Papa. 179. c. 1. *et* 182. 183. Subdole vero ac nefarie a Sergio Monothelita. 182. 183

S. Leo II. Pontif. probavit Acta Synodi VI. utpote consona doctrinae Sedis Apostolicae, & dogmaticae Epistolae Agathonis. 224. c. 2. *et seq.*

Liberio Pontif. synodice adstipulatam esse Rom. Ecclesiam in silentio vocis *omousion*, & in damnatione S. Athanasii nequit rite probari. 232. c. 1.

M

Macedoniani ex vitiata radice Ariana exorti. 42. c. 2. Inficiati sunt Spiritus Sancti Divinitatem. 40. c. 1. Quam ex adverso propugnabant viriliter plures Orientales Patres. *ibid.* Controversia solo Rom. Sedis judicio mox terminata ante Concili generalis celebrationem. *ibid.* Idque, velit nolit, admittere debet Bossuetius. 46. *usq. ad* 48. Atque etiam fassi sunt aperte Gallicani Praesules Innocentio X. Pontif. scribentes. 49. c. 2. Adsecuti sunt illi Ecclesiasticam communionem misso ad Rom. Antistitem Libello, quo palam errorem suum repudiabant. 41. c. 1. Postmodum mutata fide resilierunt ab eadem communione. 47. Vocati subinde ad oecumenicam Synodum


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google